


0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

()




R. 7162
LOGICA MAJOR 10

*Quatuor Disputationibus
distincta.*

A U T H O R E

JOANNE DE ULLOA MADRITANO

SOCIETATIS JESU THEOLOGO.



R O M Æ M. DCC. XII.

Ex Officina Cajetani Zenobii Typographi, &
Scalptoris SS. D. N. CLEMENTIS XI.

SUPERIORUM PERMISSU.



B E A T O
ALOYSIO GONZAGA

Q U O N D A M

COLLEGII HUIUS ROMANI ALUMNO,

M O D O

Collegii ejusdem, atque Universitatis
Advocato

JOANNES DE ULLOA MADRITANUS

SOCIETATIS JESU THEOLOGUS

O. C. D.



Tertium ad Aras tuas redeo Be-
tissime ALOYSI, tertiam hanc
nostræ adversus Te reverentiæ
tesseram Altari Tuo appendo.
Tertium candelabrum, non uti-
que aureum, ut par erat; sed deauratum, ut no-
stra fert conditio, ante cineres Tuos accendo.
Terra, Terra, Terra, clamabat Jeremias.

† 2

Nem-

Jer. 22.

Nempè in tergemina repetitione vim solere esse maximam, advertunt interpretes. Tergemina invocatio patrocini tui Index esto energiae, quia Te invocamus. *Numero enim Deus impare gaudet.* Credidisti olim terricola, & intueris modò cælicola, quanto jure semel & iterum, & iterum non casu, sed divino planè consilio inculcatum sit: *Initium sapientiæ timor Domini.* Hanc quæso lectionem scribe in visceribus Juventutis, quæ tuis insistens vestigiis has frequentat scholas. Cùm omnes sapientiâ indigeamus, fac ut, juxta Apostolicam doctrinam, postulemus à Deo, & quidem *in Fide* nil hæsitantes, *qui dat omnibus affluenter, & non improperat.* Si enim nostræ preces tuis corroborentur, si nostro supplici libello Tu subscribas, de foelici exitu non dubitamus. Salve Anima Beatissima, Deo chara, nobis propitia, omnibus benevola, sed studentis præsertim juventuti, & chara, & propitia, & benevola.

Pf. 160.

Ecol. 1.

Prov. 1.

Jacob. 1.

MICHAEL ANGELUS TAMBURINUS

Præpositus Generalis Societatis JESU.

CUM Librum, cui titulus *Logica Major quatuor Disputationibus distincta*, à P. Joanne de Ulloa Societatis nostræ Sacerdote conscriptum aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, facultatem facimus, ut Typis mandetur, si iis, ad quos pertinet, ita videbitur; cujus rei gratia has literas manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Romæ 17. Martii 1711.

Michael Angelus Tamburinus.

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sac. Palatii
Apostolici.

*D. de Zaulis Archiepiscopus Theodosiae
Vicesgerens.*



Librum, cui titulus *Logica Major, quatuor Disputatio-*
nibus distincta Authore P. Joanne de Ulloa Societ. Je-
su, ex mandato Reverendiss. P. Gregorii Selleri S. P. Apo-
stolici Magistri, sedulo percurri, nil in eo Orthodoxæ Fi-
dei, bonisque moribus dissonum offendi, quin potius plera-
que depræhendi perspicue digesta, & ingeniose concinna-
ta; Dignum propterea fore arbitror, ut in publicam lucem
prodeat. Romæ in Collegio Siculo Sancti Pauli ad Are-
nulam.

Fr. Joseph Marchese S.T.D. & Magister Tertii Or-
dinis Sancti Francisci, ejusdem Collegii Studiorum
Regens, & Sacræ Congregationis Indicis Con-
sultor.

DE mandato Reverendiss. P. Fr. Gregorii Selleri Sacr.
P. Ap. Magistri Librum, qui inscribitur *Logica Major,*
quatuor Disputationibus distincta, à Patre Joanne de Ulloa
Societatis Jesu conscriptum, libenter evolvi, ac diligenter
perpendi, nihil in eo repugnans Christianis moribus, aut
ab Orthodoxa Fide alienum comperi. Quapropter dignum
arbitror opus, ut in lucem prodeat. In Conventu S. Mariæ
super Minervam die 26. Septembris 1711.

F. Dominicus Servicini Ordinis Prædicatorum Sacr.
Theol. Magister, atque ex Provincialis.



IMPRIMATUR

Fr. Gregorius Selleri Ordinis Prædicatorum S. Pal. Apo-
stolici Magister.

I N D E X


DISPUTATIONUM.

DISPUTATIO I. *De Identitatibus, ac Distinctionibus Realibus, Formalibus ex natura rei, Virtualibus, Entitativis, Prædicativis, Formalibus per rationem Logicam, per rationem Metaphysicam &c.*

DISPUTATIO II. *De Universali in genere, ac de Singulari.*

DISPUTATIO III. *De Universalibus in Singulari, hoc est de quinque Prædicabilibus, & de Concretis, Abstractis, & substratis.*

DISPUTATIO IV. *De Prædicamentis, quatuor nimirum Substantia, Quantitas, Relatio, & Habitus.*



PRO-

I



PROLOGUS

A D

PHILOSOPHIÆ CANDIDATOS.



Uinque te monitum velim, Scholasticarum Disciplinarum Candidate Juvenis. Primum. Ex his quatuor disputationibus, sola secunda, & tertia sunt propriè Logicæ. Prima, & quarta proprius sunt Metaphysicæ. Sed usus invaluit, hoc novum vestigal imponendi Tyronibus; non tamen sine autoritate, ac ratione. Aristoteles enim Primus hujus Artis Magister, Logicæ adjunxit librum 5. Metaphysicorum, ubi per otium agit de Prædicamentis: nempe ut in aliqua materia exercerentur præcepta logica. Non ergo sine autoritate onerarunt Logicos Magistri moderniores decem illis prædicamentis, quorum aliqua tantum damus in quarta Disputatione. Nec sine ratione: cum enim humani omnes discursus innitantur uni ex his quatuor principiis: *Identitas, Distinctio, Connexio, Oppositio*; oportet, quod saltem illa duo priora sint nota Logicis (connexione, ac oppositione fusè explicatis in Prodomo nostro) ut ratiocinari possint in materia, & de materia propria ipsorum. Et illa duo priora damus in prima disputatione. Ut ut res sit, si disputationes de Identitatibus, Distinctionibus, ac Prædicamentis, non fuerint è re tua, permitte illas aliis, quibus forsan proderunt, atque in solas Secundam, & Tertiam Disputationes invola; memor tamen libros non offerri uni, vel unis solis; sed omnibus, qui mediatè, vel immediatè: directè, vel indirectè ad materiam aspirant eorum librorum.

A

Se-

Secundum . Quando terminum aliquem dividere aggredior , longam subdivisionum seriem , numerosam membrorum dividendum catervam invenies . Res molesta , phantasiæque turbandæ , seu obruendæ idonea . Fateor . Sed memineris , tum *penuriæ* vocum , quas præsci authores linguarum nobis reliquerunt ad explicandum minutissima hæc , & subtilissima , quæ modo disputantur , atque non veperunt in mentem primis illis hominibus , qui cæperunt loqui . Unde necessitas , & inopia vocum simplicium , sed vivacium cogit nos agglomerare multas voces ad explicandam subtilissima ea , quæ nonnullis ab hinc sæculis disputantur : tum *fraudis* sophistarum , qui abutentes verbis habentibus duas , tres , quatuor significationes valde diversas , exordiri solent ab una , quam concedis , & clam transire ad alteram , quam negas . Oportet ergo usque ad ultimas fibras dividere terminos , ut veritas pandatur , aut falsitas . Tum demum , quia , sicut humana ædificia constant terrâ , lapide , latere , gypso , calce , aqua , ligno , trabe , & reliquis , quæ vulgò dicuntur materialia , quorum combinatione , ac coordinatione assurgit domus : & Palatium habere non vult , qui molestum onus congerendi hæc omnia , subire non vult ; ita materialia , ut ita barbarè loquar , ex quibus formantur speculativi discursus , sunt illa membra dividenda , & subdividentia , quæ latent sub terminis , de quibus , & circa quos procedit disputatio . Quomodo ergo discursus eos fabricabimus , si laborem aversemur dividendi , congerendi , combinandi , ac coordinandi membra illa dividenda , quæ hinc indè assurgunt in materia , super qua philosophari debemus ? Ponderus longe majus habet avis cum alis , quàm sine alis : Navis cum arboribus , quàm sine arboribus : Currus cum rotis , quàm sine rotis . At neque currus sine rotis , neque navis sine arboribus , neque avis sine alis moveri possunt . En rationem , ob quam , segetem non modicam membrorum dividendum exponere soleo . Expando nimirum telam ante oculos totam , ut hac , isthac , illac scindens eam , unias postea partes , quæ uniri debent , & separe , quæ debent separari .

Tertium . Insisto semper syllogismis , formæque Dialecticæ , multoties infeliciter , interdum forsitan feliciter . Nec facilis ero usu compendioso verborum , maximè quando imminet periculum (ut passim contingit) quòd ego tacitus apud me super suppositionem gradiar , quam alter negat . Non est viarum compendium sine labore , ut Hispanum admonet Proverbium , nec sine periculo aberrandi à scopo . Dedignantur aliqui scholastici Scholasticam formam , &

me-

methodum tanquam artem pro solis pueris inventam ; sed nunquam audiivi militem dedignantem militarem artem , aut methodum : Nautam dedignantem nauticos terminos , aut methodum : Agricultorem dedignantem artem , methodum , aut terminos agriculturæ . Accedit , quòd cum res speculativæ adeò subtiles sint , atque reconditæ , luce summoperè indigent ; non est autem inventum , æquale formæ scholasticæ , in ordine ad lucem effundendam . In illis tribus distinctis propositionibus , quibus constat syllogismus : in illis duabus , quibus enthymema , per otium inspicere , ac perpendere , potes , quid verum , quid falsum , quid æquivocum , quid utile , quid inutile rei , quæ tunc disputatur . Et quemadmodum urinatores olei effusione vident in fundo maris gemmas , quas quærun , & lapillos , quos non quærun ; ita intellectus noster in profunda caligine rerum speculativarum usu artis syllogisticæ detegit veritatem , aut falsitatem , aut æquivocationem . Ne ergo succenseas Scholastico utenti apud scholasticos scholasticam methodo .

Quartum . Abjiciam , quantum fieri possit , inconditum illud vulgus præcisionum , reflexionum , formalitatum , considerationum , imaginationumque , & ferè semper in unam rerum quidditatem , atque realitatem involabo . Tota speculativa in duas quæstionum classes divisa est , ut jam alibi moneo . In una sunt quæstiones circa res , ut nobis apparentes per tales , aut tales cognitiones . Et tales sunt pleræque disputationes logicæ ; imò nonnullæ philosophicæ , ac theologicæ , illæ videlicet , in quibus quæritur objectum formale nostrorum actuum intellectûs , aut voluntatis , seu ratio formalis motiva , *quæ* ; aut *sub qua* . Tunc prorsus necessarium est recurrere ad formalitates , ad præcisiones , ad reflexiones : siquidem hæc sunt pars primaria , vel quasi primaria illarum quæstionum , satis rationabilium , ut suo loco deprehendes . Et tunc non formant inconditum vulgus , sed gravem Rempublicam . Et tunc demum frivolus solet esse recursus ad realitates . Et tales denique sunt secunda , & tertia disputatio hujus operis . Ambæ reflexæ , ambæ secundo intentionales , ambæ alludentes ad quasdam nostras præcisiones , & considerationes , ut ibi experieris . Altera classis est quæstionum , in quibus agitur de rebus , prout sunt in se ipsis verè realiter , simpliciter , coram Deo , quidquid sit de nostris præcisionibus , reflexionibus , formalitatibus &c. & tunc has in disputationem invehere , perinde est , ac uti jurisprudentia , quando agitur de Medicina : perinde , ac respondere tartaricè , quando colloquium fit latinè . Quid refert

A 2

quod

4 Prologus ad Philosophiæ Candidatos.

quod virus sub hac, vel illa formalitate, expressione, aut consideratione non occidat hominem, si ipsum verè, & realiter coram Deo de medio sustulit? quid refert quod actio Petri secundum talem aut talem considerationem, sub tali, aut tali formalitate, juxta talem, aut talem præcisionem, v. g. actionis humanæ tantùm, non sit lethalis, si verè & realiter actione illa, scidit Petrus hominem à capite usque ad umbilicum? Absint istæ præcisiones, formalitatèsq;e, quando agitur de rebus, prout sunt à parte rei, inse, ac coram Deo.

Quintum. Familiare erit mihi involare in definitiones, & quidditates rerum in utroque hoc quæstionum ordine. Ex quidditate quippe, seu definitione eruuntur cætera quæ de re illa affirmantur, aut negantur, ut inter explicandum differentias, propriam, & propriissimam dicam disp. 3. Cumque de quidditate rerum non aliter ratiocinemur homines, nisi mediis vocibus, & terminis, hac de causa horum curam maximam habere oportet. Non quia quæstiones detorqueantur ad modos loquendi; sed quia non intelligimur reciprochè, nisi usu terminorum: unde ne in cassum utriusque laboremus, & vociferemur, necesse est quod inter nos conveniat de significatione illorum terminorum. Et hoc stabilito, facilius sese aperit quidditas rei, & ex hac quidditate eliciuntur, quæ quærimus inter disputandum. Primum ergo in quacumque difficultate cujuscumque materię est explorare *quid est verè, & realiter hoc, quod disputamus*, quem sensum, quam significationem habent hi termini?

Alias continget quod non raro experimur. Nimirum, post acre bellum, post ingentes utrinque clamores disputantium unus tendit versus orientem, & alter occidentem versus. Vale.



5 DISPUTATIO PRIMA DE IDENTITATIBUS, AC DISTINCTIONIBUS.

Ecce summam non inter Logicas, sed inter Metaphysicas, Disputationem: Ex hoc enim fonte Scholastici omnes, sive Philosophi illi fuerint, sive Theologi plerasque hauriunt ex suis Conclusionibus. Omnes identitatis, atque distinctionis species congerere, digerere, atque egerere conabimur; Ac decem Capitibus distinctam dabimus disputationem.

- Caput I. *Explicatis terminis resolvantur tres quæstioncule.*
- Caput II. *De Distinctionibus virtuali, ac formali ex natura rei.*
- Caput III. *Multæ objectiones circa capita præcedentia.*
- Caput IV. *Expendantur sigillatim rationes Patris Richardi Lynce.*
- Caput V. *Quid, & quotuplex sit identitas, atque distinctio rationis.*
- Caput VI. *Aliæ huc spectantes quæstiones.*
- Caput VII. *De similitudine, atque dissimilitudine requisita, ut cognitiones distinguant sua objecta per rationem.*
- Caput VIII. *De Præcisionibus objectiva, atque formali.*
- Caput IX. *De Transcendentia formali.*
- Caput X. *Utrum ens transcendat formaliter differentias.*



CAPUT PRIMUM.

Explicatis terminis resolvantur tres Quæstiuncule.

1. **I**dentitas realis (quæ simpliciter vocatur identitas) est *Unitas, seu indivisibilitas in esse*, ut satis colligitur ex Philosopho, communique mortalium apprehensione. E' converso distinctio realis est *multiplicitas, seu divisibilitas in esse*. Quamobrem duo identificari realiter stat in eo, quod illa re ipsa non sint duo, sed unum tantum, licet quoad vocem, apprehensionemque videantur duo. Rectitudo hujus definitionis probatur. Omnis definitio, quæ præcisè explicat id, quod primariò apprehendimus in definito, & per quod differt à cæteris omnibus est recta; sed tales sunt prædictæ definitiones: nam quod illicò apprehendimus, statim, ac audimus duo identificari, est illa duo esse unum, & idem, seu habere unam, & indivisibilem essentiam, & hoc neutiquam consentit non identitati. Rursus quod apprehendimus, ubi primùm audivimus duo distinguere, est illa duo habere multiplicem, seu divisam essentiam, & hoc nullo modo convenit non distinctiōni: ergo &c. Porò in id generis probationibus hæere scupulosè non juvat. Nam, ut scitè monuit Philosophus, definitiones, utpotè principia, non tam probandæ, quàm prudenter supponendæ sunt.

2. Sed objicies cum doctis RR. Omnis definitio identitatis, quæ excogitetur implicitè, aut explicitè claudit verbum *est*, per quod affirmatur de suo definito. At significatum talis verbi est identitas, quàm definire conamur: ergo omnis definitio identitatis claudit ipsam identitatem: ergo nulla definitio identitatis potest esse rigoroſa, & propria definitio. Distinguo majorem: claudit verbum *est* quando præcisè est definitio; nego majorem (quoniam omnis definitio præcisè ut talis censetur pura apprehensio sui objecti; & pura apprehensio cum nihil affirmet, aut neget, minimè claudit verbum *est*) quando affirmatur de suo definito; concedo majorem, & permissa minori distinguo primum consequens. Omnis definitio identitatis quando præcisè est definitio, claudit identitatem; nego consequentiam: Quando affirmatur de suo definito, concedo consequentiam, ex qua non infertur illa secunda consequentia: Omnis namque definitio claudit definitum, quando de ipſo, ut tali affirmatur, ut quando dicimus: *Homo est animal rationale*, quin propterea
omnis

Explicatis terminis resolvuntur. 7

omnis definitio vitiosa sit. Effet tamen vitiosa, si ut definitio præcisè clauderet definitum sub illo eodem termino, sub quo definitum vocatur.

3. Identitas alia est pura, alia est mixta. Identitas pura est omnium maxima, seu quæ nulli prorsus admiscetur distinctioni, v.g. identitas inter hominem, & hominem. Identitas mixta est illa, quæ alicui admiscetur distinctioni: cumque distinctio possit excogitari tum virtualis, tum formalis ex natura rei, tum formalis per rationem, de quibus infra disceptabimus, idèd multæ exurgunt species identitatis mixtæ. Ex hoc principio concludo disputatione de rerum connexionem, & oppositionem cap. 1. num. 16. inter identitates reales, seu connexiones Logicas alias esse majores aliis, etiam intensivè, seu in ratione identitatis, ubi scrupulus, qui suboriri potest, rescinditur. Hinc etiam elicitur, quod quamvis Personalitates Divinæ fruantur eadem prorsus, atque indivisâ essentiâ; nihilominus non identificantur immediatè, sed mediatè solum in essentia Divina; nempè quia identitas, quam habent cum essentia Divina non est pura, sed mixta distinctione virtuali, quæ mixtio identitatis, ac distinctionis, arcanum nostræ fidei est Myſterium.

4. Distinctio est multiplex; alia enim est distinctio realis; & alia rationis. Ea distinguuntur realiter, quæ independenter ab omni operatione intellectûs talia sunt, ut etiam si existerent in rerum natura, non posset unum verè affirmari de altero, v.g. Petrus, & Paulus. De distinctiōne formali, seu rationis postea agemus. 2. Distinctio realis alia est positiva, alia negativa. Illa, quæ versatur inter conceptus objectivos veram, & realem essentiam habentes; v.g. distinctio, quæ datur inter Petrum, & Paulum. Hæc aliquando sumitur pro distinctiōne, quæ datur inter duas negationes, v.g. inter carentiam Petri, & carentiam Pauli (& hanc acceptionem respuo, quippe in disputatione de ente rationis, & carentiis nego conceptibilia esse ab intellectu objecta illa, quæ in se ipsis sint carentiæ, aut impossibilia, eò quod præſè loquendo objectum terminativum cujuscunque cognitionis tum humanæ, tum Angelicæ, tum Divinæ sit existentia physica vera, & realis) aliquando autem, & proprius sumitur pro negatione identitatis: sic possibilitas, essentia, atque existentia Petri v.g. dicuntur à nobis sequutis Ex: D. Suarium distinguere purè negativè, nempè quia non semper exercetur verè, & propriè identitas inter illas, scilicet quando non existunt in rerum natura. 3. Distinctio alia est adæquata, seu totalis; alia inadæquata,
seu

seu partialis . Tunc A: v. g. distinguitur adæquatè à B, quando nec est totum B, nec ipsum intrinsecè constituit, neque intrinsecè per ipsum constituitur, neque constituitur per aliquid, per quod ipsum B constituitur .

5. Sic Petrus distinguitur adæquatè à Paulo; quippe neque est totus Paulus, neque Paulum intrinsecè constituit, neque per Paulum intrinsecè constituitur, neque constituitur per aliquid, per quod constituitur Paulus . Tunc verò distinguitur inadæquatè duntaxat A, quando intrinsecè constituit rem B, aut per ipsam intrinsecè constituitur, aut per aliquid, per quod constituitur res B (sic casu, quo forma ligni, & forma ignis informarent eandem materiam, darentur duo composita inadæquatè tantùm distincta, nimirum lignum, & ignis . Nam etsi lignum neque esset totus ignis, neque intrinsecè constitueretur per ignem, constitueretur tamen per aliquid, per quod constituitur ignis, nempe per eandem materiam primam) v. g. homo, & sua Anima distinguuntur solùm inadæquatè, nimirum quia Anima intrinsecè constituit hominem . Unde ut inter A, & B exerceatur distinctio realis adæquatè, est simpliciter necessarium, quod totum A non sit totum B: si enim totum A fuerit totum B, neque adæquatè, neque inadæquatè discernetur ab illo . Hanc explicationem distinctionis adæquatæ, & inadæquatæ sedulò advertere oportet ad repellenda importuna nonnulla sophismata .

6. Distinctio alia nuncupatur realis absoluta, alia modalis . Distinctio realis absoluta est, quæ versatur inter duas entitates, quarum neutra est actuale, formale, atque immediatum exercitium, medio quo altera subeat ullam denominationem: v. g. distinctio, quæ Petrum discernit à Paulo . Distinctio modalis est, quæ versatur inter duos modos, seu inter rem, & modum . Porro modus vocatur illud, quod fuerit actuale formale, atque immediatum exercitium subeundi aliquam denominationem illarum, quæ non identificantur ex genere suo cum objecto subeunte talem denominationem . Sic unio Physica duorum est modus amborum, quia est actuale, formale, immediatumque exercitium, vi cujus ambo denominantur unita; & hæc denominatio non identificatur ex genere suo cum objecto denominativo . 5. Distinctio dividitur in virtuales, & formalem ex natura rei .

7. Distinctio virtualis accipitur trifariam . Primò pro fundamento objectivo, quod extrema realiter identificata præbent intellectui, ut diversimodè ea concipiat, & in hoc sensu eadem est cum
distin-

distinctioe rationis ratiocinatae . 2. Pro virtute, seu capacitate, quæ extrema identificata æquivalent quoad aliqua munera rebus distinctis . Sic virtus calefactiva solis, & virtus illuminativa distinguuntur distinctioe virtuali, quia in ordine ad calefaciendum, & illuminandum æquivalent luci, & calori, quæ sunt extrema realiter distincta . Ambæ hæc acceptiones sunt latissimæ, neque de ipsis disputaturi sumus postea . 3. Accipitur distinctio virtualis, & quidem strictissimè, pro capacitate, quam habent, aut dicuntur habere extrema identificata suscipiendi sine contradictione duo prædicata contradictoria . Sic Paternitas v. g. & essentia distinguuntur invicem virtualiter, quia ita inter se identificantur, ut de Paternitate verificetur *non communicari Filio* (siquidem Pater non est Filius) de essentia verò affirmetur *communicari Filio*, quandoquidem Deus est Filius .

8. Distinctio formalis ex natura rei, quam probabiliter tenent Scotistæ omnes, stat in eo, quod formalitates, seu prædicata ejusdem entis ita suscipiant prædicata contradictoria, ut actu, atque independenter ab omni intellectus operatione inter se distinguantur dictæ formalitates: Qui enim fieri potest, ajunt Scotistæ, ut animal v. g. actu, ac independenter ab omni intellectus operatione, sit ratio assimilandi hominem equo; & rationale actu, & independenter ab intellectus operatione non sit talis ratio, quin animal actu, & independenter ab intellectus operatione distinguatur à rationali . Quamobrem ambæ hæc distinctiones conveniunt in eo, quod extremis identificatis tribuant capacitatem suscipiendi duo prædicata contradictoria: differunt tamen inter se, quod distinctio formalis ex natura rei actu, & independenter ab intellectus operatione sit distinctio (atque ob hanc rationem vocatur distinctio *ex natura rei*, & ulterius additur *formalis*, quia versatur inter formalitates, seu prædicata ejusdem entis .) Distinctio autem virtualis non est actu, & independenter ab omni operatione intellectus *Distinctio*, sed summa identitas, perinde tamen se habens, ac si distinctio foret; quemadmodum Prorex non est verè, & simpliciter Rex, perinde tamen se habet in ordine ad multa Regiæ Majestatis characteristica, ac si esset Rex . Idem respectivè de Vicario Episcopi .

9. Dices distinctio virtualis stat formaliter in capacitate suscipiendi duo contradictoria; sed hæc capacitas datur in Divinis à parte rei, seu independenter ab omni intellectus operatione, ut patet: ergo distinctio virtualis datur à parte rei . Respondeo: Aliud est, quod detur à parte rei illud, quod est distinctio virtualis: aliudque

longè diversum, quòd à parte rei sit distinctio; quemadmodum aliud est, quòd datur independentè ab intellectu id, quod est universale. Aliud verò quòd independentè ab intellectu sit universale: illud primum est verum: hoc secundum falsum. Sic in præsentiarum à parte rei datur id, quod est distinctio virtualis in Divinis, nempe capacitas suscipiendi duo contradictoria, attamen non est à parte rei *distinctio*. Namque distinctionem esse distinctionem virtuales stat in eo, quòd *cum non sit distinctio*; sed summa identitas, perindè se habeat, ac si distinctio foret. Sicut quatuor argenteos v. g. esse virtualiter unum aureum consistit in eo, quòd cum re ipsa non sint unus aureus, perindè se habeant ad multos usus, ac si essent unus aureus. Hinc ad objectionem datis præmissis, aut nego sophisticam consequentiam, aut potius distingo: *Distinctio virtualis datur à parte rei, & est à parte rei distinctio*, nego consequentiam; & non est à parte rei distinctio, concedo consequentiam.

§. II.

10. **H**is suppositis divisionibus distinctionis, rogabis primò, An, ut duo distinguantur realiter simpliciter, sufficiat, quod unum non sit absolutè, & simpliciter alterum. Respondeo negativè, aut claritatis gratia respondeo cum distinctione: Quod unum non sit absolutè, & simpliciter alterum potest provenire, vel ex eo præcisè, quòd neutrum existat in rerum natura (si enim neutrum existat in rerum natura, perspicuum est, quòd alterum non identificabitur absolutè, & simpliciter cum altero; implicat enim, quòd datur absoluta, & realis identitas inter ea, quæ non sunt) vel ex alio capite. Si ex primo capite unicè provenerit, non probat, illa duo realiter simpliciter distinguì inter se. Sin verò quòd unum non sit absolutè alterum, ex alio capite distincto nascatur, probabit, illa duo realiter simpliciter distinguì mutuo (omitto consultò aliud tertium caput, unde oriri potest, quòd unum non sit absolutè alterum, & cujus memini in disputatione de ente rationis, & carentiis; quippè illud ad rem præsentem non venit.) Probo primam partem. Animal, & rationale Antichristi modò non existentis non identificantur inter se modò absolutè, & simpliciter propter rationem nuper datam: & tamen non distinguuntur inter se absolutè, & positivè ergo fieri potest, ut non distinguantur absolutè, & positivè illa quæ non identificantur absolutè, & simpliciter.

Et

11. Et ratio est: eo ipso, quòd duo non existant absolutè in rerum natura, non identificantur inter se absolutè (implicat enim dari absolutè identitatem eorum, quæ non dantur absolutè; Identitas quippè est penitissimè intima, atque essentialis illis, quæ identificantur) At fieri potest, quòd duo non existant in rerum natura, quin distinguantur ad invicem, ergo. Probat minor. Tum ob nuperum exemplum, tum quia eo ipso, quòd non verificetur aliquid de uno, quòd in eodem sensu non verificetur de altero, ea duo non distinguuntur realiter inter se. (Hoc namque tametsi non sufficeret, ut ea duo distinguerentur; est tamen indispensabiliter necessarium, ut distinguantur.) At fieri potest, ut duo non existant in rerum natura, quin verificetur aliquid de uno, quòd non verificetur de altero; ergo fieri potest &c.

12. En Cardinalem rationem, cui innixi repellimus discursum, quo suffulti nonnulli Magistri distinctionem realem prædicativam invehere conantur inter possibilitatem, & existentiam rerum. Probo secundam partem, nimirum, quòd unum non sit absolutè aliud, probare ea duo distinguì inter se realiter positivè, si illud nascatur ex alio capite, quàm ex eo, quòd neutrum existat in rerum natura. Eo ipso, quòd unum possit existere in rerum natura, quin identificetur cum altero, ea duo distinguuntur invicem realiter simpliciter (nam eo ipso illa duo fungentur multiplici, atque divisiva essentia; si enim amborum essentia esset una, atque indivisiva, quemadmodum non potest existere unum in rerum natura, quin secum ipso penitus identificetur; ita existere nequiret absque identitate aliqua cum altero) sed eo ipso, quòd unum non sit absolutè alterum, & hoc non proveniat unicè ex eo, quòd neutrum existat, unum potest existere in rerum natura, quin identificetur cum altero, ut consideranti patebit: ergo &c.

13. Objicies contra primam partem. Conceptus distinctionis realis simpliciter talis stat formaliter, & immediatè in eo, quòd unum non sit aliud, juxta communem apprehensionem, & juxta D. Thomam; sicut conceptus identitatis realis stat formaliter in eo, quòd unum sit aliud: ergo eo ipso, quòd unum non sit aliud, distinguuntur realiter simpliciter ab illo alio. Confirmatur. Eo ipso, quòd duo nunquam possint absolutè, & præsciendendo ab omni hypothese identificari, distinguuntur realiter simpliciter: At eo ipso, quòd semel unum non sit aliud, nunquam possunt absolutè, & præsciendendo ab omni hypothese identificari, quoniam realis identitas

B 2

non

non est ad nutum variabilis: ergo eo ipso &c. Confirmatur secundò. Unum non esse absolutè, & simpliciter aliud, tametsi per nos minimè arguat, ea duo distingui realiter simpliciter; evincit nihilominus, ea duo distingui *negativè* etiam per nos: at quæ semel distinguuntur, semper distinguuntur, eò quòd distinctio sit summè essentialis illis, quæ distinguuntur: ergo ea, de quibus verificatur, unum non esse aliud, semper, ac pro omni casu distinguuntur *negativè*: sed hoc est manifestè falsum juxta nostram doctrinam: siquidem illa duo, quando existunt in rerum natura, non distinguuntur inter se *negativè*, cum potius inter se identificentur: ergo. Confirmatur tertio: Si quòd animal v. g. Antichristi, & rationale non identificentur modò absolutè, & simpliciter, duntaxat probat distingui inter se *negativè*; similiter Petrus, & Joannes modò non existentes identificantur *negativè* inter se. Probatur sequela paradoxa. Idèd animal, & rationale Antichristi distinguuntur *negativè*, quia non exercetur in rerum natura eorundem identitas. At similiter non exercetur in rerum natura distinctio inter Petrum, & Joannem modò non existentes; quoniam hæc distinctio est summè identificata cum ipsis, proindeque incapax existendi, quando ipsi non existunt in rerum natura: ergo.

14. Probat objectio cum suis confirmationibus, Petrum non-existentm distingui realiter simpliciter à se ipso (siquidem quando non existit in rebus, non identificatur absolutè, & simpliciter secum ipso, ut constans est;) quòd devoret, qui capacius guttur habebit. Distinguo antecedens: stat formaliter, & immediatè in eo, quòd unum non sit aliud, si hoc unicè proveniat ex eo, quòd neutrum existat, nego antecedens ob dicta num. 7. recognosce illa: si ex alio capite proveniat, permitto antecedens. Et in hoc sensu intelligendus est D. Thomas, quem suspicari non possumus tradidisse regulam adèd universalem, ut ex illa inferatur, prædicata rei non existentis absolutè, & simpliciter in rerum natura distingui realiter simpliciter inter se; & nego consequentiam. Adjunctæ paritati, cui fundamentum præbent docti PP. tract. 2. Logicæ disp. 1. num. 3. respondeo. Quemadmodum conceptus identitatis realis stat in eo, quòd unum sit alterum, quando ambo existunt (nempè quia dum neutrum existit, impossibile est, quòd unum sit verè, & absolutè alterum.) Ità conceptus distinctionis realis potest consistere in eo, quòd unum non sit alterum etiam casu quo utrumque existat. Si enim quòd unum non sit alterum duntaxat provenerit ex eo, quòd

neu-

neutrum existat, minimè concludit distinctionem realem inter illa duo ob sæpe dicta. Ne igitur audias P. Ariaga infra citandum dicentemque, esse evidens ex terminis, duo distingui consistere in eo, quòd non identificentur.

15. Ad primam confirmationem concessa majore distingo minorem. Eo ipso, quòd semel unum non sit aliud eo solo titulo, *quòd neutrum existat*, nunquam possunt &c. nego minorem (quoniam nunc, & de præsentì Animal, & rationale Antichristi non identificantur absolutè, & simpliciter; & tamen possunt aliquando absolutè identificari, nempè quando ambo existant in rerum natura) si hoc ex alio capite proveniat, concedo minorem, negoque consequentiam. Ad minoris probationem respondeo. Identitas realis non est ad nutum variabilis positivè, hoc est, nec de potentia Dei fieri potest, ut existentibus in rerum natura aliquibus conceptibus jam detur, jam non detur eorundem identitas. Est tamen ad nutum variabilis negativè, hoc est potest Deus facere, ut absolutè identificentur Animal v. g., & rationale Antichristi, & potest facere, ut non identificentur absolutè, ac simpliciter, hunc videlicet destruendo, seu non producendo. Ad secundam confirmationem concessa majori, distingo minorem. Quæ semel distinguuntur *positivè* semper distinguuntur, permitto minorem; quæ semel distinguuntur *negativè tantùm* semper distinguuntur, subdistinguo; si hoc unicè proveniat ex eo, quòd non existant absolutè, & simpliciter, nego; si aliundè proveniat, permitto minorem, negoque consequentiam.

16. Explicatur. Quæ semel distinguuntur *positivè* semper distinguuntur: nam duo distingui positivè (prout in præsentiarum accipitur) stat in eo, quòd existant, aut saltem existere possint, quin habeant eandem essentiam: quæ autem talia sunt, semper distinguuntur ob rationem, quam exhibet ipsum argumentum contrarium. Præterea quæ semel distinguuntur negativè, quin hoc proveniat ex eo, quòd neutrum existat, semper quoque distinguuntur ob rationem, quam supra dedimus num. 8. Quæ autem semel distinguuntur negativè tantùm, quia neutrum existit in rebus, non semper distinguuntur ob exemplum, & discursum supra exhibitum num. 7. Neque ratio contraria urget; quoniam licet distinctio positiva sit summè essentialis eis, quæ distinguuntur; non tamen distinctio purè negativa unicè fundata in eo, quòd neutrum existat; siquidem non est essentialis rebus non existentibus hoc, quòd est, non existere. Ad tertiam confirmationem, vel permitto sequelam, quam

para.

paradoxam non esse suadetur discursu ipso contrario, ibi adducto; vel nego illam: & disparitas est: non est locutio usitata in Scholis, duo extrema identificari negativè eo solo titulo, quod non exerceatur absolutè in rebus eorundem distinctio: Est verò locutio usitata, & auctoritate Exim: Doctoris Svarii suffulta, duo extrema distinguuntur negativè, eò quòd non exerceatur absolutè in rebus ipsorum, identitas. Lege P. Ariagam.

Disput. 1.
Metaph.
num. 92.

§. III.

17. **R**ogabis 2. An sit possibilis distinctio prædicativa inter extrema, quæ non distinguuntur entitativè? Sapientissimus P. Andreas Junius multus est in suadendo hanc unionem distinctio- nis prædicativæ, & indistinctionis entitativæ: summa est hæc: Duos conceptus objectivos non distingui entitativè, stat formaliter in eo, quòd includant eandem, seu easdem entitates, neque plures, neque pauciores. Rursus, illos distinguuntur negativè, stat in eo, quòd unus nequeat verè prædicari de altero. Atqui fieri potest, ut duo conceptus objectivi includant easdem prorsus entitates, neque plures, neque pauciores; Et tamen quod unus nequeat verè prædicari de altero, ut exemplis hinc inde agglomeratis scitè admodum probat: ergo fieri potest, ut duo conceptus objectivi non distinguantur entitativè, & tamen quod distinguantur prædicativè. Ecce passim doctrina, quam per Philosophiam, & Theologiam spargit perdoctus hic Magister. Arrisit multis, & doctis quidem PP. hæc idea: nobis autem nunquam, nisi temperetur. Dico igitur: vel distinctio prædicativa est distinctio purè negativæ, vel est distinctio positivæ. Si primum: assentior P. Junio, & puto, extrema indistincta entitativè posse distinguuntur prædicativè. Si secundum, quod conformius videtur menti horum AA., dissentior, & reor, impossibile esse distinguuntur prædicativè extrema indistincta entitativè. Hac explicatione obviam procedo in disputatione de rerum possibilitate, nec non de ente rationis, atque carentiis, argumentis, quibus contrarii conantur invehere distinctionem prædicativam interpossibilitatem, ac existentiam, & carentiam.

Lib. de
Essè, &
non Essè
cap. 3.

18. Probo primam partem. Hi duo conceptus, *Antichristum esse possibilem*, *Antichristum esse existentem* non distinguuntur inter se entitativè, ut modò suppono, & tamen distinguuntur negativè: quandoquidem non exerceatur physica, & realis identitas inter utrum-

utrumque, eò quod neque existat in rerum natura hoc, quod est, *Antichristum esse possibilem*, neque hoc, quod est, *Antichristum esse existentem*: ergo fieri potest, ut duo conceptus objectivi non distinguantur entitativè, & tamen quod distinguantur negativè: ergo si distinctio prædicativa fuerit distinctio purè negativa, fieri potest, ut distinguantur prædicativè extrema indistincta entitativè. In hac acceptione non respuimus distinctionem prædicativam. Probo 2. partem. Ut duo distinguantur positivè, tamen non sufficiat, nihilominus est simpliciter necessarium, quod aliquid possit convenire uni, quod in eadem terminorum acceptione non conveniat alteri. (Si enim hoc non contingat, fiet, illa duo in omnibus, & per omnia, nullo dempto convenire, quanquam acceptiones, seu suppositiones terminorum sint diversæ. Si autem in omnibus, & per omnia nullo dempto conveniunt, imperceptibile videtur, quòd positivè distinguantur.) At si duo conceptus objectivi indistinguuntur entitativè, nequit fieri, ut aliquid conveniat uni, quod in eodem sensu, & terminorum acceptione non conveniat alteri, ut disputatione de possibili exponam: ergo si duo conceptus indistinguuntur entitativè, nequeunt distinguuntur positivè, tamen distinguantur tùm entitativè, tùm prædicativè acceptiones, seu suppositiones illorum extremorum: ergo neque prædicativè, si distinctio prædicativa sit positiva.

§. IV.

19. **R**ogabis 3. An gradus metaphysici cujusvis individui distinguantur inter se realiter, aut à suis differentiis individualibus? Vocantur gradus metaphysici prædicata illa, quibus intrinsecè constat quodvis individuum, v. g. Animal, rationale, vivens, substantia, Ens. Et quidem vocantur gradus, quia per dicta prædicata, quasi per quosdam gradus ascendimus usque ad supremum prædicatum, quod solet dici hic conceptus *Ens*. Respondeo, prædictos gradus, sive prædicata non distinguuntur realiter inter se, aut à suis differentiis individualibus. Probo 1. partem, & loquamur de animali, & rationali Petri: extrema creata, quæ identificantur cum eodem tertio prorsus singulari, identificantur inter se. Atqui animal, & rationale identificantur cum eodem tertio prorsus singulari, nempe cum Petro, de quo verè prædicantur: ergo hæc prædicata identificantur inter se; ergo non distinguuntur realiter inter se. Antecedens

latè

latè explicui inter exponendum illud principium. Quæ sunt eadem uni tertio &c. in Prodromo disp. 1. cap. 3.

20. Probo secundam partem videlicet, prædicata metaphysica Petri identificari cum suis differentiis individualibus. Porro differentia individualis vocatur forma, seu ratio ea, vi cujus formaliter, atque immediatè unum individuum distinguitur ab alio. Sic argumentor cum P. Ribadeneyra, tacitas præteriens rationes, quibus alii Magistri utuntur. Rationale Petri per se præcisè, ac independentè, seu præscindendo à quovis alio superaddito, distinguitur à rationali Pauli: ergo ipsum est sua distinctio, seu sua differentia individualis. Probatur antecedens: Omne, quod per se præcisè, ac independentè à quocunque alio habet aliquid, quod rationale Pauli non habet per se præcisè, ac independentè à quocunque alio, distinguitur realiter, aut *virtualiter tantum* per se præcisè à rationali Pauli. Videtur evidens. At rationale Petri per se præcisè, ac independentè à quocunque alio, habet aliquid, quod rationale Pauli non habet per se præcisè: ergo rationale Petri per se præcisè, ac independentè à quocunque alio distinguitur, aut realiter simpliciter, aut *virtualiter tantum* à rationali Pauli. Sed non virtualiter tantum, quia implicat in creatis hæc distinctio, ut mox dicam, virtualis tantum, hoc est distinctio virtualis admixta identitati reali.

21. Ergo rationale Petri per se præcisè, ac independentè à quocunque alio, distinguitur realiter simpliciter à rationali Pauli. Minor nuperi syllogismi probatur. Rationale Petri per se præcisè, ac independentè à quocunque alio habet esse hoc rationale Petri. Rationale autem Pauli non habet per se præcisè, ac independentè à quovis alio esse hoc rationale Petri. Quoniam nil essentialius cuivis entitati, quàm esse entitatem, quæ est, & non esse entitatem, quæ non est; quod si strenuè negaveris, strenuè inferam, non esse essentialè isti differentia superaddita distinguere unum rationale ab altero, oportereque proinde aliam, quasi reflexam comminisci differentiam individualem, vi cujus rationale Petri, & prima differentia individualis hujus fecernatur à rationali Pauli: Tunc de hac secunda differentia redibit argumentum, & abibimus in infinitum, vel sistendum erit nobis in aliqua differentia, quæ per suamet. essentiam à quocunque alio præscindendo, habeat esse, quod est, & non esse quod non est. Hoc ergo dicimus de ipso rationali Petri, & sic ab istis differentiis superadditis nos expedimus.

22. Hac forma arguendi præcaventur effugia adversariorum. Ajunt,

Ajunt, rationale Petri, præscindendo à differentia individuali superaddita, neque distingui à rationali Pauli, neque cum illo identificari; quemadmodum paries, præscindendo ab albedine, neque est albus, neque niger. Addunt, rationale Petri, ut præscindens à differentia superaddita distingui *ut quod*, non verò *ut quo* à rationali Pauli. Sed contra. Quod rationale Petri ut præscindens à differentia superaddita distinguitur, & distinguitur *ut quo* à rationali Pauli, stat formaliter, & immediatè in eo, quòd rationale Petri ut præscindens à præfata differentia habeat aliquid, & quidem per solam suamet. essentiam (ecce istud *quo*) quod per solam suam essentiam non habeat rationale Pauli. Sed hoc ita esse, probatum est per superius argumentum. Repete illud: ergo istæ solutiones refutatæ manent per superius argumentum. Hic pro reseccanda æquivocatione nota. Aliud est, quòd rationale Petri ut præscindens ab *omni* differentia individuali distinguitur à rationali Pauli: aliud autem, quòd sic distinguitur, ut præscindens à differentia individuali *superaddita*. Non dicimus primum, tum quia est manifestè falsum, tum quia est impossibilis illa præcisio: esset namque illud rationale præscindere à se ipso. Dicimus igitur secundum. Et cum ista differentia superaddita sit per se distincta à rationali Pauli, potest hoc ab illa præscindere.

CAPUT SECUNDUM.

De Distinctionibus Virtuali, ac Formali ex natura rei.



Ultra, & ardua hic molimur: & fastidium vitandi gratia. Caput hoc septem §§. distinctum trademus.

§. I.

An sit possibilis Distinctio virtualis, aut formalis ex natura rei in creatis.

23. **S**upra numero 5. utramque explicavi. Respondeo: neque datur, neque dari potest alterutra ex his duabus distinctionibus inter extrema creata realiter identificata. Probatur 1. Impli-
C cat

cat distinctio, vi cuius de extremis creatis realiter identificatis verificentur duo prædicata strictè contradictoria. Sed tam distinctio virtualis Thomistica, quàm distinctio formalis ex natura rei Scotica est distinctio, vi cuius, si daretur in creatis, de creatis extremis realiter identificatis verificarentur duo prædicata strictè contradictoria: ergo. Minor est sententia ipsa adversariorum. Probo majorem. Implicat dari in creatis totam excellentiam Mysterii Trinitatis, ut talis. Sed si daretur prædicta distinctio, daretur in creatis tota excellentia Mysterii Trinitatis ut talis. Probatur: tota excellentia Mysterii Trinitatis ut talis consistit in eo, quod res simplex, atque indivisibilis (qualis est Divina Essentia) communicetur extremis realiter distinctis, quales sunt Paternitas, & Filiatio; non enim est specialis difficultas in eo, quod una producat aliam, semel admissio, quod realiter distinguantur invicem, non obstante, quod realiter identificentur cum eodem tertio singulari. At idem contingeret in creatis, si in creatis daretur alterutra ex istis distinctionibus.

24. Probatur, & ponamus animal, & rationale suscipere hæc duo prædicata ita ut sint strictè contradictoria. *Esse rationem assimilandi hominem equo. Esse rationem non assimilandi hominem equo, seu dissimilandi.* Rationale Petri est res creata simplex, atque indivisibilis. Sed rationale Petri communicaretur extremis realiter distinctis. Probatur. Communicaretur animali (liquidem esset verum dicere, *rationale est animal*) item communicaretur rationi dissimilandi hominem equo (liquidem verum quoque foret dicere, *rationale est ratio dissimilandi hominem equo.*) Atqui animal, & ratio dissimilandi hominem equo essent extrema realiter distincta, cum falso diceretur *Animal est ratio dissimilandi hominem equo*: ergo creata res simplex, atque indivisibilis communicaretur extremis realiter distinctis. In quo stat tota excellentia Mysterii Trinitatis. Profectò si hoc admititur, ut possibile; ut quid dicitur, naturam, quæ est in Petro v.g. esse realiter individualiter distinctam à natura Joannis? Cum juxta ista principia dici posset, in omnibus hominibus esse eandem simplicem, atque indivisibilem naturam identificatam differentiis individualibus realiter distinctis.

25. Probatur secundo. Semel data alterutra ex istis distinctionibus, profus corrueret forma syllogistica, quæ in identitate, ac distinctione nititur. Ceterùm hoc assumptum aliter explicari oportet, quàm explicatur à multis idem nobiscum sentientibus. Aliud est, quod, data distinctione virtuali v.g. rueret Ars syllogistica, *quatenus*

tenus ritè dispositis præmissis non insertur conclusio (& hoc non dico, & hoc acri philosophica censura percellitur à gravibus Doctoribus, & hoc est apertè falsum: quoniam si rectè disponitur syllogismus, etiam in divinis concludit, ubi admittimus distinctionem virtualem, ut expeditenti constabit) & aliud est longè diversum, quod rueret Ars syllogistica, *quatenus nullus esset syllogismus, à quo non posset quivis se explicare*, confugiendo ad latibula distinctionis virtualis; & hoc est, quod dico, & sic probo. Esto, aliquem pro suo libito negare, Petrum esse animal, & alium sic arguere: *omnis homo est animal, sed Petrus est homo: ergo Petrus est animal.* Tunc sic. Admissa distinctione virtuali, aut formali ex natura rei inter Petrum, & hominem poterat facillimè se expedire à prædicto syllogismo, quamvis demonstrativo, ille, qui negaret, Petrum esse animal, dicendo nimirum: Aliud est, quod homo sit animal, & aliud est, quod sit animal omne, quod est homo. Primum est verum; secundum autem, falsum; quemadmodum, aliud est, quod essentia divina sit Filius: & aliud, quod sit Filius omne id, quod est essentia divina. Primum est verum; secundum falsum, scilicet, quia Pater Aternus est Essentia Divina, & tamen non est Filius. Quod totum provenit ex eo, quod inter Patrem, atque essentiam detur distinctio virtualis: si enim, talis distinctio non daretur, non esset aliud, *Essentiam esse Filium*, & omne, quod est essentia Divina, esse Filium; sed potius verificaretur, quod si Essentia est Filius, omne, quod est Essentia, est quoque Filius. Similiter in præsentī poterat dicere ille obstinatus in negando, Petrum esse animal. Cum versetur distinctio virtualis inter Petrum, & hominem, datur locus, ut homo sit animal: & non sit animal omne illud, quod est homo: unde tametsi Petrus sit homo, inde tamen non concluditur, Petrum esse animal, quam fugam in quacumque alia materia posset arripere homo contumax.

26. Et ratio est. Petrum v. g. & hominem distingui virtualiter, stat in eo, quod licet revera non distinguuntur, perinde tamen se habeant in ordine ad contradictoria suscipienda, ac si distinguerentur realiter simpliciter. Sed si distinguerentur realiter simpliciter illegitimè argueretur, Petrum esse Animal ex eo, quod homo esset Animal: ergo si virtualiter distinguuntur, arguitur similiter illegitimè. Quamobrem si distinctio virtualis, aut formalis ex natura rei semel admittatur in Scholis, omnes syllogismi innixi extremorum identitati erunt irriti: vel omnes disputationes desistent ad indagandum, An detur, vel non detur distinctio dicta inter extre-

ma, de quibus est sermo. In hoc sensu intelligo AA. agentes, artem syllogisticam non subsistere in Divinis ob distinctionem virtuales ibi repertam, & in hoc sensu immeritò dissentiunt Adversarii. Denique nihil magis famosum in Ecclesia, quàm summa Arduitas Mysterii Trinitatis; quæ tota stat in eo, quòd de Paternitate v. g. & essentia realiter identificatis verificentur prædicata contradictoria. Quæ autem arduitas est indigens specialissimo Dei auxilio, captivitatequè intellectus illà, quam passim detegit intellectus humanus in prædicatis cujuslibet creaturæ, in quibus juxta vestram sententiam datur capacitas suscipiendi duo contradictoria?

§. II.

An Distinctio Virtualis, aut Formalis admittenda sit in Divinis.

27. **A**Dverte, quæ hinc sequuntur usque ad cap. 3. non sunt promerè Logicis; sed Theologis solis exponimus illa: hic autem exponimus propter reciprocam cõnexionem inter has difficultates. Ex alterutra namque distinctione, quarum una saltem admitti debet in divinis, trahit originem, quod à multis ponatur etiam in creatis id, quod nos negamus. Et ex hac negatione poterat alius arguere ambarum negationem in divinis. Rem ergo utcumque explicaturus summè theologicam, dico. Hujus Mysterii difficultas non bene explicatur per distinctionem realem simpliciter talem inter Personalitates Divinas, atque essentiam. Neque per distinctionem formalem ex natura rei. Neque negando, contradictoria convenire personalitatibus, & essentiæ, eo quòd illæ communicentur mutuo eodem modo, quo essentia communicatur, & hæc non communicetur, eo modo, quo illæ non communicantur. Neque per distinctionem actualem inter essentiam, & personalitates similem ei distinctioni, quæ versatur inter rem, & modum. Neque per solam distinctionem rationis consistentem in eo, quòd *communicari, & non communicari* verificentur de Divinis, ut substantibus nostro imperfecto modo cognoscendi. Igitur verius explicatur ingens hujus Mysterii difficultas per distinctionem virtuales inter essentiam, atque Personalitates: cùmque distinctio hæc virtualis non sit à parte rei distinctio, ut supra notavi, semper subsistit, solam distinctionem ratio-

rationis discernere relationes Divinas ab essentia. Ecce sententias omnes, quas hac supra re Theologi discutunt.

28. Dico ergo primò. Non datur distinctio realis simpliciter talis inter Personalitates, & essentiam. Est contra Gilbertum dogmatizantem, Personas Divinas componi ex natura Divina, & propriis subsistentiis, non fecus, ac homo ex humanitate, & subsistentia componitur. Fatebatur hic Theologus, Unitatem Essentiæ Divinæ, & Personarum Trinitatem; inficiabatur verò identitatem Personalitatum cum essentia. Probatur nostra conclusio, tum quia oppositum fuit conceptis verbis damnatum in Concilio Rhemeni, ubi S. Bernardus Gilbertum ipsum ad palinodiam coegit. Tum quia coram Synodo Florentina tacente, & non obscure approbante sæpè fuit inculcatum ab Interlocutore Latino, inter Personalitates, & relationes duntaxat versari distinctionem *secundum intelligentiam rationem*: ergo non distinctio realis simpliciter talis. Tum quia, ut optimè D. Bernardus, vel Paternitas est major deitate, vel minor, vel æqualis. Primum est apertè impossibile. Si secundum: ergo Paternitas est creatura. Si tertium; ergo Paternitas est Deus: cùmque per te distinguatur à Deitate realiter simpliciter, concludetur, dari duos, imò quatuor Deos realiter distinctos.

29. Dico secundò. In Divinis non datur distinctio formalis ex natura rei. Probatur. Ubi solùm datur *distinctio rationis*, aut *secundum intelligentiam rationem*, non datur distinctio formalis ex natura rei: nam cùm hæc non sit illa, sed major, quàm illa, ubi duntaxat detur illa, non potest dari hæc. Sed inter Personalitates, & essentiam solùm datur distinctio rationis, ut frequenter loquitur Concilium Florentinum idest Joannes Theologus coram eo Concilio audiente, atque tacente: ergo ibi non datur distinctio formalis ex natura rei. Neque hoc argumentum potest in nos retorqueri contra distinctionem virtuales, realemque in tertio, nam ut postea exponemus, ambæ hæc distinctiones sunt præcisè distinctio rationis inter essentiam, & Personalitates: quòd circa dari solam distinctionem rationis, non impedit, dari distinctionem virtuales, realemque in tertio. Neque respondeas primò. Intentum Latinorum Patrum in eo Concilio præcisè fuisse, statuere processionem Spiritus Sancti à Filio contra Græcorum errorem. Nam licèt hoc ità sit, nihilominus Patres conciliariter audientes Joannem illum, & tacentes, approbasse videntur, relationes, atque essentiam non *re*, sed *intelligentia*, & *ratione* inter se distingui.

30. Neque dicas secundò, PP. vocem illam *ratione* usurpare, pro quidditate, & ratione objectiva, ut etiam accipit hanc vocem Scotus; tùm quia ille Joannes contraponit distinctionem in re distinctioni rationis, quando ait: *Haud quanquam tamen putare debemus, ut re differant, quandoquidem sola ratione, aut intelligentia differre creduntur*: ergo vocem illam *ratione* non usurpat pro distinctione objectiva, seu quidditativa; tùm quia vox illa *intelligentia* omninò violenter accipitur pro quidditate objectiva, cum clarè significet nostrum modum cognoscendi. Tùm quia nec ipsi Scotistæ censent, Joannem illum fuisse loquutum in prædicto Concilio juxta distinctionem formalem ex natura rei; fuisset autem loquutus juxta illam, si verba illa haberent sensum prætentum. Neque dicas 3. Textum adductum æquè pugnare contra distinctionem virtualem, atque contra formalem ex natura rei: siquidem distinctio intrinseca virtualis aliquid plus est, quàm distinctio rationis. Etenim distinctio virtualis non est actù à parte rei distinctio, sed summa, totalisque identitas, æquivalens tamen distinctioni, ut postea latius exponetur: quapropter tametsi Personalitates distinguantur ab essentia virtualiter, non concluditur distinguì plusquam per rationem.

31. Objicies satis gravem rationem cardinalem Scotistarum. Ea ratione, qua dantur, & verificantur contradictoria, dari debet, aut verificari distinctio, quæ in eis prædicatis fundatur, vel ab eis non distinguitur. At contradictoria hæc, *communicari, non communicari* conveniunt essentiæ, & Personalitatibus ante operationem intellectus, & non purè virtualiter, sed etiam actualiter, & formaliter: ergo distinctio, quæ in eis fundatur, debet dari non per rationem, nec tantùm virtualiter; sed actualiter etiam, ac formaliter. Confirmatur. Distinctio virtualis excusaret à contradictione illa prædicata, quæ tantùm darentur, & verificarentur virtualiter; non tamen illa, quæ actù, & formaliter dantur. Sed *communicari, & non communicari* non dantur in Divinis tantùm virtualiter; verùm etiam actù, & formaliter: ergo distinctio purè virtualis impar est his contradictoriis.

32. Ad objectionem, nego majorem; tùm quia multùm probat; etenim si distinctio debet proportionari susceptioni contradictoriorum; cùm essentia, & Paternitas realiter, simpliciter, & absolute suscipiant contradictoria (siquidem essentia realiter simpliciter communicatur Filio; Paternitas non communicatur realiter simpliciter) oporteret, quòd realiter simpliciter distinguerentur invicem;

vicem. Tum quia sicut calor potest provenire à causa, quæ sit calor, & à causa, quæ re ipsa non sit calor, æquivalet tamen calori, ita existentia actualis, & verificatio contradictoriorum provenire potest à distinctione actuali, & etiam ab eo, quòd, cùm non sit actualis distinctio, huic æquivalet: ergo quòd essentia, & Paternitas actu, & formaliter suscipiant prædicata alioquin contradictoria, non arguit determinatè distinctionem actualem inter utramque, sed actualem, vel virtualem. Ad confirmationem similiter neganda est major, nam sicut per vos distinctio formalis sufficit ad contradictoria, quæ non tantùm formaliter; verùm etiam realiter simpliciter conveniunt essentiæ, & Paternitati, cur distinctio purè virtualis non sufficiet ad idem assumptum? Et ratio est, quia hoc est esse distinctionem virtualem, nempe præstare eundem effectum, quem distinctio simpliciter realis præstaret: ergo quemadmodum distinctio simpliciter realis præstaret vim suscipiendi non tantùm virtualiter, sed etiam realiter simpliciter duo contradictoria; ita similiter distinctio virtualis.

33. Instabis. Duo distingui formaliter ex natura rei, nihil aliud est, quàm quòd sint formalitates identificatæ, & actù independentes ab omni operatione intellectus suscipiant duo contradictoria; atqui essentia, & Paternitas habent utrumque: ergo. Nego majorem. Aliud quippè est id, cujus est causa, aut effectus distinctio formalis ex natura rei; & aliud ipsa distinctio formalis. Susceptio actualis contradictoriorum est apud Scotistas causa, aut effectus distinctionis formalis: verùm non est ipsa distinctio; quemadmodum in creatis susceptio contradictoriorum est effectus, aut causa distinctionis realis simpliciter talis; verùm non quævis susceptio contradictoriorum est formaliter ipsa distinctio realis. Igitur distinctio formalis consistit in eo, quòd unum actù, ac independentes ab intellectu non sit aliud. Et hoc negamus, posse contingere formalitatibus mutuò identificatis. Instabis 2. si inter Paternitatem, atque essentiam non daretur distinctio formalis, daretur opposita identitas formalis; sed non datur; alioquin omnia, quæ conveniunt uni, convenirent alteri: ergo. Nego minorem, & adjunctam probationem. Quoniam licet essentia, & Paternitas identificentur ex natura rei, datur locus, ut æquivalet rebus distinctis in ordine ad suscipienda contradictoria: dari hunc locum constat ex duplici propositione. Prima est: *essentiam, & relationes* non re, sed sola intelligentia, & ratione inter se differre. Secunda est;

est: *essentiam esse communem, secus personalitates*. Utrumque expressum est in Florentino sufficienter.

34. Objicies 2. In Deo dantur multæ perfectiones: sed non realiter simpliciter, nec tantum per rationem: ergo formaliter ex natura rei. Probatnr secunda pars minoris. Tum quia SS. PP. disputantes cum heterodoxis, atque plures perfectiones Divinas stabilientes, ineptè curarent de nostro imperfecto modo concipiendi. Ergo quando statuunt, dari in Deo multas perfectiones, non loquuntur de multitudine earumdem per solam rationem nostram. Tum quia Deus cognoscit de se ipso habere multas perfectiones (falleretur enim, si de se ipso sic judicaret. *Ego sum tantum omnipotens, aut sic. Ego sum tantum sapiens*) ergo cum Deus neque signatè, neque exercitè distinguat per rationem; necesse est, quòd re ipsa, ac ex natura rei habeat multas perfectiones, si de se ipso affirmat, habere multas perfectiones. Ergo hæc multitudo, sive distinctio perfectionum datur re ipsa ex natura rei, & non tantum appareat, seu ratione nostra.

35. Ad objectionem distinguo majorem: dantur multæ perfectiones in sensu positivo; nego majorem: in sensu merè negativo, concedo. Aliud est, quòd in Divinis perfectionibus detur re ipsa multitudo, seu pluralitas. (Et hoc est falsum, quod enim multis vocibus Omnipotentiam, Sapientiam, Justitiam explicamus, unica simplex, ac indivisibilis perfectio est) aliud autem, quod non detur in Deo Justitia tantum, Sapientia tantum &c. Et hoc est verum. Et hoc est, quod SS. Patres intendebant contra Hæreticos: quia tamen vocibus humanis utebantur, & hæc adèd tenues sunt, ut nulla earum divinam perfectionem assequi possit, idcirco multis vocibus distinctionem, sive pluralitatem innuentibus uti cogebantur SS. PP. Quamobrem verum est, quòd non curabant signatè de nostro imperfecto modo cognoscendi; exercitè verò de illo curabant, quatenus loqui, & disputare nequibant, nisi juxta nostrum imperfectum modum cognoscendi. Ad secundam probationem contrariam respondeo similiter. Deus cognoscit, se habere multas perfectiones, quæ tales sint negativè, quatenus cognoscit, se non esse præcisè justum, nec esse præcisè Omnipotentem &c. Item agnoscit, se habere multas perfectiones positivè respectu intellectus creati, quoniam videt nostrum intellectum distinguere illas per rationem. Attamen non judicat, se habere multas perfectiones positivè; nam unico simplicissimo intuitu cernit illud, quod nos multis nominibus vocamus

mus

mus Omnipotentia, Sapientia, Immensitas &c. esse unicam simplicissimam perfectionem.

36. Instant adhuc. Illa sola identificantur formaliter ex natura rei, quæ nullibi reperiuntur separata; atqui Justitia e. g. & Misericordia alicubi reperiuntur separata, nimirum in creatis: ergo adhuc in Deo non identificantur ex natura rei. Confirmant ex SS. PP. quorum nonnulli agnoscunt in Divinis distinctionem formalem, ac actualem. Namque Damascenus ait. *Si dixeris bonum, justum &c. non naturam Dei, sed quæ juxta naturam sunt, dixeris*, & Aug. *Non eo Pater, quo Deus, neque eo Deus, quo Pater*. Ad instantiam distinguo minorem. Justitia, & Misericordia Divinæ alicubi reperiuntur separata; nego, & de his duntaxat loquimur impresentiarum. Justitia, & Misericordia creatæ, concedo minorem, & nego consequentiam. Ad Damasceni, & Augustini verba respondeo, modum loquendi esse juxta modum apprehendendi, & cognoscendi: cumque modus apprehendendi, solemnus apud homines sit præcisivus, idcirco modus quoque loquendi frequentissimus inter homines est præcisivus: quocirca nisi aliunde certius constet oppositum, dicendum est, hos, & alios SS. Patres hac super re loqui præcisivè, & tantum innuere distinctionem rationis, aut virtualem, inter has formalitates Divinas. Hujus interpretationis ratio, non est arbitraria, sed ex summa simplicitate Divina, perspicuaque Florentinæ Synodi disputatione deprompta.

Dam. de
Fide 4.
S. Aug.
lib. 6 de
Trin. ca. 5.

§. III.

Conclusiones negativæ.

37. **D**ico 3. hujus Mysterii difficultas non benè explicatur, asserendo, non convenire prædicata contradictoria, personalitatibus, & essentiæ, eo quod totum quod est in Patre communicetur Filio uno modo, nempe essentialiter; Et totum similiter, quod est in Patre non communicetur Filio altero modo, videlicet *Personaliter*; quin proterea inferatur distinctio ulla objectiva inter essentialiam, & personalitates: quemadmodum totus Petrus distinguitur à Joanne individualiter, & totus ipse Petrus non distinguitur à Joanne specie, quin idcirco ulla versetur distinctio realis inter speciem, & individuum. Hoc modo, & hoc exemplo explicavit Ariminensis Trinitatem, sed falsò. Primò quia nihil magis

D

decan-

decantatum in Ecclesia à Patribus, & Conciliis, quam arduitas, obscuritasque hujus Mysterii, atque idcirco appellatur à cunctis Sacramentum superans lumen naturale. Sed juxta hanc sententiam nullam prorsus continet arduitatem, sicut neque arduum, neque supra lumen naturale est, quod Petrus distinguitur à Joanne individualiter, & non distinguatur specificè: ergo vel tota Ecclesia Catholica pueriliter aggravat difficultatem hujus Mysterii, vel Gregorius à veritate aberrat.

38. 2. Impugnatur à priori ista doctrina, & exempli accommodatio. Prius autem revocandum est in memoriam, non dari à parte rei speciem formalem, eò quod hæc sit denominatio quædam ab actu quodam intellectus oriunda, quem actus intellectum connotat quoque hæc phrasis *species fundamentalis*. Hinc quando dicimus, totum Petrum distingui individualiter, non verò specie à Joanne, affirmatio, & negatio non versantur circa idem omninò subjectum. Quoniam Petrum non distingui specificè à Joanne stat in eo, quod uterque confundi possit sub hoc conceptu *homo*: eundem distingui individualiter, non verò specificè à Joanne stat in eo, quod neuter confundi possit sub hoc conceptu *Petrus* v.g. cumque hi duo conceptus, fundamentaque objectiva ad confusionem sub illis, sint adæquate distincta, idcirco prædictæ affirmatio, & negatio non sunt de eodem secundum idem.

39. Quod si dixeris, te non loqui de specie logica formali, aut fundamentali, quando ais, Petrum non distingui specie à Joanne, sed de specie physica, quæ omninò independens est à nostris conceptibus; in promptu erit redargutio. Propositio, quæ negat, Petrum distingui in specie physica à Joanne, negat definitionem Petri distingui realiter à Joanne; quia juxta dicenda infra cap. de specie in hac distinctione staret, quod specie distingueretur. Rursus propositio, quæ enunciat Petrum distingui individualiter à Joanne, affirmat de Petro suam differentiam individualem. At hæc non est distinctio realis definitionis Petri à Joanne, ut patet: ergo semper subsistit, quod una, & altera propositio enunciant res valde diversas. Hoc autem neutiquam impræsentiarum contingit. Quippè dum inquis, totum, quod est in Patre communicari Filio essentialiter, seu sic *Essentia*, non verò communicari Filio relativè, seu sic *Paternitas*, vel sensus est, hanc individua, & prorsus unicam essentiam esse in Filio, non verò hanc Paternitatem (& sic ecce contradictionem, quandoquidem fateris essentiam esse in Filio, & non Paternitatem) vel sensus est,

est, totum Patrem sub unica consideratione esse in Filio, secus sub altera (& hoc non venit ad rem, nam cum hoc Mysterium detur absolute, & simpliciter à parte rei in suo esse, licet non in suo cognosci, est prorsus independens tum constitutivè, tum connexivè, tum connotativè à nostris considerationibus: Quoniam quidquid sit de nostris considerationibus, Deus est verbum, & Pater non est verbum. Unde licet per diversitatem nostrarum cognitionum temperetur difficultas, quæ dari potest in cognitionibus, quas habemus hujus Mysterii, nec minimum mitigatur difficultas, quæ in ipsius objectiva realitate detegitur) vel denique sensus est naturam Divinam esse speciem quandam respectu Personarum, & has esse individualia quædam naturæ Divinæ, unde provenit, quod sicut Petrus, & Joannes dicuntur habere *eandem naturam*, quanquam individualiter differant inter se: Ità Divinæ Personæ habent eandem naturam, seu essentiam, quanquam relativè, seu personaliter distinguuntur.

40. Si inquam, hæc fuerit mens horum Authorum, omninò rejicienda est. Tum quia apud Concilium Florentinum, à quo potius stare debemus, magis pressè, ac castigatè loquitur Joannes hac super re inquis Concilio approbante de natura Divina. *Quæ cum una numero sit, idcirco non ea ratione communis dicitur, qua est humanitas, sed rationem tantum habet communem, quatenus communicabilis est.* Tum quia si natura Divina non aliam haberet unitatem, quam natura humana, sicut hæc admittit multipliciter hominum, ità illa multipliciter Deorum non respueret, quo circa sicut Petrus, & Joannes ità dicuntur habere eandem naturam, ut tamen sint duo homines: Ità Pater, & Verbum haberent eandem naturam, ut essent duo Dii, quod falsum est.

41. Fateor ex Patribus multos explicare unitatem naturæ Divinæ per unitatem naturæ humanæ, quæ simul reponitur in multis: multos quoque expressè negare, Deum esse singularem, & unicum, quorum testimonia abundè profert P. Ruiz de Montoya. Ceterum potius auscultare debemus Concilii Generalis Interlocutori approbato, maximè quando accuratè, ac ex professo de hac re sermonem instituit. Ratio autem, ob quam PP. quandoque eis locutionibus utebantur, erat diversitas errorum, quos impugnabant; imò ex hoc capite interpretanda, & intelligenda sunt SS. PP. verba. Dicebant, Ariani, Filium utpotè genitum à Patre esse inæqualis perfectionis, proindeque esse Creaturam. Contra Patres agebant, stare benè, Filium, esse productum à Patre, & tamen ejusdem esse

perfectiois, & tunc adducebant exemplum naturæ humanæ, quæ æqualis est in Adamo, & Abele, tametsi hic productus fuerit ab illo. Postea dixerunt Sabelliani, non esse Trinitatem Personarum, sed unicam solum, ita ut voces Pater, Filius, Spiritus Sanctus non significarent distinctas Personas, sed distincta munera ejusdem Dei. Contra hos scripsit Hilarius, nefarium esse asserere Deum unicum, ac singularem, nempe singularitate excludente distinctionem Personarum. Demum asseruerunt Trithei tres Personas esse tres Deos, & contra hos scripserunt Patres, Deum esse unicum, & singularem, singularitate nempe essentia.

42. Dico 4. Inter essentiam, & Personalitates non datur distinctio actualis modalis, quam finxit Durandus; Primum, quia apud Florentinum statuitur per Theologum disputantem nomine Latinorum Divinam substantiam, & relationes ratione tantum distingui inter se: ergo falsum est distingui actualiter modaliter. 2. Quia cum modus non sit res illa, cujus est modus, alioquin sessio esset sedens; si Paternitas foret modus Dei, Paternitas non foret Deus. Objiciuntur aliqui Patres videndi apud Ruiz, qui relationes appellant modos Deitatis. Sed respondetur, esse modos, non à parte rei, sed ratione nostrâ, qui relationes apprehendimus extra conceptum Deitatis, illum tamen necessariò consequentes. Quod autem sint modi ratione nostrâ, erat necessarium ad assumptum Patrum. Ariani namque acriter impugnabant distinctionem rationis; e contra PP. illam tuebantur, utpote omninò necessariam ad humanitus explicandum totam essentiam Patris communicari Filio, non communicata Paternitate; si enim essentia, & Paternitas neque per rationem distinguerentur, inapprehensibile foret, essentiam communicari non communicata Paternitate.

43. Dico 5. Illa prædicata vulgò contradictoria *communicari, non communicari* minimè expediuntur à contradictione per id, quod verificentur de essentia, & Paternitate, ut substantibus diversis actibus intellectus. Dupliciter, ut benè observat P. Herrera, potest intelligi sententia, quam hic refutamus. 1. Quatenus ea Prædicata, non verificentur de essentia, & Paternitate specificativè directè, secundum se, ac primò intentionaliter sumptis, sed de illis reflexè, reduplicativè, ac secundò intentionaliter acceptis, ad modum quo species affirmatur de homine in hac propositione *Homo est species* (& hæc videtur mens fuisse P. Vasquez.) 2. Quatenus illa prædicata affirmantur quidem de essentia, ac Paternitate specificativè, & se-

cun-

cundum se sumptis; diversus tamen modus concipiendi, diversitalque conceptuum objectivorum, ad quos alludunt hæ propositiones. *Essentia communicatur, Paternitas non communicatur*, liberet eas à contradictione: Quemadmodum licet similitudo specifica, perfectioque entitativa duorum hominum sint realiter, & virtualiter idem, nihilominus quia hæ duæ propositiones: *Homines æquant Angelos in similitudine: Homines non æquant Angelos in perfectione*, connotant, innuunt, vel alludunt ad terminos valdè diversos, nimirum *ad similitudinem æqualem, & perfectionem æqualem*: Idcirco neque formaliter, neque illativè sunt contradictoriæ.

44. Similiter impresentiarum. Essentia, & Paternitas sunt profus idem realiter, ac virtualiter. Cæterum quia hæ propositio *Essentia communicatur* significat essentiam veram, & realem communicatam Filio: & hæc *Paternitas non communicatur* negat Paternitatem communicatam, quæ sunt res plurimum diversæ, quandoquidem una est possibilis, alteraque chimerica: inde provenit, præfatas propositiones, neque formaliter, neque illativè esse contradictorias, & hoc independenter ab ulla distinctione objectiva, recurrendo nimirum ad solam diversitatem realem conceptuum objectivorum, quos significant hæ propositiones. Nihilominus ambæ explicationes falsitatis arguuntur. Prima quidem ex duplici capite. Unum est. Si hæ duæ propositiones *Essentia est Filius, Paternitas non est Filius* haberent sensum reflexum, eò quod affirmarent, ac negarent prædicatum de subjecto, ut substante diversis considerationibus; sicut nullus unquam agnovit specialem difficultatem in simultanea veritate harum duarum propositionum. *Homo sumptus secundo intentionaliter est species: Homo sumptus primò intentionaliter non est species*: Ità nullus agnoscere ullam difficultatem debuerat in eo, quòd Essentia Divina communicaretur Filio, secus Paternitas. At hoc est apertè falsum, cum Mysterium Trinitatis semper reputatum sit lydius lapis nostræ Fidei: ergo falsum est, illas propositiones habere sensum reflexum. Alterum est: vel Essentia Divina realiter, à parte rei, independenter à nostris conceptibus est Filius, vel non? Si hoc secundum: ergo Filius non est realiter à parte rei Deus, quod est hæresis. Si illud primum iterum rogo: vel Pater realiter à parte rei independenter à nostris Conceptibus est Filius, vel non. Illud primum est error in Fide. Si hoc secundum: ergo jam habemus, quod realiter à parte rei, independenter à nostris Conceptibus essentia est Filius, & Pater non est Filius. In hoc stat punctum difficultatis: ergo

ergo diversitas in nostro modo cognoscendi, nec prodest, nec officit difficultati præsentī.

45. Respondent quidam apud P. Vasquez, hanc propositionem negativam. *Pater non est realiter à parte rei Filius esse falsam*: Quoniam ratione negationis reddit hunc sensum universalem *Pater non est quippiam quod sit Filius*, qui sensus falsus est, quandoquidem Pater est aliquid, nempe essentia, quod est Filius. Hinc deducunt de Paternitate, ac essentia non verificari duo contradictoria. Et confirmari potest. Ideo est falsa hæc propositio. *Essentia non est ingenita*, quoniam reddit hunc sensum. Essentia non est id, quod est ingenitum, qui sensus falsus est: Quandoquidem essentia est Paternitas, quæ ingenita est: ergo similiter hæc propositio *Pater non est Filius* quippe reddit sensum præfatum. Respondeo, Argumentum, & confirmatio multum probant. Si expositio istarum propositionum genuina esset, sequeretur hanc quoque propositionem esse falsam. *Essentia non distinguitur à Filio*, redderet quippe hunc sensum. *Essentia non est id quod distinguitur à Filio*, qui sensus falsus est. Siquidem essentia est Paternitas, quæ à Filio distinguitur. Dicendum igitur est, istas propositiones non esse isto modo exponendas; nam cum in Divinis misceatur extremorum distinctio cum identitate in tertio (quod in creatis non contingit) idcirco propositiones, quæ affirmant, aut negant modo identitatem, modo distinctionem in Divinis non sunt exponendæ, quemadmodum exponuntur similes propositiones in creatis.

46. Quamobrem hæc propositio: *Pater non est Filius*, sic non est explicanda: *Pater non est id, quod est Filius*, sed sic *Pater distinguitur à Filio*, quæ est propositio dogmatica. Et hinc recrudescit difficultas hujus Mysteriorum, quanquam annueremus opinioni contrariæ, hoc est, quamquam non utamur propositionibus negativis. Tam impossibile est, quod eadem res identificetur realiter cum eodem termino, à quo realiter distinguitur, quàm quod identificetur, & simul non identificetur cum eodem; Item quàm quod distinguatur, & non distinguatur ab eodem. At quidquid sit de negativis propositionibus, quas, inquis, esse falsas; nihilominus de essentia verificatur, identificari cum Filio; de Paternitate autem verificatur, distinguui realiter ab eodem Filio: ergo essentia, & Paternitas non sunt idem: quod falsum est. En totam hujus Mysteriorum difficultatem, quamvis tibi daremus propositiones negativas esse falsas.

47. Ad confirmationem responsionis negandum est antecedens.

Si

Si enim ista ratio esset firma, sequeretur fore, ut esset falsa hæc propositio. *Essentia non est genita*, quoniam negaret, essentiam esse id, quod est genitum. Igitur definitum est ab Ecclesia, essentiam neque generare, neque generari. Quia vel generat tantum, vel generatur tantum, vel generat simul, & generatur, vel neque generat, neque generatur. Non primum, neque secundum, quia non datur potior ratio ad unum, quàm ad aliud. Si enim diceretur essentia generare, quippe identificatur cum Patre, qui generat; cum etiam identificetur cum Filio, qui generatur, etiam diceretur essentia generari. E converso si essentia diceretur generari ed quod identificetur cum Filio, qui generatur; cum etiam identificetur cum Patre, qui generat, etiam diceretur essentia generare: ergo non est potior ratio ad unum, quàm ad aliud: ergo vel dicendum est, essentiam generare simul, & generari (& hoc patet esse impossibile; nam unus ex cardinibus hujus Mysteriorum est necessariò intercedere distinctionem realem inter principium producens, & terminum productum) vel dicendum est neque generare, neque generari, & hoc est, quod ab Ecclesia Catholica sancitum est. Hic est discursus ordinarius, quo suadet illa propositio. *Essentia neque generat, neque generatur*.

48. Respondet secundo P. Ruiz, solam distinctionem rationis sufficere ad rescindendam difficultatem horum contradictoriorum, *communicatur, non communicatur*. Nam ut duæ propositiones sint contradictoriæ, opus est, quod ambarum subjectum sit idem re, & ratione: ergo ed ipso, quod subjecta per rationem distinguantur, propositiones non erunt contradictoriæ. At subjecta harum propositionum. *Essentia communicatur, Paternitas non communicatur* distinguuntur per rationem: ergo non sunt contradictoriæ: ergo in Divinis non verificantur duo contradictoria beneficio solius distinctionis rationis. Sed prompta est redargutio. Verum est, quod, ut duæ propositiones sint contradictoriæ formaliter, opus est, illas habere subjectum idem, etiam per rationem; secus ut sint contradictoriæ illative: & hoc contingeret in præsentiarum: nam ex hac propositione *Paternitas non communicatur*, si tantummodo adesset distinctio rationis Logica, aut Metaphysica, legitime inferretur contradictoria illius *Essentia communicatur* hoc modo: Paternitas non communicatur; sed essentia est omninò realiter Paternitas: ergo essentia non communicatur. Et similiter viceversa. Ecce quomodo ut declines ab unico pari contradictoriorum, incidis in geminum.

49. Insistit idem Author. Ubicumque datur distinctio rationis, est


L. Later
sub Innoc
III. cap. 2

est necessarium, quod etiam detur oppositio affirmationis, & negationis, ut doctè probat ex D. Thoma. Si enim duo extrema in omnibus, & per omnia conveniunt, nequibunt secerni mutuo adhuc per rationem: ergo sola distinctio rationis par est componendis affirmationi, & negationi ejusdem prædicati: ergo eò præcisè, quod Paternitas, atque essentia distinguantur per rationem, potest verificari de essentia idem prædicatum, quod de Paternitate negatur, Multum negotium faceffit hæc instantia aliquibus, & præcipuè accedente autoritate D. Thomæ, sed jam alibi solvimus hunc nodum. Eisdem principiis insistens respondeo. Ubi cunque datur distinctio rationis, intercedere necesse est oppositionem affirmationis, ac negationis reflexæ, non verò directæ: nam cum tota distinctio rationis Logica, & metaphysica unicè consistat in actibus intellectûs; affirmatio, & negatio cadentes supra distinctionem rationis, cadunt supra actus intellectûs, ut suo loco expensum est. Hoc autem non sufficit ad difficultatem præsentem leniendam; siquidem hoc, quod est, esse Filium, non per rationem tantum, sed à parte rei convenit essentiæ: & hoc, quod est distingui à Filio convenit Paternitati independentem omninò à nostris cognitionibus.

50. Probo jam illum secundum modum expediendi à contradictione hæc prædicata *communicari*, non *communicari* expositum à num. 43. esse insufficientem. Et quidem verum censeo, non esse re ipsâ contradictoria ea, quæ in multis tractatibus habentur, ut talia: nempe quia ibi propositiones juxta legitimam expositionem innuunt, connotant, atque significant, terminos ex se antecederet distinctos independentem ab identitate, seu distinctione eorum objectorum, de quibus tunc est sermo, v.g. individuum A amoris esse determinatum per Deum, & speciem amoris non esse determinatam per Deum: Non sunt prædicata contradictoria; scilicet quia cum hæc determinatio sit merè negativa, individuum A esse determinatum, connotat affirmativè exclusionem cæterorum individuorum: & speciem non esse determinatam, connotat negativè exclusionem cæterarum specierum, quæ exclusiones omninò independentem à distinctione, atque identitate hujus individui cum specie, sunt exclusiones realiter distinctæ. Hoc non accidit in præsentem. Transeat, hanc propositionem, *Essentia est Filius* innuere essentiam Divinam veram, & realem identificatam cum Filio; hanc verò *Paternitas non est Filius* enunciare Paternitatem quandam chimæricam identificatam cum Filio; transeat item, hanc Paternitatem, & illam essentiam esse realiter

ter diversas. At cur sunt diversæ, nisi quia aliqua intercedit distinctio, vel actualiter, vel æquivalenter, & virtualiter inter essentiam, & Divinam Paternitatem? Si enim Paternitas, & essentia cum actu formaliter, tum virtualiter essent idem, omne, quod identificatur à parte rei cum essentia, identificaretur quoque à parte rei cum Paternitate: ergo Paternitas communicata Filio esset quid reale, & possibile: ergo quod *Paternitas communicata Filio* sit chimærica, proindeque distincta ab essentia communicata, indispensabiliter postulat aliquam distinctionem, vel actualem, vel virtuales inter Paternitatem, & essentiam.

51. Et explicatur facilè. Si discursus contrarius præter venustatem, robur haberet, possemus defendere, hominem, & equum, nec actu formaliter, nec realiter, nec virtualiter distingui mutuo. Namque propositio hæc: *homo est rationalis*: enunciat affirmativè hominem rationalem; hæc autem, *equus non est rationalis*, enunciat negativè equum rationalem: cumque homo rationalis, & equus rationalis sint objecta plurimum diversa, prædictæ propositiones enunciabunt objecta valde diversa, proindeque contradictoria prædicata non proferent. Quemadmodum ergo dices, prædicatum hujus propositionis, *homo est rationalis*, esse duntaxat rationalitatem, & hanc eandem negari de equo in hac propositione, *equus non est rationalis*; sic dicimus nos, prædicatum hujus propositionis, *Essentia est Filius*, esse tantummodo Filiationem, & hanc solam negari de Paternitate per hanc enunciationem, *Pater non est Filius*. Igitur ut uno verbo rem absolutam, dico, neque omnia, quæ videntur contradictoria, sunt re ipsa contradictoria, neque omnia desinunt esse contradictoria. Regula ad discernendum, quænam sint, & quænam non sint, legitima terminorum expositio esto desumpta ex definitionibus, & acceptionibus per omnes admissis. Atqui prædicata, ad quæ modò confugiunt Adversarii, & alia, quæ alibi congesti, intellecta juxta definitiones, & acceptiones passim admissas, non sunt contradictoria, tametsi contradictoria videantur: Prædicata verò hæc, *Esse Filium*, *Non esse Filium* ex nullo capite desinunt esse contradictoria: ergo illa non sunt, & hæc sunt.



§. I V.

Stabilitur in Divinis Distinctio Virtualis.

52. **T**Ota Trinitatis difficultas tandem tandem devolvitur ad syllogismos expositorios, qui omnium evidentissimi habentur, v. g. *Hic Deus est Filius; sed hic Pater est hic Deus: ergo hic Pater est Filius.* Vel è converso. *Hic Pater non est Filius. Sed hic Deus est hic Pater: ergo hic Deus non est Filius.* Quorum syllogismorum præmissæ gaudent certitudine Fidei, cum conclusiones sint heterodoxæ. Confutavimus cæteras sententias, restat, ut verosimiliorem exponamus, quam multi alii Theologi amplectuntur. Igitur sicut præcis hominibus erat inter fabulas, quod essent Antipodes, decursu tamen sæculorum inventi sunt, & nunc singulis annis itur, & reditur ad illos. Item sicut antiquis Astronomis nil magis sanctum, quam præcisus septenarius numerus Planetarum; usu tamen, ac experientia inventus est major numerus errantium stellarum. Ità præcis Metaphysicis nil magis sanctum, quam quod duo identificari, sit, illa duo ità in omnibus, & per omnia convenire, ut nihil prorsus verificetur de uno realiter, quod eodem modo non verificetur de altero. Id est non fuit illis nota, nisi identitas pura ab omni penitus distinctione, & hujus solius speciebus complerunt cerebrum omnes Philosophi Ethnici.

53. Cæterum ex principiis Fidei invenerunt satis probabiliter Theologi speciem aliam identitatis veræ, & realis, nimirum identitatis æquivalentis in ordine ad aliquid reali distinctioni. Per quam doctrinam, impletum est Vaticinium Gabrielis apud Danielem 12, videlicet *Plurimi pertransibunt, & multiplex erit scientia.* Ex principiis itaque Fidei circa Mysterium Trinitatisprehendimus non obscure identitatem quandam penitus ignotam lumine naturali sibi soli relicto, quæ cum sit realiter, & simpliciter identitas, & neququam sit distinctio actualis, perinde tamen se habet in ordine ad mitigandum contradictionem, ac si distinctio foret. Hanc speciem identitatis vocamus distinctionem virtuales. Cujus quidditas stat in eo, quod cum non sit distinctio actu, perinde se habeat in ordine ad munus dictum, ac si distinctio actu foret. Sicut quidditas Vicariatus stat in eo, quod cum Vicarius non sit Episcopus illius Urbis, perinde se habet in ordine ad multa, ac si Episcopus foret.

Distinctio virtualis, & formalis. 35

foret. Et quidditas Proregietatis in eo stat, quod cum ille homo non sit Rex, perinde se habeat in ordine ad multa, ac si Rex esset.

54. Hanc distinctionem, quæ hoc ipso est distinctio rationis fundamentalis, quia hoc ipso dat nobis fundamentum ad apprehendendum illa extrema instar, seu per speciem distinctorum, in Divinis sic ostendimus. Duos conceptus objectivos distingui virtualiter, consistit in eo, quod ità summè identificentur à parte rei, ut nihilominus aliquid verè, ac propriè identificetur cum uno, quod verè, & propriè non identificatur cum altero. Sed Paternitas, & essentia ità à parte rei summè identificantur (nam Paternitas verissimè est Deus) ut nihilominus aliquid (nempe Filiatio) verè, ac propriè identificetur cum essentia, quia Filius est Deus, quod verè, & propriè non identificatur cum Paternitate, nam Filius non est Pater: ergo. Porro distinctio virtualis duo dicit, unum est, prædictos conceptus nullam inter se à parte rei habere actu distinctionem, sed totalem identitatem; alterum est, illos eosdem conceptus objectivos suscipere prædicata contradictoria. Hinc duplex genus Adversariorum patitur; alterum eorum, qui aliquam objectivam distinctionem comminiscuntur inter essentiam, atque personalitates, ut Gilbertus, & Durandus: alterum eorum, qui negant verificari contradictoria de essentia, & relationibus, ut Ariminenfis, & alii. Utrosque refellimus in superioribus, & utrorumque argumentis satisfacimus.

55. Ut autem res penitus introspectatur, nonnulla advertenda sunt. Primum est: aliud esse prædicata contradictoria, aliud propositiones contradictorias: prædicata contradictoria præscindunt à subjectis, & tantummodo poscunt, unum esse negationem alterius, ut esse rationale. Non esse rationale. Propositiones contradictoriæ poscunt idem subjectum, & idem prædicatum, ut *Petrus est albus, Petrus non est albus.* Hinc de homine, & Equo verificantur duo prædicata contradictoria, siquidem de homine verificantur, esse rationalem, & de Equo non esse rationalem. At duæ propositiones contradictoriæ neque verificantur, neque possunt verificari unquam. Dicimus ergo in Divinis verificari sanè duo prædicata contradictoria, secus duas propositiones contradictorias. Nam hæ non sunt contradictoriæ: *essentia communicatur, Paternitas non communicatur.* Probatur. Ut essent propositiones contradictoriæ, opus erat, quod subjectum ambarum propositionum esset prorsus idem, ità ut nec actu formaliter, nec virtualiter esset diversum. Sed hoc non con-

tingit: ergo istæ non sunt propositiones contradictoriæ. Major probatur. Si subjectum esset realiter diversum, non essent contradictoriæ, ut patet. At subjectum esse virtualiter diversum in ordine ad dicta prædicata, perinde est, ac si esset realiter diversum: ergo si subjectum est virtualiter diversum in ordine ad illa prædicata; hæc propositiones non sunt contradictoriæ; ergo ut sint contradictoriæ &c.

56. Eadem ratione monstratur, syllogismos quorum supra meminimus, non esse se ipsa expositivos. Namque, ut tales essent, desideratur, quoddam medium, nec virtualiter distinguatur ab extremitatibus. Atqui distinguitur virtualiter: ergo. Major probatur. Si medium distingueretur realiter simpliciter ab extremitatibus, isti syllogismi non essent expositivi. At distingui virtualiter in ordine ad ea prædicata perinde est, ac distingui realiter: ergo si medium distinguitur virtualiter ab extremitatibus, syllogismi non sunt expositivi: ergo ut sint expositivi &c. Hæc solutio est ultimum resolutivum aliis, quam alii solent exhibere agentes, istos syllogismos non esse rektos, eo quod medium non sit distributum: nam cum distributio affigi nequeat termino prorsus singulari, vel dicendum est, istos syllogismos non constare medio prorsus singulari, eò quod distinguatur virtualiter ab extremitatibus, vel relegandi sunt syllogismi purè expositivi, constantisque medio omninò singulari.

57. Advertendum est 2. Distinctionem rationis posse trifariam esse: Alia namque est distinctio rationis Logica, alia Metaphysica (de quibus alibi) alia contrapposita distinctioni actuali, & ex natura rei. Distinctio virtualis, nec non distinctio realis in tertio, est quidem distinctio rationis, non logica, non purè metaphysica, sed contrapposita distinctioni actuali, quatenus Paternitas, & essentia, quæ actu neutiquam differunt, perinde se habent in ordine ad susceptionem contradictoriorum, ac si realiter simpliciter distinguerentur, & quatenus nobis dant fundamentum, ut illa per species diversorum apprehendamus. Undè sic argumentamur. Distinctio virtualis, aliquatenus est distinctio, ut constat; sed non est distinctio actu, & à parte rei, ut etiam constat; quia hoc esset confundere illam cum Scotica: ergo est distinctio per rationem: non quidem in vulgari acceptione distinctionis rationis; quoniam hæc plerumque accipitur pro sola distinctione logica, aut metaphysica; sed in alia, quæ vocari potest *contrapposita distinctioni actuali*, vel sic *distinctio ratio-*

rationis Theologica, eò quod Theologi soli SS. PP. & Conciliorum vestigiis inhærentes agunt de illa explicaturi Mysterium Trinitatis.

58. Hinc 1. Distinctio virtualis major est distinctione rationis contracta ad speciem distinctionis logicæ, atque metaphysicæ, cum importet secum capacitatem suscipiendi duo prædicata contradictoria, quam capacitatem non afferunt hæc duæ distinctiones rationis. Cæterùm non est major, quàm distinctio rationis sumpta genericè, & in tota sua latitudine: namque sic sumpta comprehendit omnem distinctionem, quæ cum aliquatenus sit distinctio, non tamen est actu à parte rei distinctio, subindeque comprehendit intrà spheram suam distinctionem ipsam virtualem. Hinc 2. solvitur difficultas, quæ ex Concilio Florentino sumi potest, & qua nos utimur contra distinctionem Scoticam. Concilium enim in sensu jam explicato tacitè rejicit à Divinis omnem distinctionem, quæ in se sit distinctio; non verò distinctionem, quæ talis sit *secundum intelligentiæ rationem*. Atqui distinctio virtualis in re non est distinctio, sed tantùm per rationem, ut nuper ostendimus: ergo Concilium non rejicit distinctionem Virtualem.

59. Hinc 3. Verum est, dari actum, & independentem ab intellectu id, quod est distinctio virtualis, capacitatem scilicet suscipiendi duo prædicata contradictoria; cæterùm nec est à parte rei distinctio, nec datur à parte rei distinctio virtualis: quemadmodum à parte rei datur id, quod est universale, nempe natura humana, v. g.; sed non est à parte rei universale. Quo circa sicut natura constituitur in esse universalis per quandam cognitionem attingentem naturam capace[m] multiplicationis, præscindentemque negativè ab hac capacitate: ita realis, & vera capacitas suscipiendi duo prædicata contradictoria, (quæ capacitas est, quod vocamus *distinctio virtualis*) constituitur in esse distinctionis actualis non purè fundamentalis, aut æquivalentis, per cognitionem, quæ extrema virtualiter distincta apprehendimus, ut distincta. Quod si malueris, potest dici, distinctionem virtualem dari à parte ei, esseque à parte rei *Virtualem* distinctionem, attamen non esse à parte rei distinctionem, nimirum quoniam tota proprietas illius vocis *Distinctio* abrogatur per illud syncategorema *Virtualis*. Quemadmodum homo pictus verè, & propriè datur, nec non verè, & propriè est homo pictus, attamen non est verè homo; scilicet quia tota proprietas illius termini *homo* extinguitur per adjunctam vocem *pictus*.

60. Advertendum est 3. Distinctionem virtualem, non eo fine à no-

à nobis adstrui in Divinis, ut difficultatem Mysterii de medio tollamus; eandem quippè difficultatem trahit secum distinctio virtualis, quàm Mysterium, & quisquis huic dissentiat, illi quoque resistet. Adstruimus igitur illam, quia necessaria, & sufficiens videtur ad veritates, quas per fidem docemur: *necessaria* quidem contra eos AA, qui censent, non verificari in Divinis duo prædicata contradictoria. *Sufficiens* item contra opinantes, inter essentiam, & Paternitatem versari aliquam actualem, ac ex natura rei distinctionem. Posita verò dicta distinctione, integra perseverat difficultas Mysterii. Quæ ergo solutio exhibenda est huic quæstioni. Quomodo de essentia, & Paternitate verificantur contradictoria? Respondendum: quia re ipsa contradictoria suscipiunt. Et ab eo, quod res est, vel non est propositio dicitur vera, vel falsa. Et quomodo suscipere possunt contradictoria, cum sint prorsus idem? Respondent aliqui: quia distinguuntur virtualiter. Mala solutio; tam difficilis namque, & obscura est, quàm ipsa quæstio. Neque juvat, definitionem esse legitimam explicationem definiti, quippè hoc tantùm subsistit, quando in definitione non apparet æqua difficultas, ac in definito, secus quando apparet, ut in præsentis contingit. Germana itaque responsio est. Quia hoc habent per suammet essentiam nobis patefactam per Scripturas. Et in his tanquam in ultimo ex hac parte resolutivo sistendum est intellectui Catholico. Sin verò intellectus Scripturas non admiserit, recurrendum est ad argumenta credibilitatis, quæ congerunt Theologi, & quæ evidentem reddunt credibilitatem hujus Mysterii, temerariamque, & imprudentem negationem ejusdem.

61. Denique advertendum est, nos minimè resistere D. Thomæ, & multis aliis Theologis nostratibus, qui immemores distinctionis virtualis ad solam distinctionem rationis appellant evasuri ex angustiis præsentis difficultatis: nam idem ipsum, quod illi vocant distinctionem rationis, vocamus nos distinctionem virtualem, siquidem illi per hanc vocem, *distinctio rationis*, intelligunt distinctionem, quæ re ipsa distinctio non est à parte rei; præstat verò admissionem gemini contradictorii. Et hoc idem intelligimus nos per hanc vocem, *distinctio virtualis*. Malumus tamen in disputationibus uti hac, quàm illa voce; quia vox illa plerumque accipitur pro sola distinctione rationis logica, aut metaphysica, quæ quidem impares sunt componendo præsentem difficultatem.

§. V.

Insinuantur objectiones contra Mysterium.

62. **R**estant jam brevissimè solvenda argumenta fieri solita contra hoc Mysterium; exactior quippe solutio ad Theologos spectat. Primum sumitur ex eis principiis: Quæ sunt eadem uni tertio omninò singulari, sunt eadem inter se. Quæ repugnant uni tertio, repugnant inter se. Respondetur, ut alibi dixi. Hæc principia, ut tali nomine digna sint, non procedere de quavis specie identitatis, sed de identitate *pura* nulli distinctioni adhuc equivalenti admixta. Quemadmodum enim, si ambo extrema realiter distinguerentur ab illo tertio, nihil concluderemus ex vi istorum principiorum; ità nihil cõficietur, si quanquam realiter identificentur cum eo tertio, distinguantur tamen virtualiter ab illo, siquidem distingui virtualiter perinde est, ac distingui realiter in ordine ad hoc munus. Unde constat ea principia intellecta juxta regulas fidei non amittere, sed corroborare suam evidentiam.

63. Secundum sumitur ex arte syllogistica, quæ collabi, aut nutare videtur in Mysterio hoc. Respondeo, ut alibi respondi, Artem syllogisticam potius illustrari, quàm obnubitari hoc Mysterio. Ex eo enim didicimus, cujus speciei debeat esse identitas extremorum cum medio, ut infallibiliter deducatur eorundem identitas, aut distinctio mutua. Debet igitur identitas esse *pura* absque ulla mixtura distinctionis virtualis, & si pura fuerit, evidenter inferetur consequens. Quod autem non concludant syllogismi, qui expositorii videntur, non ex intrinsicis Mysterii derivatur; sed malo ipsorum vitio, qui revera expositorii non sunt: quia inniti debuerant identitati puræ extremorum cum tertio, & talis identitas pura non datur. Porrò si in creatis poneretur distinctio virtualis, rueret Ars syllogistica, quatenus à quovis syllogismo se expediret adversarius, vel cunctæ disputationes devolverentur ad distinctionem virtualem, ut supra argumentabamur.

64. Tertium sumitur ex eo principio omnium notissimo: *Quodlibet est, vel non est*, ex quo, ut benè argumentatur Pater Herrera, videtur evidenter inferri hæc disjunctiva: *Vel Paternitas est Filiatio, vel Essentia non est Filiatio*, quæ quidem falsa est, & contra Fidem hujus Mysterii. Assumptum probatur. Deus Pater est aliquid

realiter simplex, & unicum: ergo vel est Filius, vel non est Filius. Si est Filius: ergo Pater est Filius. Si non est Filius: ergo Deus non est Filius: ergo ex eo, quod quodlibet sit, vel non sit, legitime concluditur, vel Patrem esse Filium, vel Deum non esse Filium. In hanc formam redigi potest longus discursus hujus Authoris. Respondetur, hoc quoque principium intelligendum est de subiecto tam realiter, quam virtualiter unico, & simplici, ut præmonui alibi: Quemadmodum enim si subiectum duplici constaret parte, realiter distincta, nihil impediret, quominus de una parte verificaretur *esse*, & de altera verificaretur *non esse*, ut contingit in totis, quæ vocantur *successiva*; ita si constat duplici formalitate virtualiter distincta, potest de una verificari *esse*, & de altera *non esse*, quandoquidem distinctio virtualis in ordine ad hoc munus perinde se habet, ac distinctio realis. Quapropter licet Deus Pater sit quid realiter simplex, ac unicum, quia tamen Deitas virtualiter distinguitur à Paternitate, datur locus, ut Deitas sit Filius, secus Paternitas. Similiter quando dicitur implicare, quod de eodem subiecto verificentur duo prædicata contradictoria, concedendum est, si sermo fuerit de subiecto eodem tam realiter, quam virtualiter; negandum tamen de subiecto eodem realiter, diverso autem virtualiter, nempe quia diversitas virtualis perinde se habet in ordine ad hoc munus, ac diversitas realis: ergo sicut non implicat, verificari duo contradictoria de subiectis realiter diversis, ita non implicat, ea verificari de subiectis distinctis virtualiter.

65. Quartum sumitur ex eo, quod inter producents, & productum nequit non dari distinctio realis: ob hanc enim rationem Pater distinguitur realiter à Filio, nempe quia producit hunc: ergo multò melius debet dari distinctio realis inter productum, & non-productum: siquidem major oppositio datur inter productum, & non-productum, quam inter productum, & producents. At filiatio est producta; essentia verò non est producta: ergo. Tum etiam quia non ob aliam rationem datur distinctio realis inter hos duos, nisi quia producents nequit esse productum, vel à se ipso, vel ab eo, quem producit, & consequenter quia producents necessariò est non productus. Atqui filiatio est producta, essentia verò non est producta: ergo necessariò datur distinctio realis inter Filiationem, & essentiam. Respondetur. Distinctio virtualis tantummodo est nobis nota ex principiis Fidei: ergo ex his eisdem principiis possumus colligere suam sphaeram, idest quænam sint prædicata opposita, ad

quo-

quorum concordiam extenditur, & quænam sint illa, ad quorum concordiam non extenditur; sed ex principiis fidei nobis constat illam extendi ad concilianda hæc prædicata *productum*, non *productum* (siquidem ex eis principiis nobis constat, filiationem esse Deum, & filiationem esse productam, secus Deitatem) non verò extendi ad illa alia *producents*, *productum*: ergo quamquam prima prædicata habeant majorem oppositionem, quam secunda, nihilominus distinctio virtualis sufficit ad prima, & non ad secunda: ergo quamquam inter secunda versetur distinctio realis non debet admitti inter prima.

66. Unde soluta manet prima probatio primæ consequentiæ. Ad secundam nego illam rationem. Etenim verum est, aliquod non productum distingui realiter à producto, nempe illud non productum, quod simul est producents, cæterum hujus distinctionis ratio non est præcisè, quia non est productum, sed quia ulterius est producents: & ratio est: quænam prædicata sint ratio à priori distinctionis in divinis, non ex fontibus philosophiæ, sed ex Conciliis Sacraque Scriptura dimanat: at juxta Sacram Scripturam, Conciliaque illam exponantia, prædicata producentis, & producti important secum distinctionem realem; & juxta eandem scripturam Conciliaque prædicata *producti*, & *non producti* non important secum distinctionem realem: ergo ratio, ob quam producents distinguitur realiter à producto, non est quia producents est non productum, sed quia ex conceptu, & ex terminis ipsis producentis, à quovis alio abstrahendo, importat dictam distinctionem. Hinc descendit regula universalis ad supprimendam difficultatem jam jam emergentem. Certum est inter prædicata opposita una posse conciliari per solam distinctionem virrualem subiectorum, secus alia. Clariùs. Certum est, una prædicata opposita infallibiliter inferre distinctionem realem subiectorum, quibus conveniunt, veluti: *Producents, productum. Existens simpliciter, non existens simpliciter, & quoad entitatem, possibile, impossibile &c.* alia autem prædicata opposita non inferre distinctionem realem subiectorum, sed sola virtuali contenta esse, ut *producere, non producere, produci, non produci &c.* Si ergo nulla oppositio potest esse major, quam oppositio contradictoria, quidquid reclamant docti quidam RR. & inter oppositiones contradictorias immediatè, ac formaliter omnes sunt æquales, quidquid dicat P. Herrera: cur una ex dictis prædicatis non possunt convenire nisi subiectis realiter distinctis; altera autem verifi-

F

cari

cari possunt de subjectis realiter identificatis, & tantum virtualiter distinctis. Ad quæ prædicata opposita sufficit distinctio purè virtualis, & ad quæ non sufficit?

67. Regula generalis esto, quam supra exhibuimus. Distinctio purè virtualis sufficit ad omnia ea prædicata opposita, quæ fides nos docet convenire subjectis realiter identificatis, nec non ad omnia illa, quæ juxta lumen naturale instructum per lumen fidei, inferuntur ex illis. Non verò sufficit ad ea prædicata opposita, quæ fides non docet convenire subjectis identificatis, neque juxta lumen naturale instructum per fidem deducuntur infallibiliter ex illis. Atqui fides nos docet hæc prædicata *esse productum, non esse productum, esse producens, non esse producens, esse filium, non esse filium* convenire subjectis realiter identificatis. Neutiquam autem docet, hæc prædicata *esse producens, esse productum* convenire subjectis realiter identificatis, imò potius oppositum docet: ergo distinctio purè virtualis sufficit ad prima, non verò ad secunda. Major hujus discursus probatur. Sufficientia, insufficientia, qualitates, attributa, capacitas, incapacitas cujuscumque subjecti non sunt resolvenda in illud, supra cujus vires suasivas est tale subjectum quo ad substantiam, sed in illud, ex quo unicè nobis constat tale subjectum: (sic quia substantia, hoc est, quidditas, & existentia donorum supernaturalium unicè constat nobis ex Scriptura, & Conciliis, unicè resolvimus ipsorum conditiones, atque proprietates in ipsas scripturas, & ad summum in rationes naturales, quæ non sint contra ipsas scripturas. Sic etiam, quia virtutes, activitatesque rerū naturalium unicè innotescunt nobis ab experientia, idè in hanc solam, vel in aliud, quod non sit contra hanc, resolvimus quinam sint effectus, quos producere possunt, & quinam sint, quos producere nequeunt.) Atqui distinctio purè virtualis est omninò supra lumen naturale, & unicè nobis constat satis probabiliter ex principiis fidei. Ergo ex his eisdem principiis, & si mavis ex lumine naturali illustrato per hæc principia, probanda est sufficientia, atque insufficientia illius: ergo ad illa prædicata opposita sufficit, quæ fides definit convenire subjectis identificatis, & ad illa non sufficit, quæ fides non docet convenire subjectis identificatis, quidquid sit de majore, minore, aut æquali oppositione utrorumque.

68. Brevius. In hoc Mysterio, necnon in distinctione virtuali hæret attonitum lumen naturale tanquam ad aspectum rei ignotæ sibi. Solum lumen fidei loquitur; ergo hoc, non illud auscultare debe-

debemus. Sed lumen fidei, clarè pronunciat, quæ prædicata opposita inferant distinctionem realem, & quæ non inferant, sed contenta sint distinctione purè virtuali: ergo cæteræ omnes rationes naturales, paritatesque reiiciendæ sunt, & soli lumini fidei standum. Quod si dixeris, hoc esse ad latibula, ad sacrarium confugere; respondebo: hoc ita esse, nullum tamen in hoc absurdum inveniri: quia qui videre, aut investigare intendit res in solis latibulis, solumque sacrario existentes, latibula, & sacrarium ingredi cogitur: at distinctio virtualis in solis latibulis, solumque sacrario fidei existit: ergo ad illam videndam sacrarium, & latibula adire tenetur.

69. Quantum desumitur ex notissimo identitatis conceptu, quoniam duo identificari nil aliud est, quàm habere summam in omnibus prædicatis essentialibus convenientiam: ergo vel sic conveniunt Paternitas, & essentia, vel non conveniunt? Si primum; sequetur tam paternitatem, quàm essentiam identificari cum filio. Si secundum; Paternitas non identificatur cum essentia. Respondetur. Quemadmodum ante principia fidei non aliud agnoscebatur complementum substantiale, quàm forma; post revelationes autem nostræ fidei, jam deprehendimus aliud, sive positivum, sive negativum, nimirum subsistentiam. Ita ante lumen fidei, non aliam agnoscebamus speciem identitatis realis, quàm summam, totalemque convenientiam in omnibus prædicatis. Post revelationem verò Mysterii Trinitatis deprehendimus aliam speciem realis identitatis, eam scilicet, quæ patitur aliquid verè, & propriè identificari cum uno extremo identitatis, quod cum altero non identificatur.

70. Quamobrem per fidem edocti inquamus, conceptum identitatis realis genericè sumptæ non stare in totali, universalique convenientia in omnibus, & per omnia. Quid ergò est identitas realis in genere? Respondent docti quidam RR. duo identificari realiter consistere in eo, quòd unum simpliciter, & absolutè possit affirmari de altero. Sed perperam. Quoniam hoc, quòd est generare realiter identificatur cum essentia Divina, & tamen nequit de ea verè enunciari, falsa quippè est propositio hæc. *Essentia generat*. Igitur identitas realis in genere consistit in eo, quòd brevius insinuavi initio hujus disputationis: nimirum quòd extrema, quæ identificata dicuntur, habeant *unicam simplicem, atque indivisam essentiam à parte rei, quin ullam habeant actualem inter se distinctionem*; Qui sanè conceptus convenit omnibus identitatibus, quas vel lumine fidei,

vel lumine naturali novimus. Hic conceptus genericus dividitur in duas species. Hæc namque unitas in essentia potest contingere, per omnimodam, & totalem convenientiam in cunctis prædicatis; Et hæc est identitas realis pura, & hanc solam cognosceremus per lumen naturale. Item hæc unitas in essentia potest contingere cum disconvenientia in aliquibus prædicatis citra omnem actualem distinctionem, & hæc est identitas realis admixta distinctioni virtuali, & hanc speciem identitatis dumtaxat per lumen fidei probabiliter satis novimus, itaut consulto solo lumine naturali, eam ignoraremus. Verùm fides detegit, quod naturalem rationem latet.

§. VI.

An distinctio virtualis importet ex suo conceptu distinctionem realem in tertio?

*P. Quirès
tract. 2. de
Deo disp.
15. sect. 5.*

71. **M**ultus est P. Quirès in parte affirmativa stabilienda; sed longè communior sententia negat, distinctionem virtualem importare ex suo conceptu distinctionem realem in tertio, quia ergo placitum hoc verè defendi potest nostris principiis metaphysicis alibi jactis, idèd pluribus, quàm paucioribus inharere malumus monentes, distinctionem realem in tertio stare in eo, quòd ex duobus realiter identificatis, unum distinguatur realiter ab illo tertio, cum quo alterum realiter identificatur; v.g. essentia Divina, & Paternitas distinguuntur realiter in tertio: quia Paternitas distinguitur à filiatione cum qua essentia identificatur, & simul cum Paternitate.

72. Sit igitur unica propositio. Distinctio purè virtualis, idèd sine distinctione reali in omni tertio, & requiritur, & per se sufficit ad componendam difficultatem hujus Mysterii. Probatur prima pars. Eo ipso quòd de essentia, & Paternitate verificentur duo prædicata, quæ vel sunt absolutè contradictoria, vel necessariò essent contradictoria si inter Paternitatem, atque essentiam non daretur distinctio virtualis, hæc est necessaria ad difficultatem hujus Mysterii; sed hoc ita contingit. Probatur. De essentia verificatur, quòd à parte rei communicatur Filio, de Paternitate, quòd à parte rei non communicatur filio.

73. Tunc sic. Vel est omninò eadem communicatio, quæ verè affir-

affirmatur de essentiâ, & negatur de Paternitate: vel est diversa? Si primùm: ergo de essentiâ, & Paternitate verificantur duo contradictoria, quæ absolutè sunt talia. Si diversa; (ut mox dicam) & consequenter si verificantur duo contradictoria, quæ necessariò essent talia: ergo communicatio Paternitatis ad Filium est diversa à communicatione essentiæ ad eundem Filium: ergo inter essentiam, atque Paternitatem datur distinctio actualis, vel virtualis. Probo hanc consequentiam. Eo ipso, quòd essentia, & Paternitas, nec actualiter, nec virtualiter distinguuntur, sed prorsus essent idem tam realiter, quàm virtualiter, idem omninò esset, *Essentiam communicari*, ac *Paternitatem communicari*: quemadmodum quia homo, & animal sunt idem, tam realiter, quàm virtualiter, idem est ex parte objecti, hominem identificari cum rationali, ac animal identificari cum eodem: & sicut stante identitate, tam reali, quàm virtuali inter hominem, & animal, est omninò imperceptibile, quòd sit possibilis identitas hominis cum rationali, & sit chymærica identitas animalis cum eodem rationali: ita stante identitate, tam reali, quàm virtuali, & formali inter essentiam, & Paternitatem, est imperceptibile, quòd sit necessaria identitas essentiæ cum filiatione, & sit chymærica identitas, seu communicatio Paternitatis cum eadem filiatione: ergo si communicatio essentiæ est diversa à communicatione Paternitatis, eo quòd illa sit necessaria, & hæc sit chymærica, signum est dari distinctionem virtualem inter essentiam, & Paternitatem: ergo sive communicatio, quæ affirmatur de Paternitate sit eadem, sive sit diversa, necessariò requiritur distinctio virtualis saltem. Sed de hoc satis dictum supra. Et in hoc sensu sapè diximus *communicari*, & *non communicari* esse contradictoria. Nempe aut absolutè, aut conditionatè sub hypothese, quòd inter essentiam, & Paternitatem non daretur distinctio virtualis, aut formalis.

74. Probo secundam partem, in qua stat præsens difficultas. Et priùs noto, quòd in hoc Mysterio ratione materiæ requiritur distinctio realis in tertio: quia certum omninò est essentiam, & Paternitatem distingui realiter in tertio *Filiationis*. Eadem quippe prorsus filiatio est, à qua distinguitur Paternitas, & cum qua identificatur essentia. Et hac de causa dixi in coplusionem sine distinctione reali in omni tertio. Considera ergo *Filiationem*, & *communicationem* ad Filium. Paternitas, & essentia distinguuntur utique realiter in tertio *Filiationis*. Sed non in tertio *communicationis*. Unde dico, hanc

hanc distinctionem in tertio *communicationis* non importari per conceptum solius distinctionis virtualis: quippe hæc per se præcisè independenter, tum constitutivè, tum connexivè à distinctione in hoc tertio, sufficit ut Paternitas, atque essentia neququam distinctæ actualiter, tales sint, ut essentia communicetur filio, secus Paternitas. Quod sic probatur.

75. Eatenus distinctio virtualis importaret secum constitutivè, aut connexivè distinctionem realem in tertio *cōmunicationis*, quatenus importaret secum, quòd illa eadem communicatio, quæ affirmatur de essentiâ, negetur de Paternitate: & ulterius nequeat illa negari de Paternitate in sensu reali, quin realiter distinguatur à Paternitate. Sed quanquam verum est, quòd omne in sensu reali negabile de Paternitate, realiter distinguatur à Paternitate, nihilominus, ut Paternitas, & essentia distinguantur virtualiter, non est necessarium, quòd illa eadem communicatio, quæ affirmatur de essentiâ, negetur de Paternitate. Probo hoc.

76. Eo ipso, quòd communicatio affirmata de essentiâ ita sit diversa à communicatione negatâ de Paternitate, ut tota ratio hujus diversitatis unicè resolvatur in distinctionem virtualem, quam habeant Paternitas, atque essentia, distinctio virtualis non poscit illam eandem communicationem, quæ affirmatur de essentiâ, negari de Paternitate. Sed communicatio affirmata de essentiâ est diversa à communicatione negatâ de Paternitate: & tota ratio hujus diversitatis unicè resolvitur in distinctionem virtualem: ergo distinctio virtualis non poscit &c. Probo minorem. In primis communicationes sunt diversæ. Nam per hanc propositionem, *Essentia communicatur filio*, non enunciatur de essentiâ quævis communicatio, v. g. communicatio, seu identitas hujus chartæ; sed tantùm *communicatio essentiæ*; per hanc autem, *Paternitas non communicatur filio*, non negatur de Paternitate quævis communicatio, sed tantùm *communicatio Paternitatis*. Sed hæc sunt communicationes realiter distinctæ, quandoquidem una est repugnans, & altera necessaria: ergo communicatio affirmata de essentiâ, est diversa à communicatione negatâ de Paternitate. Deinde tota hæc diversitas unicè refunditur in distinctionem virtualem. Nam eo ipso quòd essentia, & Paternitas non distinguerentur virtualiter, tam repugnans esset communicatio essentiæ, quàm communicatio Paternitatis: aut tam necessaria esset communicatio Paternitatis, quàm communicatio essentiæ: ergo quòd

quòd ex his duabus communicationibus una sit repugnans, & altera necessaria, unicè provenit ex distinctione virtuali.

77. Declaratur. Totus adversariorum conatus circumscribitur his duabus propositionibus. 1. Ut duo distinguantur virtualiter, opus est, quòd illud idem, quod affirmatur de uno, negetur de altero. 2. Omne, quod verè negatur de altero existente in rebus, distinguitur realiter ab illo altero, Sic discurret adversarius P. Quirós. *P. Quirós tract. 2. disput. 15. sect. 5.* Ex his duabus propositionibus plerique negant hanc secundam, aut ægrè admodum distinguunt illam: Nos ut profus veram admittimus; cæterùm negamus illam primam. Ut duo namque distinguantur virtualiter, non est determinatè requisitum, quòd illud idem, quod affirmatur de uno, negetur de altero; sed unum de duobus, scilicet quòd illud idem, quod affirmatur de uno, negetur de altero, vel si non fuerit idem, hoc unicè nascatur ex distinctione virtuali, ita ut si hæc non adesset, unum & idem foret, quod affirmatur de uno, & negatur de altero. Hoc accidit in præsentibus, & in similibus difficultatibus.

78. In his propositionibus, *Essentia communicatur, Paternitas non communicatur*, non enunciatur eadem communicatio, ut nuper dixi; at quòd communicatio non sit eadem, unicè provenit à distinctione virtuali: abs dubio namque foret eadem, si Paternitas, atque essentia non distinguerentur virtualiter. Porro quòd hæc distinctio sit virtualis, non consistit (præcisè loquendo) in hoc, quòd Paternitas, & essentia suscipiant contradictoria semper absolutè talia, perinde, ac si distinguerentur realiter; sed in eo, quòd quemadmodum communicatio essentiæ, & communicatio Paternitatis forent realiter distinctæ, si Paternitas, & essentia forent realiter distincta, ita illæ non deberent esse diversæ, si nec distinctio virtualis daretur inter Paternitatem, & essentiam. Quocirca si diversæ sint, sunt diversæ beneficio solius distinctionis virtualis. Unde distinctio virtualis non est capacitas ad suscipienda duo contradictoria, *quæ absolutè sint talia* (liquidem ob talem distinctionem definiunt esse absolutè talia) sed ad suscipienda duo prædicata, *quæ vel sunt, vel essent contradictoria*, si non daretur distinctio virtualis inter subjecta.

79. Argumenta contraria multa sunt, & gravissima, & quæ per totam ferme Theologiam ramos extendunt. Eorum assumptum est, non posse dari distinctionem virtualem inter ea extrema, à quorum uno non distinguitur realiter simpliciter illud idem, quod

quod cum altero realiter simpliciter identificatur : cumque ægrè admodum explicetur tale tertium, quando sermo est de actibus intellectus divini inter se comparatis, nec non de actibus voluntatis mutud etiam comparatis, & demum de his cum illis comparatis : indè est, quòd ingenti pondere rationum suadet, omnes actus Intellectus divini, & omnes actus voluntatis esse unum quid simplex, ac indivisibile etiam virtualiter. Qua Indistinctio virtuali statutà, probatur 1. scientiam visionis esse causam rerum; nam realiter, & virtualiter est decretum productivum rerum. Probatur 2. scientiam mediam esse liberam Deo; nam realiter ac virtualiter est scientia visionis, quæ libera est Deo. Probatur 3. scientiam mediam nullius decreti divini libertatem constituere : nam realiter, & virtualiter est ipsum decretum, quod sui libertatem non constituit : cumque multarum resolutio quæstionum ex præcedentia scientiæ visionis, aut scientiæ mediæ pendeat, multæ gravissimæque Quæstiones collabuntur.

80. Probatur 4. aliquid connexum cum merito constituere intrinsicè libertatem ad merendum : proindeque esse omnind inevitabile per talem libertatem : quoniam decretum applicativum Omnipotentis constituit intrinsicè libertatem creatam indifferentiæ, & hoc decretum utpotè realiter, & virtualiter indistinctum à decreto collativo præmii esset essentialiter connexum cum merito. Probatur 5. impossibilitas scientiæ necessariæ, quia hæc utpotè realiter, & virtualiter indistincta à scientia libera, tam contingens erit atque hæc, & hæc tam necessaria atque illa. Denique ex hac indistinctio virtuali oritur totius Theologiæ revolutio, & in gravissimis quæstionibus, præcipuè ex illis, quæ ad primam partem spectant, importuna satis argumenta.

81. Igitur assumptum prædictum sic probatur à contrariis. & claritatis gratiâ loquamur de intellectu, & voluntate Divinis, admittendo dari in eis distinctionem virtualem absque distinctione reali in tertio. Omne id, quod in sensu reali verè negatur de intellectu, realiter distinguitur ab intellectu. Sed si intellectus, & voluntas distinguuntur virtualiter, est necessarium, quòd de intellectu negetur in sensu reali id ipsum, quod in sensu reali verè affirmatur de voluntate : ergo si intellectus, & voluntas distinguuntur virtualiter, omnind est necessarium, quòd realiter distinguatur ab intellectu id ipsum, quod in sensu reali verè affirmatur de Voluntate, proindeque id ipsum, quod realiter identificatur cum voluntate.

tate. Sed distingui realiter ab intellectu id ipsum, quod realiter identificatur cum voluntate est re ipsa intellectum, & voluntatem distingui realiter in tertio : ergo si distinguuntur virtualiter, prorsus est necessarium, quòd distinguantur realiter in tertio. En difficultum, in quo vertitur cardo totius difficultatis contrariæ.

82. Majorem probant, offensuri postea minorem. Omne, quod non identificatur realiter absolutè cum intellectu divino, realiter absolutè distinguitur ab intellectu divino. (Tum quia non datur medium. Tum quia duo distingui realiter simpliciter est formalissimè unum non esse aliud, scilicet quando hoc non provenit unice ex eo quod neutrum existat.) Sed omne, quod in sensu reali verè negatur de intellectu divino; non identificatur cum intellectu divino in sensu reali : Nam si realiter identificaretur cum illo, falsa esset quævis propositio negans illud in sensu reali de intellectu divino; quemadmodum falsa est quævis enunciatio negans animal in sensu reali de rationali; & quidem non aliam ob causam, nisi quia animal in sensu reali identificatur cum rationali : ergo omne quod in sensu reali &c. Et ratio à priori hujus ultimæ minoris est : quia juxta communem Mortalium apprehensionem ab eo quòd res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa : ergo èd præcisè quòd unum sit realiter alterum, hoc alterum verè affirmatur in sensu reali de eo uno, & falsè negatur : ergo si verè negatur in sensu reali, signum evidens est, quòd illa duo distinguuntur realiter simpliciter. Et hæc de probatione illius Majoris, quæ luculentius apparet, animadversis solutionibus, in quas multi abeunt.

83. Probo jam minorem primi Syllogismi. Si intellectus, & voluntas distinguuntur virtualiter intrinsicè, est necessarium, quòd in aliquo prædicato intrinsicè discrepent, seu disconvenient. Sed hoc est formalissimè, quod verè negetur in sensu reali de intellectu id ipsum, quod in sensu reali verè affirmatur de voluntate : ergo si intellectus, & voluntas &c. Probatur major. Si intellectus, & voluntas in nullo prædicato intrinsicè disconvenient, sequeretur fore, ut in omnibus, & per omnia prædicata intrinsicè convenient. Sed si in omnibus, & per omnia prædicata intrinsicè convenient, non distinguuntur virtualiter ut patet : ergo si in nullo prædicato intrinsicè disconvenient, non distinguuntur virtualiter : ergo ut virtualiter distinguantur opus est, quòd in aliquo prædicato intrinsicè disconvenient. Hæc est structura rationum adversarum, valida sanè, sed meorum tenax principiorum eam subvertere conabor.

84. Plerique ex sociis nostræ opinionis toti sunt in contradictione illius majoris primi syllogismi intendentes illam esse falsam. Arduum assumptum. Non vacat horum DD. explicationes perpendere; sed unum non omittam. Si hæc propositio, *intellectus in sensu reali amat*, esset falsa, eo solo titulo, quod inter subjectum, & prædicatum non detur identitas *virtualis*, seu *reflexa*, ut loquitur P. Herrera, vel non detur identitas specifica, *quoad omnia*, ut loquuntur alii recentiores; etiam esset falsa hæc propositio, *Pater est Deus*, quandoquidem inter subjectum, & prædicatum non datur identitas *virtualis*, *reflexa*, seu *specifica quoad omnia*. Quod si propterea dixeris non quamvis distinctionem virtualem inter subjectum, & prædicatum sufficere, ut hoc negetur de illo in sensu reali; sed eam solam, quæ æquivalet distinctioni reali in ordine ad negationem unius de alio. Contra est. Quia repugnans videtur talis distinctio virtualis. Etenim repugnans est distinctio virtualis inter duo identificata, in eo æquivalens distinctioni reali, quod unum non identificetur realiter cum altero, siquidem duo distinguantur purè virtualiter, stat in eo quod, *cum non distinguantur actu, sed prorsus identificentur* in vicem, perinde se habeant &c. Sed æquivalere in eo, quod unum in sensu reali negetur de altero, est æquivalere in eo, quod unum non identificetur realiter cum altero: nam idem est formalissimè unum negari verè de altero in sensu reali, ac unum non identificari realiter cum altero: ergo.

§. VII.

85. **Q**Uocirca concessa præfata majore nego minorem: quoniam ut jam notavi, ut duo distinguantur virtualiter intrinsecè non requiritur determinatè, quod id ipsum, quod verè affirmatur de uno verè negetur de altero; sed disjunctivè, hoc est, quod negetur verè de altero id ipsum, quod verè affirmatur de uno, vel si fuerit diversum, hæc diversitas unicè proveniat ex distinctione virtuali inter ea duo. Hoc evenit impresentiarum, supposito nunc quod intellectus non amet in sensu reali, & voluntas nõ intelligat in sensu reali, quod alibi disputatur. In hac propositione *Voluntas Divina amat* non affirmatur de Voluntate Divina quivis amor, alioquin, aut falsa esset ea propositio, aut indifferens ad falsitatem, atque veritatem; quandoquidem inter amores multi repugnant voluntati divine, & unum duntaxat cum illâ identificatur: quapropter in propositione dicta unicè affirmatur de voluntate *amor, quo divina voluntas amat*.

Porrò

86. Porrò in hac negativa, *Intellectus non amat*, minimè negatur de intellectu Divino identitas realis cum omni amore: falsa quippe esset talis propositio, cum intellectus Divinus realiter identificetur cum amore, quo amat voluntas Divina. Negatur itaque de intellectu *amor, quo intellectus amet*. Sed *amor, quo intellectus amet* est simpliciter diversus ab amore, *quo voluntas amat*, eo quod hic ultimus sit possibilis, & ille primus sit impossibilis: ergo in his duabus propositionibus enunciantur amores distincti: ergo falsum est negari de intellectu id ipsum, quod de voluntate affirmatur. Cæterum tota hæc diversitas unicè nascitur ex distinctione virtuali; quæ modò supponitur inter voluntatem, & intellectum; Si namque hæc duo non distinguerentur adhuc virtualiter, tam necessarius foret amor, quo intellectus amaret, quam amor, quo voluntas amat: ergo quod in dictis propositionibus non affirmetur de voluntate id ipsum, quod negatur de intellectu, tam longè abest, ut concludat carentiam distinctionis virtualis, ut potius infallibiliter ostendat ipsam distinctionem virtualem, cum ex hac sola diversitas illa oriatur.

87. Jam ad minoris probationem distinguo majorem. Est necessarium, quod in aliquo prædicato discrepent, seu disconveniant disconvenientiâ immediatâ, nego majorem: disconvenientiâ *mediatâ*, subdistinguo, disconvenientiâ *mediatâ* unicè nascente ex distinctione ipsâ virtuali, concedo: aliundè proveniente, nego majorem. Et similiter explicata minore, nego consequentiam. Intellectum, & voluntatem disconvenire in aliquo disconvenientiâ immediatâ consistit in eo, quod id ipsum, quod verè affirmatur de uno, verè negetur de altero: & hoc non desideratur ad distinctionem virtualem, ut manet probatum. Disconvenire disconvenientiâ *mediatâ* stat in eo, quod prædicatum verè affirmatum de uno, realiter distinguatur à prædicato verè negato de altero. Jam si hæc distinctio unicè proveniat à distinctione virtuali inter voluntatem, & intellectum, hoc tantum sufficit, ut virtualiter distinguantur: quod si aliundè provenerit, non sufficit ad distinctionem virtualem. In præfata unicè provenit hæc distinctio à distinctione virtuali; si enim intellectus, & voluntas non distinguerentur virtualiter, idem esset amor, quo intellectus amaret, ac amor, quo voluntas amaret, ut supra diximus.

88. Ad probationem majoris respondeo similiter. Si intellectus, & voluntas in nullo prædicato intrinsecè disconvenirent, in omni-

bus, & per omnia convenirent convenientiâ *immediatâ*; attamen non continuò sequitur, quòd in omnibus, & per omnia convenirent convenientiâ *mediatâ*: namque fieri posset, quòd licet omnia, & singula prædicata, quæ identificantur cum uno, identificentur realiter cum altero; nihilominus amor v. g. qui affirmatur de voluntate sit plurimùm diversus ab amore, qui negatur de intellectu. Et quòd ratio hujus diversitatis unicè resolvatur in distinctionem virtualem. Quod si contingat, intellectus, & voluntas non convenient in omnibus, & per omnia convenientiâ *mediatâ*. Dicimus ergo hoc contingere. Explicatur tota hæc doctrina exemplo determinationis quoad individuum, fecus quoad speciem: item exemplo identitatis formalis animalitatis cum principio sentiendi, & non cum principio ratiocinandi. Verùm paritas non est exacta, ut mox dicam.

89. Instabis 1. Ergo quanquam omnia, & singula, quæ verè affirmantur de voluntate, affirmantur quoque de intellectu; nihilominus hæc duo distinguuntur virtualiter eo solo titulo, quòd non est idem prædicatum affirmatum de voluntate, ac prædicatum de intellectu negatum: ergo in creatis v. g. inter animal, & rationale datur distinctio virtualis, quamvis omnia, & singula, quæ verè affirmantur de animali, verè quoque affirmantur de rationali; nempe quia assimilatio hominis cum equo v. g. quæ affirmatur de animali, est valdè diversa ab assimilatione hominis cum equo, quæ negatur de rationali; siquidem illa prima est necessaria, & hæc secunda est chymærica. Vel aliter potest formari instantia. Quanquam voluntas amet, & intellectus realiter non amet; nihilominus omnia, & singula, quæ identificantur cum voluntate, identificantur cum intellectu: ergo similiter; quanquam animal sit à parte rei ratio assimilandi hominem equo, & rationale non sit à parte rei ratio assimilandi hominem equo; nihilominus salvari potest, quòd omnia, & singula prædicata, quæ verè conveniunt animali, verè etiam conveniant rationali.

90. Nego primam consequentiam; quoniam intellectus, & voluntas non distinguuntur virtualiter eo solo titulo, quòd sit diversum prædicatum negatum de intellectu, & affirmatum de voluntate, sed quia tota hæc diversitas unicè provenit ex virtuali distinctione. Et hæc est disparitas ad exemplum in creatis. Verum est, rationem assimilandi affirmatam de animali diversam esse à ratione assimilandi negatâ de rationali; cæterùm hæc diversitas est omninò

dependens ab eo, quòd inter utrumque prædicatum detur, vel

non

non detur distinctio virtualis. Nam ratio assimilandi hominem equo affirmata de animali consistit formaliter, & immediatè ex parte rerum in eo, quòd *uterque sit animal*. Item ratio assimilandi hominem equo negata de rationali consisteret in eo, quòd *uterque foret rationalis*. At hoc, quòd est *utrumque esse animal* distingui realiter ab hoc, quòd est *utrumque esse rationale* omninò est independens à distinctione virtuali inter animal, & rationale. Nam sive hæc duo distinguantur virtualiter, sive non distinguantur virtualiter, hoc quòd est *utrumque esse animal*, est necessarium, & hoc quòd est, *utrumque esse rationale*, est chymæricum: ergo est disparitas. Ad secundam formam qua proponitur instantia, concedo totum.

91. Inst. 2. Juxta superiorem doctrinam committimus circum vitiosum. Dicimus namque intellectum, & voluntatem ideo distingui virtualiter (si fortè hoc est verum, ut jam notatum est) quia diversitas inter id, quòd affirmatur de voluntate, & id, quòd negatur de intellectu unicè provenit ex distinctione virtuali. Quòd est explicare idem per idem. Quid ergo est distinctio virtualis? Nego assumptum, & probationem. Non enim damus istam rationem, sed quia amor, quo voluntas amat, non est re ipsa amor, quo intellectus amet; cum tamen juxta principia generalia identitatis, identificatis realiter intellectu, & voluntate, amor quo hæc amat, debuisset esse amor, quo ille amaret. Conceptus itaque distinctio virtualis consistit in *capacitate suscipiendi duo prædicata, quæ absolute sunt contradictoria, vel si talia non fuerint, id dumtaxat proveniat ex defectu identitatis puræ*. Seu clariùs, & brevius, *identitas realis non pura duorum*. Porro hæc non puritas consistit in eo, quòd amor v. g. (abstractè enim, & genericè perperam explicatur hoc) quo voluntas amat, qui alioquin debet esse amor ille, quo intellectus amaret, non sit ille.

92. Inst. 3. juxta hanc doctrinam nulla distinctio virtualis est distinctio realis in tertio, quòd falsum est; nam abs dubio Paternitas, & essentia distinguuntur realiter in tertio filiationis. Probatum assumptum. Nam etiam possumus dicere non affirmari de essentia id ipsum, quòd negatur de Paternitate, eo quòd communicatio essentiae cum filio, quæ affirmatur de essentia per hunc actum, *Essentia est Filius* sit realiter diversa à communicatione Paternitatis cum filio, quæ negatur per hunc actum *Pater non est Filius*. Nego assumptum, cujus probatio est debilis. Etenim prædicatum harum propositionum non est præcisè *communicatio* (imò pressè loquendo

hæc

hæc non est prædicatum) sed copula est igitur prædicatum amborum *Filius*, cumque hic idem identificetur cum essentiâ, & hic idem à Paternitate distinguatur, semper subsistit, quod licet communicationes enunciatae sint diversæ, attamen prædicatum sit idem. Quapropter vel sermo est de solis communicationibus, ita ut hæc solæ sint prædicatum propositionum, vel de solo prædicato? Si primum: fateor communicationes esse diversas, & consequenter respectu illarum non dari distinctionem realem in tertio. Si secundum, nego filium esse diversum. Neque datur recursus ad aliquem filium chimericum identificatum cum Patre, qui sit prædicatum negatum, per hanc propositionem *Pater non est filius*.

93. Nam vel ille idem filius verus, & realis, qui identificatur cum essentiâ, identificatur quoque immediatè cum Paternitate, vel non? Illud primum est error in fide: ergo dicendum est illum eundem filium verum, & realem, qui identificatur cum essentiâ, distingui realiter à Paternitate. Sed hoc est essentiâ, & Paternitatem distingui realiter in tertio, non quidem *communicationis*, sed *filiationis*: ergo. Hoc verò Dilema non potest in nos retorqueri. Nam si rogemur, an ille idem amor, qui identificatur cum voluntate, identificetur quoque cum intellectu? Respondebimus affirmativè. Quod si iterum rogemur: quare intellectus non amat per eum amorem? Respondeo. Aliud est intellectum identificari cum amore, *quo amat voluntas*: aliud identificari cum amore, *quo ipse intellectus amet*: aliud denique amorem, quo amat voluntas, identificari cum amore, quo intellectus amet. Ut intellectus Divinus simpliciter dicatur amare, opus est, quod identificetur cum amore, *quo ipse amet*. Item, ut dicatur amare per amorem, *quo amat voluntas*, opus est, quod amor, quo voluntas amat, identificetur cum amore, *quo intellectus amaret*. Sed quanquam intellectus Divinus identificetur cum amore, quo voluntas amat; nihilominus, neque amor hic, neque intellectus ipse identificantur cum amore, quo intellectus amet: siquidem supponitur impossibilis amor, quo intellectus in sensu reali amet (quæ suppositio falsa est; admittitur verò, ut locum habeat præsens quæstio) ergo quanquam intellectus Divinus identificetur cum amore, quo voluntas amat, attamen neque potest dici quod absolutè amet, neque quod amet per amorem, quo voluntas amat.

94. Explicatur hæc doctrina venusto exemplo. Aliud est creaturam identificari cum aliqua necessitate metaphysica de eo, quod sem-

semper existat Deus. Item aliud est necessitatem metaphysicam de eo, quod semper existat Deus, identificari cum necessitate metaphysicâ de eo, quod semper existat creatura. Et aliud tandem quod creatura identificetur cum necessitate metaphysica de eo, quod semper existat *creatura ipsa*. Primum est verum, secundum, & tertium falsum: atque propterea non est verum simpliciter loquendo, quod creatura existit semper, & necessariò. Item neque est verum quod creatura semper, & necessariò existat *per necessitatem de eo, quod semper Deus existat*. Quoniam dicere absolutè, quod creatura semper, & necessariò existit, est dicere creaturam identificari cum necessitate de eo, quod ipsa existat: præterea dicere creaturam necessariò existere per necessitatem de eo, quod Deus semper existat, est dicere, necessitatem de eo, quod Deus semper existat, identificari cum necessitate de eo, quod semper existat creatura. Sed quamvis creatura identificetur cum aliqua necessitate de eo, quod Deus semper existat; attamen, nec identificatur cum necessitate de eo, quod ipsa creatura semper existat: neque necessitas de eo, quod Deus semper existat, identificatur cum necessitate de eo, quod creatura semper existat, ut constat: ergo quamquam creatura identificetur cum aliqua necessitate de eo, quod Deus semper existat; nihilominus neque est verum dicere absolutè, *illam semper existere*, neque illam semper existere *per necessitatem de eo, quod Deus semper existat*. Quod totum resolvitur in realem distinctionem creaturæ à Deo.

95. Idem in præsentî. Verum est intellectum Divinum identificari cum amore quo amat voluntas: cæterum ratione distinctionis virtualis, quam supponimus inter intellectum, & voluntatem fit quod neque intellectus Divinus identificetur cum amore, quo amet ipse intellectus; neque amor, quo amat voluntas, identificetur cum amore, quo amet intellectus: ergo quanquam intellectus Divinus identificetur cum amore, quo amat voluntas; attamen neque est verum, quod ipse simpliciter amet; neque est verum, quod amet *per amorem, quo voluntas amat*. Hic namque præstat distinctio virtualis inter intellectum, & voluntatem, quod in exemplo allato præstat distinctio realis inter creaturam, & Deum. Hinc regula generalis cognoscendi, quam extrema distinguuntur intrinsecè virtualiter, hæc esto. Tunc duo identificata distinguuntur virtualiter intrinsecè, quando vel negatur de uno idem prædicatum, quod affirmatur verè de altero (ut contingit de essentiâ, & Paternitate) vel prædicatum negatum de uno non est prædicatum


affir-

affirmatum de altero, cum tamen juxta principia generalia identitatis debuerat esse idem.

96. Inst. demum cum doctis recentioribus. Si doctrina hactenus data vera foret, non esset major difficultas in simultaneâ veritate harum propositionum, *Voluntas amat, Intellectus non amat*, quàm harum *Voluntas amat, Intellectus Divinus non currit*, cum utrobique varientur prædicata. Sed hoc manifestè est falsum: ergo doctrina hactenus data non est sufficiens. Nego majorem, cujus probatio non assequitur nostram doctrinam. Nam licet utrobique varientur prædicata; nihilominus in variatione secundorum nulla est difficultas; ingens autem in variatione priorum. Nam sive intellectus, & voluntas realiter identificentur, sive non, perspicuum est omnibus, actum amandi esse diversum ab actu currendi: quapropter neque apparet ulla difficultas in eo, quod formaliter expriment ipsæ propositiones; neque in eo, quod inferunt. At si intellectus, & voluntas nec virtualiter distinguerentur, idem omninò esset amor, quo voluntas amat, ac amor, quo intellectus amaret; proptereaque nulla esset diversitas in prædicatis utriusque propositionis. Cumque grandis sit difficultas in distinctione virtuali intellectus à voluntate; elicitur, grandem quoque difficultatem esse in illis primis propositionibus; non quoad id, quod formaliter expriment, sed quoad id, quod arguunt. Quocirca propositio hæc. Nulla est difficultas in eo, quod de intellectu, & voluntate Divinis affirmantur, & negentur prædicata realiter distincta explicanda est sic. Quando nulla est difficultas in eo, quod prædicata illa sint distincta, concedo. Quando grandis est difficultas in eo, quod prædicata illa sint distincta, nego. Digressione ad Theologiam ob solos Theologos facta, ad logicam revertamur.

CAPUT TERTIUM.

Objectiones contra Caput Primum.

97.  Blicitur 1. ut probes distinctionem prædicativam simul cum indistinctione entitativâ. Fieri potest ut duo conceptus objectivi includant easdem prorsus entitates, & tamen quod unus verè negetur de altero. Sed in hoc stat, quod distinguantur prædicativè, & non entitativè: ergo. Majorem probant multis exemplis

plis P. Junius. Nam 1. Objectum propositionum contradictoria. P. Junius Opuſc. de rerum esse, & non esse cap. 3. rum, & contrariarum est prorsus idem juxta Arist. & juxta veritatem; & tamen hoc quod est, *Omnem hominem esse animal*, verè non est, *Nullum hominem esse animal*. Et, *Aliquem hominem currere*, verè non est, *Nullum hominem currere*. 2. Propositiones Copulativa, Distributiva, Disjunctivaque, quantumcumque differant in modo tendendi, attamen possunt habere idem prorsus objectum: & nihilominus hoc, quod est, *Aliquem hominem esse Petrum*, non est, *Omnes homines esse Petrum*. Item *Omnes Apostolos esse duodecim* non est: *Omnes Apostolos esse duodecim*. 3. Hoc complexum, *Deus Creatura* easdem omnino claudit entitates, quas claudit hoc, *Creatura Dei*; & tamen non potest unum de altero prædicari: falsum quippe est Deum creaturæ esse creaturam Dei. Idem contingit his exemplis, *Uxor Mariti*, *Maritus Uxoris* &c. 4. Oppositio legis cum peccato non est oppositio peccati cum lege; cum illa sit bona, hæc autem prava: & tamen utraque oppositio includit easdem omnino entitates. 5. Petrum posse esse Regem non est Petrum esse Regem, & nihilominus utrobique involvuntur eadem entitates. 6. Petrum posse deficere à rebus, non est Petrum jam deficere; cum tamen nil entitatis includatur in uno ex his duobus conceptibus, quod non includatur in altero: ergo stat quod duæ objectivæ veritates imbibant easdem penitus entitates; attamen quod una falsò prædicetur de altera.

98. Distinguo secundam partem majoris. Et tamen quod unus negetur verè de altero, si servetur eadem terminorum acceptio, nego majorem. Si non servetur, permitto. Quod autem variatis terminorum acceptionibus unus conceptus objectivus verè negetur de altero, non probat distinctionem veram atque positivam inter conceptus ipsos objectivos; sed inter acceptiones, seu suppositiones terminorum, quæ profectò acceptiones non tantum prædicativè, verum etiam entitativè distinguuntur inter se: quandoquidem conflunt in actibus intellectus habentibus jam hunc, jam illum modum tendendi. Ad 1. probationem respondeo. Vel istæ propositiones negativæ habent sensum reflexum, vel sensum directum. Si primum: æquivalent his, *veritas formalis hujus propositionis, omnis homo est animal, non est veritas formalis hujus, nullus homo est animal* (& similiter de aliis) & sic veræ sunt: attamen nil contra nos: quoniam una veritas formalis, & prædicativè, & entitativè distinguitur ab altera: nimirum quia utraque includit actum intellectus, ut modò

suppono ex libris de Anima : cùmque actus intellectus, seu propositiones ipsæ realiter entitativè distinguantur ab invicem, idcirco veritates ipsæ formales realiter entitativè, quamvis inadæquatè distinguantur inter se. Si secundum : veræ quoque sunt dictæ propositiones negativæ ; non quia ex parte objecti, & in rerum naturâ detur quidpiam, quod in se ipso subjectivè sit, *Nullum hominem esse animal* : *Nullum hominem currere*. Id enim falsum esse defendo in Prodro-mo disp. de Ente rationis, & carentis per totam : sed quia in rerum naturâ non datur aliquid, quod in se ipso sit *nullum hominem esse animal*. Hinc autem perperam colligitur distinctio prædicativa, quæ verè, atque positivè distinctio sit.

99. Explicatur. Ex triplici capite nasci potest veritas hujus propositionis v.g. *A non est B* : aut ex eo quod utroque existente in rerum naturâ, non detur inter utrumque identitas ; sicut existentibus in rerum naturâ homine & lapide non datur identitas inter eos (& hoc manifestè evincit distinctionem prædicativam positivam inter illa : ast quoties hoc contingat, dabitur etiam distinctio entitativa) aut ex eo præcisè, quod neutrum existat in rebus, (& hoc non concludit inter talia extrema distinctionem prædicativam, quæ positivè distinctio sit, ut constat ex cap. I. à num. 7.) aut ex eo quod non sit conceptibile per intellectum objectum ullum, quod in se ipso subjectivè sit tale B. & hoc etiam non concludit prædicativam distinctionem inter ea objecta, ut explico disputatione nuper citata. Dico ergo. Veritas istarum propositionum, quas profers, non inde provenit, quod dentur in rerum naturâ duo objecta, quorum unum sit in se ipso, *Omnem hominem esse animal*, & alterum sit in se ipso, *nullum hominem esse animal* ; si namque hoc accideret, talia duo objecta, non prædicativè dumtaxat, sed entitativè quoque distinguerentur inter se ; quandoquidem unum foret possibile, & alterum entitativè impossibile. Sed inde solum provenit, quod non sit conceptibile ab intellectu objectum ullum, quod in se ipso sit, *nullum hominem esse animal* ; *nullum hominem currere* : ergo ex veritate istarum propositionum non elicitor præterita distinctio prædicativa. Hinc promptum erit cuivis dissolvere in formam primam probationem. Adde quod extrema, quæ in istis propositionibus negantur inter se, ac propterea prædicativè distinguuntur, si conceptibilia essent ab intellectu, distinguerentur quoque entitativè, ut mox dicam. Ergo non probatur distinctio prædicativa inter extrema entitativè indistincta.

Ad

100. Ad secundam, permissio antecedenti, nego consequentiam. Tum propter nuper dicta, scilicet quia istæ propositiones idè præcisè veræ sunt, quia non est conceptibile ab intellectu objectum ullum, quod in se ipso sit, *omnem hominem esse Petram*, aut, *omnem Apostolum esse duodecim* ; Tum quia licet istæ propositiones Distributiva, Copulativa, Disjunctivaque habeant idem objectum ; nihilominus extrema, quæ ibi ad invicem negantur, non prædicativè solum, sed etiam entitativè distinguuntur inter se. Nam in primâ negatur identitas *omnium hominum cum Petro* de, identitate alicujus hominis cum eodem Petro ; & illa identitas, si conceptibilis foret per intellectum, entitativè distingueretur ab hac ; nam si, quod ex duobus unum sit simpliciter impossibile, & alterum simpliciter possibile, non concludit ea duo distingui entitativè ; ec quodnam restat argumentum ad suadendum hominem, & lapidem distingui entitativè ? Pariter identitas Petri v. g. cum numero duodenario, quæ negatur de identitate omnium Apostolorum cum eodem numero ; si conceptibilis foret ab intellectu, entitativè distingueretur ab hac secundâ identitate. Ergo per hæc exempla non probatur distinctio prædicativa inter extrema entitativè indistincta.

101. Ad 3. distinguo antecedens. Non potest unum de altero prædicari per actum sic tendentem. *Hoc complexum ex Deo, & Creaturâ est complexum ex Creaturâ, & Deo*. Nego antecedens. Per actum namque sic tendentem verè potest prædicare unum de altero. Non potest prædicari per actum sic tendentem, *Deus Creaturæ est Creatura Dei*. Concedo antecedens, negoque consequentiam. Quippe illud, quod per hoc secundum judicium negatur de subjecto, & ratione hujus negationis dicitur distingui prædicativè ab illo, distinguitur quoque entitativè : nam quod sic negatur est dumtaxat creatura ; & creatura non modò prædicativè, sed etiam entitativè distinguitur à Deo. Quamobrem vel fit comparatio inter *complexum, & complexum*, ut talia : vel inter *partem* unius complexi, & *partem* alterius. Si primum, ista duo complexa non distinguuntur entitativè, verum nec distinguuntur prædicativè ; quoniam unum complexum, *ut tale* prædicatur verè de altero, ut tali ; vera siquidem est hæc prædicatio. *Complexum ex Deo, & Creaturâ est complexum ex Creaturâ, & Deo*. Si secundum, verum est, quod istæ partes utriusque complexi distinguuntur prædicativè, quandoquidem una verè negatur de alterâ ; ast distinguuntur etiam entitativè, ut nuper dixi. Ergo nunquam probatur distinctio prædicati-

H 2

va

va inter illa eadem extrema, quæ indistinguuntur entitativè.

102. Explicatur. Assumptum contrariorum est probare distinctionem prædicativam inter illa eadem extrema, quæ entitativè indistinguuntur. Tunc sic. Quando probant indistinctionem entitativam, assumunt complexa, ut talia; ajunt namque, *Hoc complexum, Deus Creatura, includit easdem entitates, quas hoc Creatura Dei*. Rursus, quando probant distinctionem prædicativam, assumunt partes, ut tales utriusque complexi; nam dicunt, *Deus Creatura non est Creatura Dei*, ubi, quod negatur, est sola creatura, & id, de quo negatur, est solus Deus (obliqua enim, ut purè talia, neque affirmantur, neque sunt id, de quo affirmantur, aut negantur; alias in hac prædicatione, *Pallium Petri est album*, affirmaretur etiam de Petro albedo) sed partes, ut tales distinguuntur realiter inadæquatè ab ipsis complexis, ut modò suppono. Ergo tantùm probant distinctionem prædicativam inter extrema distincta realiter inadæquatè ab extremis, inter quæ probant indistinctionem entitativam. Meritò igitur fallaciæ infimulatur prædictus arguendi modus.

103. Quocirca adversariorum discursus alterutrâ ex his duabus formis explicetur, oportet: *Hoc complexum, Deus Creatura, non distinguitur entitativè ab hoc complexo, Creatura Dei; & tamen hoc complexum distinguitur prædicativè ab altero; nam est falsa hæc prædicatio: hoc complexum, Deus Creatura, est hoc complexum ex Creatura, & Deo: ergo. Vel hac, Deus Creatura non distinguitur entitativè à Creatura Dei, & tamen distinguitur prædicativè: ergo. Si primâ formâ utantur, est vera major, & falsa minor cum sua probatione, quæ vera est hæc prædicatio, complexum ex Deo, & Creatura est complexum ex Creatura, & Deo. Sin verò utantur secundâ formâ, est falsa major; quoniam *Deus Creatura* nil entitativè involuit involutum in *Creatura Dei*, & consequenter *Deus Creatura* distinguitur entitativè à *Creatura Dei*. Quod si dixeris prædicata complexa, ut sic explicata *Deus Creatura, Creatura Dei*, non distingui entitativè; & tamen, ut sic explicata distingui prædicativè, nego hoc secundum; quippe licet falsa sit hæc prædicatio, *Deus Creatura, est Creatura Dei*; nihilominus est vera hæc alia *Hoc complexum Deus Creatura est hoc complexum Creatura Dei*. Summa est. Vel adversarii utuntur vocibus, *complexum, complexum*; vel his, *Deus Creatura, Creatura Dei*. Si primis, dicendum est abesse distinctionem entitativam, & etiam prædicativam. Si secundis, dicendum*

dum est dari distinctionem prædicativam, & etiam entitativam. Si ex unis vocibus ad alteras transeant; dicendum est illos arguere à parte ad totum, quæ sunt extrema realiter inadæquatè distincta.

104. Similiter respondeo ad 4. exemplum. Oppositio legis cum peccato si sumatur præcisè quoad rectum, non est oppositio peccati cum lege, proindeque distinguitur prædicativè ab illâ. Cæterum hoc modo sumptæ ambæ oppositiones, etiam distinguuntur entitativè; nam oppositio legis cum peccato sumpta quoad rectum præcisè, est præcisè ipsa lex; oppositio peccati cum lege sumpta similiter quoad rectum præcisè, est præcisè ipsum peccatum; lex autem, & peccatum entitativè distinguuntur. Si autem utraque oppositio sumatur adæquatè, nempe quoad rectum, & obliquum, neque entitativam, neque prædicativam distinctionem admittit, & una verè prædicatur de alterâ, & utraque est partim bona (nempe quatenus includit legem) & partim mala, quatenus peccatum involvit. Absolutè tamen, & regulariter loquendo dicitur bona oppositio legis cum peccato, & mala oppositio peccati cum lege, quia regulariter loquimur de utrâque secundum rectum.

105. Ad 5. respondeo. Vel loqueris de possibilitate remotâ, ac radicali Petri, ut sit Rex, vel de possibilitate formali, atque immediatâ? Si primum, fateor illam distingui prædicativè ab hoc, quod est, ipsum esse Regem; at verò etiam distinguitur entitativè: quoniam illa potestas remota, & radicalis nil aliud est, quàm ipse Petrus, qui profectò prædicativè, & entitativè differt ab actuali possessione regnandi. Si secundum, verum est, quodd Petrum posse esse Regem, non est Petrum esse Regem. Cæterum hoc indè tantùm provenit, quodd neque existit in rerum naturâ hoc, quod est Petrum esse Regem; neque possibilitas formalis, & immediata hujus, quod est Petrum esse Regem, utpotè indistincta ab hac, quod est Petrum esse Regem. Ex quibus tantummodò elicitur distinctio prædicativa, si hæc fuerit distinctio purè negativa. Recognosce dicta cap. 1. à n. 9.

106. Ad 6. Respondeo Petrum posse deficere non est Petrum deficere: non quia ex parte rerum detur quippiam, quod subjectivè in se ipso sit *Petrum deficere*, quemadmodum ex parte rerum datur aliquid, quod subjectivè in se ipso est lapis, & hoc aliquid negatur de homine: non, inquam, ex hoc capite, ut jam insinuari; si enim tale aliquid daretur ex parte rerum, non tantùm prædicativè, sed etiam

etiam entitativè distingueretur ab existentia. Sed quia non est conceptibile per intellectum objectum ullum, quod in se sit hoc, quod est, *Petrum deficere*. Sed de his fufius in suo loco.

§. II.

107. **O**bjic. 2. ut probes gradus, seu prædicata metaphysica Petri non identificari inter se, & cum suis differentiis individualibus. Quæ repugnant uni tertio, repugnant inter se. At animal, & rationale Petri v. g. repugnant uni tertio, scilicet quia neutrum ex his duobus prædicatis identificari potest cum lapide v. g. ergo repugnant inter se: ergo non identificantur inter se. Confirmatur. Id, per quod Petrus distinguitur à Paulo, est distinctum à Petro ipso. Sed differentia individualis Petri est id, per quod Petrus distinguitur à Paulo: ergo differentia individualis Petri distinguitur à Petro. Probatur major. Id per quod Paulus distinguitur à Petro est distinctum ab ipso Petro (nam id, per quod Paulus distinguitur à Petro est differentia individualis Pauli, quæ profectò est distincta à Petro) sed id, per quod Petrus distinguitur à Paulo est id, per quod Paulus distinguitur à Petro: quandoquidem unum distinguì ab alio est formalissimè aliud distinguì ab uno, & id per quod amo Deum est id per quod Deus amatur à me, & id per quod causa producit effectum, est id per quod effectus producit à causa: ergo. Confirmatur 2. Juxta SS. PP. omnes tenemur grates rependere Deo, propterea quòd non fecerit nos belluas: quæ sententia futilis esset, si homines identificarentur cum suis quisque differentiis individualibus: ergo non identificantur. Confirmatur 3. Stat bene, quòd Petrus sit albus, quin identificetur cum albedine, ut est perspicuum: ergo etiam stat bene quòd Petrus sit animal, quin identificetur cum animalitate.

108. Ad objectionem distingo majorem. Quæ repugnant uni tertio repugnantia consistente in eo, quòd neutrum identificetur cum illo tertio repugnant inter se, nego majorem (alioqui attributa Divina etiam repugnant inter se, siquidem nullum ex illis identificatur cum lapide v. g.) repugnantia consistente in eo, quòd unum ex illis identificetur cum eo tertio, secus alterum. Permitto majorem; & similiter explicatà minore, nego consequentiam: Quippè animal, & rationale non ita repugnant lapidi, ut unum ex illis identificetur cum lapide, secus alterum; sed ita ut neutrum cum lapide iden-

identificetur. Ad confirmationem, nego majorem, & probationis minorem. Id namque, per quod Petrus formaliter, & immediatè distinguitur à Paulo est Petreitas. Rursus id, per quod Paulus formaliter, & immediatè distinguitur à Petro, est Pauleitas, & est evidens, Petreitatem non esse Pauleitatem.

109. Neque ratio contraria urget; nam quamvis unum distinguì ab alio sumptum adæquatè sit aliud distinguì ab hoc uno; non tamen sumptum duntaxat inadæquatè: nam sumptum inadæquatè, est unius cujusque differentia individualis. Et certum est quòd unaquæque non identificatur cum altera. Exempla ista non urgent, quoniam ad amandum non requiruntur duo amores, unus in amante, alter in amato: neque ad producendum requiruntur duæ productiones. Ut duo tamen distinguantur invicem, requiruntur duæ differentie; quoniam si distinguantur, unumquodque habet per suam essentiam distinguì ab altero: ergo unum quodque identificatur cum sua distinctione, sua differentia ab altero. Ad secundam respondeo nos teneri gratias agere, non quatenus Deus potuerit adimere nobis esse rationale, & infundere esse belluinum: hoc namque est impossibile; sed quatenus pro corpore humanitus organizato potuerit dare nobis corpus, ferinum in modum, dispositum, quo fieret ut anima rationalis non fungeretur operationibus rationalibus. Ad 3. concesso antecedenti, nego consequentiam. Disparitas est. Album sive sumatur pro solo subjecto, quod dicitur album, sive sumatur pro concreto ipso resultante ex subjecto, & formà, non identificatur adæquatè cum albedine. Non subjectum ipsum: nam paries v. g. adæquatè distinguitur ab albedine; non concretum: nam hoc præter albedinem includit intrinsecè subjectum: ergo non est cur ex eo, quòd Petrus sit albus, arguatur Petrum identificari cum albedine. Attamen animal identificatur adæquatè cum animalitate, hoc est cum sua differentia, ut supra est probatum: ergo ex eo, quòd Petrus sit animal, bene concluditur Petrum identificari cum animalitate.

110. Ob. 3. ut probes distinctionem Scoticam formalem ex naturâ rei. Illud, quod actu ex naturâ rei, & ante omnem operationem intellectûs est ratio *assimilandi* hominem equo actu, ex naturâ rei, & ante omnem operationem intellectûs distinguitur ab eo, quod actu, ex naturâ rei, & ante omnem operationem intellectûs est ratio *dissimilandi* hominem equo. Sed animal prædicto modo est ratio *assimilandi* hominem equo, & rationale prædicto etiam modo

modo est ratio dissimilandi hominem equo: ergo animal actu, ex naturâ rei, & ante omnem operationem intellectûs distinguitur à rationali. Sed animal, & rationale sunt prædicata creata realiter identificata: ergo. Confirmatur 1. esse rationem assimilandi hominem equo; & non esse rationem assimilandi hominem equo sunt duo prædicata contradictoria. Sed de animali hominis verificatur illud primum, & de rationali verificatur hoc secundum: ergo de animali, & de rationali verificantur duo contradictoria: quod subsistere non valet, quin versetur aliqua distinctio actu, & ante omnem intellectûs operationem inter duo hæc prædicata.

111. Confirmatur 2. hoc quod est *esse rationem assimilandi hominem equo*, est aliquid in rerum naturâ; quia non est merè phantasticum. Sed hoc verificatur de animali, & non verificatur de rationali: ergo aliquid verificatur de animali, quod non verificatur de rationali. Sed hoc est impossibile, quin animal, & rationale habeant distinctionem formalem ex naturâ rei, aut saltem virtualem: ergo. Confirmatur 3. si animal, & rationale non distinguerentur formaliter ex naturâ rei, aut saltem virtualiter, syllogismus rectè dispositus non concluderet; quapropter ars syllogistica corrueret. Probat. Hic syllogismus esset rectus: *Hoc animal est ratio assimilandi hominem equo. Hoc rationale est hoc animal: ergo hoc rationale est ratio assimilandi hominem equo.* Unica enim ratio, ob quam non esset rectus, est; quia inter hoc rationale, & hoc animal daretur aliqua ex dictis distinctionibus. Quam ob rem si nulla datur, præfatus syllogismus esset rectus. Tum sic. Sed hic syllogismus non concludit, quandoquidem præmissæ sunt veræ, & consequens falsum: ergo si non datur aliqua ex his distinctionibus, syllogismus rectus non concluderet. Confirmatur 4. Natura humana Petri, v.g. est à parte rei fundamentum univocationis Petri cum cæteris hominibus. Sed differentia individualis Petri non est à parte rei tale fundamentum, eum potius sit à parte rei fundamentum discernendi Petrum à cæteris hominibus: ergo inter naturam Petri, & hujus differentiam individualem debet dari aliqua distinctio. Sed non distinctio realis simpliciter talis: ergo formalis ex naturâ rei.

112. Solutio, qua multi nobiles recentiores excipiunt egregia hæc argumenta, eò tendit, ut suadeat falsam esse, aut æquivocam illam propositionem sæpè assumptam ab Scotistis, nempe, *rationalis non esse rationem assimilandi hominem equo*; unde consequenter Scotistarum impetus in probationem hujus propositionis vergit.

So.

Solutione autem veriore, & universaliore, & in omnibus fermè quæstionibus metaphysicis nobis solemniter utar. Porrò difficile creditu est rationale esse ullatenus propriè loquendo rationem assimilandi hominem equo. Ad hoc enim erat necessarium, quòd tam homo, quàm equus esset rationalis. Quis namque dicet *Cacodæmonem* esse ullatenus similem Deo in sanctitate, aut formicam in *Omnipotentia*? Et sanè non ob aliam causam, nisi quia neque sanctitas reperitur in *Cacodæmone*, neque Omnipotentia in formica: ergo ad hoc, ut homo esset similis equo in rationalitate propriè loquendo, opus erat quòd rationalitas in utroque inveniretur. At non invenitur: ergo. Sed ex hoc eodem Scotistarum discursu subsumens solutionem.

113. Distinguo majorem objectionis. Si esse rationem assimilandi hominem equo, & esse rationem dissimilandi hominem equo connotent diversos terminos, nego majorem (nam tunc de eadem prorsus simplici entitate verificari poterit esse rationem assimilandi, & esse rationem dissimilandi) si non connotent diversos terminos, concedo majorem, & permitta minore, nego consequentiam. Explicatur. Verum est quòd juxta communem, frequentemque loquendi modum animal est ratio assimilandi hominem equo, & rationale est ratio dissimilandi hominem equo. Cæterum hoc non probat distinctionem formalem ex natura rei inter utrumque; quippe hæc propositiones innuunt terminos valdè diversos. Nam animal esse rationem assimilandi hominem equo stat formaliter, ac immediatè in eo, quòd *uterque sit à parte rei animal*: rationale esse rationem dissimilandi hominem equo stat in eo, quòd non uterque sit rationalis: ergo illud primum connotat affirmativè, *utrumque esse animal*, & hoc secundum connotat negativè, *utrumque esse rationale*. Sed utrumque esse animal, & utrumque esse rationale, sunt res valdè diversæ, cum unum sit possibile, & alterum impossibile: ergo præfata propositiones innuunt terminos valdè diversos: ergo possunt verificari de subjectis nullo prorsus modo distinctis: ergo quòd verificentur de animali, & rationali non evincit hæc duo prædicata distingui inter se formaliter ex natura rei.

114. Similiter occurro confirmationibus. Distinguo majorem primæ. Sunt prædicata contradictoria, si connotent eosdem prorsus terminos, concedo. Si secus, nego majorem (quia contradictoriæ propositiones debent esse *ejusdem, de eodem, secundum idem*, quod non eveniet, si propositiones terminos diversos connotent) & per-

I

missa

missa minore, nego consequentiam. Quippe animal esse rationem assimilandi hominem equo consistit à parte rei in eo, quod *uterque sit animal*: rationale non esse rationem assimilandi, negat quod *uterque sit rationalis* (nam rationale esse rationem assimilandi staret in eo, quod *uterque foret rationalis*) & sunt res valdè diversæ, quod *uterque sit animal*, & *uterque sit rationalis*. Ad 2. distinguo majorem. Est aliquid in rerum natura, & reddit eundem sensum, quando affirmatur de animali, ac quando enunciatur de rationali, nego majorem. Et reddit sensum valdè diversum, concedo majorem, permissaque minore, nego consequentiam. Hoc quod est esse rationem assimilandi hominem equo reddit sensum diversum, quando applicatur animali, & quando applicatur rationali. Nam quando applicatur animali, significat hominem, & equum esse animal; quando verè applicatur rationali, significat hominem, & equum esse rationalem, & non est idem unum, ac alterum: ergo tametsi verificetur de animali esse rationem assimilandi, & hoc negetur de rationali, nunquam probatur, quod aliquid verificetur de uno, quod non verificetur de altero, seu quod illud aliquid sit idem in utroque casu.

115. Ad 3. Confirmationem, nego sequelam, & probationem adjunctam. Independentem namque à distinctione virtuali, ac formali ex naturâ rei est vitiosus ille syllogismus, necnon alii similes. Ratio est. Ut iste syllogismus foret legitimus, opus erat, quod prædicatum majoris esset omnino idem cum prædicato consequentis (quoniam in his syllogismis primæ figuræ extremitas major, quæ est prædicatum in propositione majore, debet esse prædicatum in consequenti) sed non est. Probatur. Prædicatum majoris connotat terminum valde diversum ab eo, quem connotat prædicatum consequentis. Nam esse rationem assimilandi hominem equo. quod est prædicatum majoris juxta Scotistas ipsos, & juxta veritatem, consistit in eo, quod *uterque sit animal*. Præterea esse rationem assimilandi hominem equo quod est prædicatum consequentis staret in eo, quod *uterque esset rationalis*: qui sunt termini, aut objecta valdè diversa: ergo prædicatum majoris connotat terminum valdè diversum à termino connotato per prædicatum consequentis: ergo & prædicata ipsa sunt diversa: ergo syllogismus habet quatuor terminos. Pariter ad 4. Confirmationem ommissis præmissis, nego consequentiam. Quippe juxta ipsos Scotistas naturam humanam esse à parte rei fundamentum univocationis explicatis terminorum involuctis, consistit in eo, quod à parte rei detur fundamentum, ut

Pe.

Petrus, & cæteri homines confundantur sub hac cognitione *Homo*. Ulterius singularitatem non esse fundamentum univocationis consistit in eo, quod Petrus, & reliqui homines confundi nequeant sub illâ cognitione *Petrus*. Tunc sic. Quod à parte rei detur fundamentum ad primum, & non ad secundum minimè probat ullam, vel minimam diversitatem inter naturam, & singularitatem, sed dumtaxat inter eas duas cognitiones, & inter fundamentum, ut homines confundantur sub hac cognitione *Homo*, & fundamentum, ut confunderentur sub hac cognitione *Petrus*. Quod est verum, siquidem unum est necessarium, & alterum impossibile.

116. Ob. 4. ex eisdem Scotistis. Animal, & rationale hominis ante operationem intellectûs habent diversas quidditates, definitiones, atque rationes formales. Nam quidditas, ratio formalis, definitioque animalis est, *esse principium sentiendi*, è converso autem, quidditas rationalis est, *esse principium discurrendi*: ergo animal, & rationale ante operationem intellectûs distinguuntur inter se. Confirmatur 1. Animal hominis est indifferens ad hominem, & brutum, secus rationale: ergo. 2. Animal hominis, & animal bruti sunt idem animal, secus rationale hominis, & animal bruti: ergo. 3. Animal potest reperiri in bruto, & consequenter potest separari ab homine; non verò prædicatum rationalis: ergo hæc duo prædicata distinguuntur inter se.

117. Ad objectionem, nego antecedens. Ad probationem dissimulato quod *signatè* procedunt in sensu reali, *exercitè* verò in sensu reflexo, & præcisivo, qui duo sensus invicem repugnant, respondeo. Quidditas, ratioque formalis prædicati animalis, quod reperitur in homine, est à parte rei non tantum principium sentiendi, verum etiam principium discurrendi, & vicissim de rationali. Locutiones verò philosophicæ, quibus passim utimur omnes ajentes quidditatem animalis *unicè* consistere in eo, quod animal sit principium sentiendi, intelligendæ sunt in sensu formali, nimirum: quod possumus enunciare de animali ex vi præcisè hujus cognitionis *Animal*, tantum est, illud esse principium sentiendi, non autem possumus ex vi præcisè dictæ cognitionis enunciare de illo esse principium discurrendi. Hoc autem solum probat imperfectionem nostrarum cognitionum, & non ullam distinctionem objectivam inter ea prædicata, aut inter rationes formales amborum. Profecto si Tyronum mentes germanæ explicationi locutionum philosophicarum

affuescerent, virorum intellectus ad has abstractiones, & præcisiones non deflecerent.

118. Ad 1. confirmationem, distinguo antecedens. Est à parte rei indifferens ad hominem, & brutum, nego antecedens (nam in sensu reali, & loquendo, prout res sunt in se ipsis, non prout à nobis apprehenduntur, animal hominis est penitissimè identificatum cum homine, & prorsus repugnans identificari cum equo v.g. & similiter animal equi) est mentaliter, seu apparenter indifferens, permitto antecedens, & nego consequentiam: quoniam hoc dumtaxat probat distinctionem mentalem, seu apparentem inter animal, & rationale, non tamen formalem ex naturâ rei. Ad 2. distinguo similiter antecedens. Sunt à parte rei idem animal, nego, quia hoc est chymæra. Sunt metaphoricè, seu mentaliter, seu apparenter idem animal, concedo antecedens, & nego consequentiam. Ad 3. distinguo primam partem antecedentis. Animal *hominis* potest reperiri &c. nego antecedens. Animal *bruti*, concedo antecedens. Hoc verò tantummodò evincit distinctionem realem simpliciter talem inter rationale, & animal bruti, non verè formalem ex naturâ rei inter animal, & rationale hominis.

119. Ob. 5. ex eisdem. Singularitas naturæ humanæ v.g. Petreitas est ante omnem operationem intellectûs extra naturam. Sed non realiter simpliciter: ergo formaliter ex naturâ rei. Probatur major 1. Ea singularitas est modus, & differentia essentiæ. 2. Quia Petrus, & Paulus ex vi suarum singularitatum non distinguuntur essentialiter, sed tantum individualiter: ex vi autem naturarum distinguuntur essentialiter. 3. Natura actu, & ante operationem intellectûs est multiplicabilis: quandoquidem ante omnem intellectûs operationem dantur multi homines. At Petreitas v.g. non est sic multiplicabilis: ergo.

120. Nego majorem objectionis, & suam primam probationem. Nam loquendo de rebus, prout sunt à parte rei, singularitas, differentia individualis, Petreitas, natura Petri sunt quidem voces diverse, sed idem omninò significantes. Utuntur igitur Philosophi istis phrasibus, sed eisdem non abutendum est nobis. Istæ phrasæ, & locutiones sunt veræ in sensu formali, logico, mentali, atque apparenti, non in sensu reali, vero, & proprio; quia non datur à parte rei ante omnem operationem intellectûs natura aliqua humana, quæ sit communis multis; sed tantum reflexè, ac dependentè ab intellectu: unde argumenta hæc signatè procedunt in sensu reali; quia hunc

hunc sonant ista verba; exercitè autem in sensu mentali, & præcisivo, ut jam adverti: quoniam iste terminus *Natura* jam exercitè facit præcisionem ab inferioribus. Nego pariter secundam, & tertiam probationem. Quoniam si sensus fuerit de rebus, prout sunt in se ipsis, & non prout imperfectè obscurè, atque inadæquatè à nobis concipiuntur, sicut Petrus, & Paulus differunt, seu potius distinguuntur essentialiter (non dico specificè) per suam naturam, ita distinguuntur per suas differentias, seu singularitates; & quemadmodum Petreitas est omninò indivisa, atque immultiplicabilis, ita natura humana, quæ est in Petro, est omninò indivisa, & immultiplicabilis. Locutiones passim usitatæ in Scholis, quæ oppositum præferre videntur, intelligendæ sunt, ut jam monui, in sensu purè formali, apparenti, & logico.

CAPUT QUARTUM.

Expenduntur singillatim rationes P. Richardi Lynce.

121.



Ultus est ingeniosus hic Magister in probandâ distinctione virtuali inter extrema creata realiter identificata. Quinque integra capita in hoc assumpto impendit. Cæterum prætermittis illis rationibus, quibus argumentum Scoticum urget, probando rationale non esse rationem assimilandi hominem equo; ed quòd supra admisimus ut veram hanc propositionem, ubi ostendimus per hanc arguendi formam non probari ullam distinctionem objectivam inter animal, & rationale hominis, sed dumtaxat inter hoc, quod est *hominem*, & *equum esse animal*, & hoc quod est *hominem*, & *equum esse rationale*. Sic argumentatur pro distinctione virtuali. Color, & dependentia hujus à Deo realiter identificantur inter se (est certum; quoniam omnis creatura per solam suam essentiam à quovis alio præscindendo, dependet à Deo, ut suadere conamur cum communi sententia DD. contra P. Gasparem de Ribaden:) sed his conveniunt prædicata contradictoria. Probatur. Esse evidenter, atque intuitivè cognitum, & non esse evidenter, & intuitivè cognitum sunt duo prædicata contradictoria. Sed colori convenit primum: siquidem clarè intuemur colorem. Dependentiæ autem à Deo convenit secundum, quia nequimus clarè, & intuitivè cognoscere dependentiam, ut talem ab aliquo termino, quin

clarè

*P. Lynce
l. 2. Met.
trati. 4. c.
8.
P. Rivad.
disput. de
rer. possib.
c. 2. n. 3.*

clarè agnoscamus illum terminum, ut colligi videtur ex nostrà doctrinà in Prodomo Disput. de rerum connexionè, & oppositiōe cap. 8. ergo.

122. Prætereo solutiones, quas ipse P. Lynce refellit, necnon solutionem, quæ ex loco proximè citato desumitur. Ibi namque tantum dicimus non posse cognosci fundamentum, *ut relatum ad terminum*, quin per eandem cognitionem agnoscat simpliciter terminus: non autem resolvimus terminum debere cognosci clarè, ac intuitivè. Sed de hoc latius ibi. Distinguo majorem nostris principiis generalibus insistendo. Sunt contradictoria si connotent eodem terminos, concedo majorem. Si diversos, nego majorem. Quia si illa prædicata terminos diversos connotent, non erunt ejusdem, de eodem, secundum idem: quapropter contradictoria non erunt. Et permissà minore, nego consequentiam.

123. Explicatur. Colorem esse evidèter, ac intuitivè cognitum, & dependentiam à Deo non esse intuitivè cognitam sunt propositiones reflexæ; enuntiant quippe alias cognitiones, quæ terminos valdè diversos connotant, proindeque citra contradictionis timorem concedi possunt. Nam colorem esse intuitivè cognitum stat in eo, quòd hæc determinata creata cognitio, *Color existit* oriatur ab specie proprià sui objecti, ut modò suppono ex libris de Animà, ubi traditur definitio cognitionis intuitivæ: dependentiam à Deo non esse intuitivè cognitam stat in eo, quòd hæc creata determinata cognitio, *Color dependet à Deo*, non oriatur ab specie proprià totius sui objecti adæquati. Nam, ut modò suppono ex lib. de Anima, cognitionem creatam esse intuitivam consistit in eo, quòd nascatur à specie propria sui objecti, vel ab alio supplente vices talis speciei: ergo colorem esse intuitivè cognitum innuit hanc determinatam cognitionem, *Color existit*. Et dependentiam à Deo non esse intuitivè cognitam innuit negativè hanc determinatam cognitionem, *Color dependet à Deo*. Sed hæc sunt cognitiones realiter simpliciter distinctæ: ergo istæ propositiones connotant cognitiones realiter distinctas: ergo istæ propositiones, tametsi videantur, non tamen sunt contradictoriæ: ergo innoxie possunt concedi.

124. Obicit 2. idem Author. In actu contritionis identificantur realiter amor Dei, & odium peccati. Nam per eundem omnino actum, quo diligimus Deum, detestamur peccatum. Sed his conveniunt prædicata contradictoria. Probatur. Terminari ad Deum,

Deum, & non terminari ad Deum. Item terminari ad peccatum, & non terminari ad peccatum, sunt duo binaria contradictoria. Sed amor convenit terminari ad Deum, & non ad peccatum, quoniam est amor Dei, & non peccati. Odio autem è converso convenit terminari ad peccatum, & non ad Deum: siquidem est odium peccati, & non Dei. Ergo amor, & odio conveniunt prædicata contradictoria. Confirmatur 1. esse Dei, & non esse Dei sunt duo prædicata contradictoria. Quia tam opponuntur affirmatio, & negatio ejusdem obliqui, quàm affirmatio, & negatio ejusdem recti. Sed prædicto amor convenit *esse Dei*, nam prædictus amor est amor Dei: odio autem convenit *non esse Dei*: nam prædictum odium non est odium Dei: ergo. Confirmatur 2. ideo objectum esse cognitum, & objectum esse representatum sunt idem, & tantum distinguuntur penes voces, quia cognitio, & representatio sunt idem realiter, & virtualiter. Ergo si amor, & odium, quæ coherent in actu contritionis, sunt idem realiter, & virtualiter, idem erit, objectum esse amatum, ac objectum esse odio habitum. Quod vastum Paradoxum videtur.

125. Impar argumentum dimovendo nos à nostris principiis. Concessà majore objectionis, nego minorem. Ad probationem, distinguo majorem. Sunt contradictoria, quando connotant eodem prorsus terminos concedo majorem. Quando secus nego majorem. Quippe si eodem prorsus terminos non connotent, non erunt ejusdem, de eodem, secundum idem, & permissà minore, nego consequentiam. Amorem terminari ad Deum consistit unice, formaliter, ac immediatè in eo, quòd Deus denominetur amatus: ergo connotat denominationem *amati*. Præterea odium non terminari ad Deum consistit in eo, quòd Deus non denominetur *odio habitus*. Ergo connotat negativè, seu negat denominationem *odio habitus*. Sed denominatio *amati*, & denominatio *odio habitus* sunt valdè diversæ denominationes, tametsi ab eadem simplicissima contritione oriundæ.

126. Quemadmodum elementa sunt invicem plurimum distincta, quamquam ab eadem simplicissima omnipotentia ortum ducant; & quemadmodum denominationes *videntis*, & *visi* sunt diversæ tametsi oriundæ ex eadem visione: & similiter denominationes *producentis*, & *producti* &c. Ergo amorem terminari ad Deum, secus odium, connotant terminos valde diversos: ergo non sunt contradictoria. Idem dicendum, si termini inflectantur circa pec-

catum. Ad 1. confirmationem distinguo maiorem esse Dei *amorem* & non esse Dei *amorem*. Vel esse Dei *odium*, & non esse Dei *odium* sunt contradictoria concedo maiorem. Esse Dei *amorem*, & non esse Dei *odium* sunt contradictoria nego maiorem, quia innuunt denominationes valde diversas: & proportione servatâ distinguo minorem, & nego consequentiam. Tametsi amor, & odium, quæ confluunt in contritione, sint prorsus idem; attamen non dicimus, quod omnis amor, & omne odium sunt idem: proindeque Dei amor, & Dei odium sunt termini valde diversi. Ad 2. distinguo antecedens. Ideo præcisè nego antecedens: ideo, & quia omnis cognitio alicujus objecti est repræsentatio intellectualis ejusdem objecti, concedo antecedens, & nego consequentiam. Quia licet amor, & odium, quæ in contritione reperiuntur sint idem realiter, & virtualiter; attamen non dicimus, omnem amorem alicujus objecti esse realiter, & virtualiter odium ejusdem.

127. Objicit. 3. idem Author. Eadem cognitio gradatim crescens (quam possibilem esse, tametsi de facto non existere plerique autumat) potest esse clara respectu Dei, & obscura respectu Creaturæ. Sed cognitioni id generis conveniunt prædicata contradictoria. Probatur. Habere formam, & carentiam formæ sunt duo prædicata contradictoria. Sed præfata cognitio haberet formam, nempe claritatem, & carentiam formæ, nempe carentiam claritatis; siquidem ponimus eam fore obscuram respectu creaturæ: ergo. Hoc difficultu prolato quasi de victoriâ securus subjungit. *Videamus quid huic argumento responderi possit?* Respondeo, Habere formam, & carentiam *hujus ejusdem formæ* sunt quidem contradictoria: secus habere formam, & habere carentiam *aliis diversæ formæ*, ut planum est. Jam prædicta cognitio non haberet formam, & carentiam hujus ejusdem formæ. Probatur, Non haberet gradus, per quos intenderetur circa Deum, & carentiam horum eorundem graduum: sed haberet gradus, per quos intenderetur circa Deum, & carentiam graduum, *per quos intenderetur circa creaturam*. At gradus, per quos intenderetur circa Deum, essent realiter diversi à gradibus, per quos intenderetur, seu cresceret circa creaturam; siquidem uni possunt existere in rerum naturâ absque alteris: ergo de prædictâ cognitione non verificaretur, quod haberet formam, & carentiam *ejusdem formæ*, sed tantum verificaretur quod haberet formam, & carentiam *aliis formæ diversæ*.

128. Sed contra hanc solutionem, quæ minimè latebat ipsum

P. Lyn.

P. Lynce sic infurgit. Ea cognitio, ut supponimus est eadem respectu Dei, & respectu creaturæ: ergo saltem primus gradus respectu Dei, primusque gradus respectu creaturæ, est unus, & indivisibilis realiter; ergo idem dicendum de secundo, tertio, & reliquis: ergo falsum est gradus, per quos illa cognitio crescit respectu Dei, esse realiter distinctos à gradibus, per quos intenditur respectu creaturæ. Explicatur. Idem cognitio, & amor intenduntur per gradus realiter distinctos; quia cognitio, & amor sunt operationes realiter distinctæ: ergo operationes, quæ non fuerint realiter diversæ, non per diversos, sed per eosdem gradus augebuntur. At, ut supponimus, cognitio Dei, & creaturæ cognitio, est omnino eadem in casu præsentis: ergo per eosdem gradus intenditur dicta cognitio respectu creaturæ, per quos intenditur respectu Dei: ergo falsum est gradus intensiōis respectu creaturæ esse diversos à gradibus intensiōis respectu Dei.

129. Ad instantiam, concessâ primâ consequentiâ, nego secundam. Quia, ut tu ipse supponis, ista cognitio non est clara respectu creaturæ, sed respectu Dei, & consequenter ista cognitio non crescit, seu intenditur, seu augetur gradatim respectu creaturæ, sed respectu Dei: ergo licet primus gradus istius cognitionis tendat in Deum, & creaturam, non est dicendum idem de secundo, & de reliquis gradibus. Alias equè esset clara, intensaque respectu creaturæ, atque respectu Dei, contra tuam ipsam suppositionem. Quod si dixeris secundum, tertium, & ceteros gradus istius cognitionis equè representare Deum, atque creaturam, consequenter dicere teneris, istam cognitionem æquè augeri gradatim respectu creaturæ, & respectu Dei, proindeque esse æquè claram respectu creaturæ, & respectu Dei. Ut quid ergo ponis istam cognitionem claram, atque intensam respectu Dei, & obscuram, atque remissam respectu Creaturæ? Ad explicationem omissio antecedenti distinguo primum consequens. Per eosdem gradus augebuntur respectu *eiusdem objecti* concedo consequentiam: respectu diversorum objectorum, nego consequentiam. Licet namque operationes non sint distinctæ mutuo, tamen cum objecta ipsarum ad invicem distinguantur, gradus, per quos intenduntur respectu unius objecti, possunt esse diversi à gradibus, per quos intenduntur respectu alterius: quandoquidem uni possunt existere in rebus absque alteris. Cum igitur objecta istius cognitionis, de qua impresentiarum, sint mutuo distincta, idcirco, licet cognitio respectu Dei, & cog-

K

tio

tie respectu Creaturæ in isto casu intendantur per eisdem gradus respectu Dei, non tamen intenduntur per eisdem gradus respectu Dei, & respectu Creaturæ. Aliàs chimæra esset istam cognitionem intensam fore respectu Dei, & non respectu creaturæ. Et demum, concessâ minore subsumptâ, nego consequentiam.

130. Objic. 4. Similitudo duorum hominum in natura humanâ, & entitativa eorundem perfectio identificantur inter se, ut est certum. Sed his conveniunt duo contradictoria. Probatur. Esse id, in quo duo homines sunt æquales duobus Angelis, & non esse id, in quo duo homines sunt æquales duobus Angelis, sunt duo prædicata contradictoria. Sed similitudini convenit esse id, in quo duo homines sunt æquales duobus Angelis. Namque duo homines tam similes sunt inter se, quàm duo Angeli speciei ejusdem: perfectioni autem convenit non esse id, in quo &c. Nam, ut evidens apparet, duo homines non sunt tam perfecti, quàm duo Angeli: ergo. Jam præbuimus legitimam Methodum succidendi hæc argumenta: scilicet explicare, vel juxtâ communem terminorum apprehensionem, vel juxtâ ipsorum arguentium mentem propositiones illas, quæ contradictionis speciem præferre videntur, quâ datâ explicatione tota evanescit contradictio.

131. Igitur concessâ majori, nego minorem. Ad hujus probationem distinguo majorem. Sunt contradictoria, quando connotant eisdem prorsus terminos, concedo majorem. Quando diversos nego majorem: quia tunc non erunt ejusdem, de eodem, secundum idem. Et permittâ minori, nego consequentiam. Nam, similitudinem esse id, in quo duo homines sunt æquales duobus Angelis, consistit in eo, quod duo homines, & duo Angeli possint confundi sub hoc conceptu, *similia in specie*: & quod detur à parte rei fundamentum, ut sic confundantur. Præterea perfectionem non esse id, in quo &c. Stat in eo, quod duo homines non possint confundi sub hoc conceptu, *Perfectum à quatuor*: esto duos Angelos habere perfectionem, ut quatuor: neque detur à parte rei fundamentum, ut sic confundantur. Hoc autem præcisè probat, hos duos conceptus, fundamentaque objectiva ad illa esse realiter distincta, non verò similitudini, ac perfectioni convenire prædicta contradictoria. Independentem quippe à distinctione prætensa stat, duos homines pollere perfectione solum, ut duo; ergo.

132. Objic. 5. ponamus duas quantitates, alteram majorem, *palmarem* v. g., alteram minorem, v. g. *semipalmarem*. Tunc sic, inajo.

majoritas, & minoritas harum duarum quantitatum identificantur inter se (nam idem prorsus est unam esse majorem alterâ, ac alteram esse minorem illâ) sed eis conveniunt prædicata contradictoria 1. quia majoritas constituitur per quantitatem majorem, non per minorem: e converso autem minoritas constituitur per quantitatem minorem, non per majorem. 2. Quia quantitas major est fundamentum majoritatis, quantitas autem minor est fundamentum minoritatis, non majoritatis: repetunt hoc etiam argumentum, in prædicamentis, ubi etiam repetam solutionem. Nego minorem objectionis, nec non primam probationem. Quoniam majoritas quantitatis palmaris constituitur in obliquo per minoritatem alterius, & vicissim: Quemadmodum prioritas diei hodierni respectu æstivi, constituitur intrinsecè per posterioritatem hujus. Ad 2. respondeo illam non ostendere majoritati, & minoritati convenire prædicata contradictoria. Quantitatem namque majorem esse fundamentum majoritatis, & non minoritatis, unice consistit in eo, quod hoc iudicium, *Quantitas palmaris est major semipalmari*, assumat pro subjecto quantitatem palmarem, & non semipalmarem. Hoc autem iudicium, *Quantitas semipalmaris est minor palmari*, non assumat pro subjecto quantitatem palmarem, sed semipalmarem. Cumque hæc duo iudicia, & objectiva motiva sint distincta, idè argumentum istud non probat majoritati, & minoritati convenire, prædicata contradictoria, sed solum concludit, tum quantitatem majorem non esse quantitatem minorem, tum unum ex dictis iudiciis non esse aliud.

133. Nil non movet hic Author, ut invehat suam distinctionem virtualementem. Quocirca ex distinctione rationis inter prædicata identificata, quam mox protegemus, illam elicere conatur. Ob. 6. esse formaliter principium sentiendi, & non esse formaliter principium sentiendi, sunt duo prædicata contradictoria. Sed de animali verificatur esse formaliter principium sentiendi per nos, & de rationali verificatur, etiam per nos, non esse formaliter principium sentiendi: ergo. Confirmatur. Esse id, à quo animal præscinditur per hanc cognitionem *animal*, & non esse id, à quo animal præscinditur per hanc cognitionem *animal*, sunt duo contradictoria. Sed per nos de rationali verificatur esse id, à quo animal præscinditur per hanc cognitionem *animal*; & de principio sentiendi verificatur non esse id, à quo animal præscinditur per hanc cognitionem *animal*: Quandoquidem animal per dictam cognitionem est formaliter principium.

fentiendi : ergo de rationali , & de principio fentiendi verificantur duo contradictoria . Sed rationale , & principium fentiendi sunt duo extrema creata realiter identificata : ergo .

134. Neque hoc sufficit amovendo nos à nostris principiis . Distinguo majorem objectionis . Sunt duo prædicata contradictoria , quando connotant eisdem omnino terminos , concedo majorem . Quando diversos , nego ; & concessa minori , nego consequentiam . Ratio est . Animal esse formaliter principium fentiendi consistit in eo , quòd hæc cognitio *Animal* habeat per se præcisè claritatem sufficientem , ut ex vi ipsius præcisè possit intellectus proferre hoc judicium *animal est principium fentiendi* . Constat ex postea dicendis circa identitatem , ac distinctionem rationis , seu formalem : ergo animal esse formaliter principium fentiendi connotat cognitionem hanc *animal* . Præterea *rationale* non esse formaliter principium fentiendi stat in eo , quòd ex vi præcisè hujus cognitionis *rationale* , nequeat intellectus pronunciare hanc sententiam *rationale est principium fentiendi* . Constat similiter ex conceptu præcisionis , seu distinctionis formalis postea dando : ergo rationale non esse formaliter principium fentiendi supponit determinatè pro hac cognitione *rationale* , Sed hæc duæ cognitiones *Animal rationale* sunt realiter simpliciter inter se distinctæ independenter penitus ab eo , quòd sua objecta distinguantur , nec ne virtualiter : ergo prædictæ cognitiones connotant , seu supponunt distinctas cognitiones : ergo non sunt contradictoria . Eadem arte enervatur confirmatio . Distincta majore terminis sæpè datis , & concessa minore , nego consequentiam . Etenim rationale esse id , à quo animal præscenditur per hanc cognitionem *animal* stat in eo , quòd hæc cognitio *animal* talis sit , ut ex vi præcisè ipsius non valeat intellectus proferre hoc judicium *animal est rationale* . Rursus principium fentiendi non esse id , à quo animal præscinditur per hanc cognitionem *animal* stat in eo , quòd hæc eadem cognitio *animal* satis sit , ut ex vi præcisè ipsius valeat intellectus proferre hoc judicium *animal est principium fentiendi* . Sed hæc duo judicia jam explicata , sunt valdè diversa inter se : ergo illa duo prædicata objecta , quæ ex terminis videntur contradictoria , in materia præsentis connotant , seu supponunt judicia realiter distincta : ergo non sunt contradictoria . Cætera , quæ obliquè feriunt distinctionem rationis inter prædicata realiter identificata commo- dius repellemus infra .

135. Eadem arte solvitur Paralogismus , quo aliqui abutun-
tur ,

tur , ut probent materiam primam habere exigentiam fruendi dupli- ci formâ : vel exigentiæ , atque capacitati , quam materia habet erga formas , convenire prædicata contradictoria . Exigentia , & capacitas dictæ identificantur inter se , sed capacitas est in materia ad habendum duas formas : ergo etiam exigentia . Vel aliter . Sed materia prima non habet exigentiam duarum formarum : ergo neque capacitatem adhuc obedientialem . Quoniam hujusmodi capa- citas identificetur cum materia prima , & consequenter cum exi- gentia hinc ingenta . Vel aliter . Sed capacitati , & exigentiæ con- veniunt duo contradictoria : quandoquidem capacitati obedientiali con- venit esse ad multas formas , exigentiæ verò ad unam tantum . Respondeo . Quatuor termini objectivi possunt hic considerari . Primus est , capacitas obedientialis habendi multas formas : Capa- citas obedientialis habendi unam tantum : exigentia habendi mul- tas : Exigentia habendi unam tantum . Tria priora distinguuntur realiter inter se . Quia primum est necessarium , secundum autem , & tertium est impossibile . Quapropter solum identificantur in- materia , non quavis capacitas , & exigentia ; sed dumtaxat *capaci- tas obedientialis habendi multas formas , & exigentia unius tantum* . Undè capacitas ad multas formas est exigentia unius tantum , & exigentia unius tantum , est capacitas obedientialis multarum : ergo capacitati , & exigentiæ , quæ reciprocè identificantur , non conve- niunt prædicata contradictoria .

136. Denique eodem modo solvitur nodus sollemnis . Esse de fide , non esse de fide sunt duo contradictoria . Sed multoties defi- nitum est de fide absolutè quidem , & quoad nos . Secus definitio , v. g. columbæ , quam emisit Noë : ergo . Respondeo . Esse contra- dictoria , quando significant eisdem terminos ; secus quando diver- sos . Et hoc accidit in præsentis . Nam animal v. g. esse de fide stat in eo , quòd divina revelatio sic dicat . *Est animal* . Non esse de fide vivens sensibile , stat in eo , quòd revelatio , nec formaliter , nec æquivalenter quoad nos sic dicat : *est vivens sensibile* . Una verò & altera dictio sunt realiter distinctæ .

§. II.

137. **S**ed contra solutionem hucusque datam superioribus argu-
mentis , & simul contra doctrinam cap. 2. , sic insurgere
potes . Quemadmodum non sunt contradictoria hæc duo prædicata ,
Esse

*Esse rationem assimilandi hominem equo, non esse rationem assimilandi hominem equo, & alia similia, quæ supra concessimus verificari de extremis creatis realiter identificatis; ita similiter non erunt contradictoria hæc duo prædicata, communicari filio, non communicari filio: ergo quamvis de essentia Divina verificetur illud primum, & de Paternitate hoc secundum, non sequetur de essentia, & Paternitate verificari duo contradictoria: ergo essentia, & Paternitas non distinguuntur adhuc virtualiter, quod est contra supra dicta. Urgetur. Hæc propositio. *Essentia Divina communicatur filio* enunciat communicationem essentia cum filio. Hæc. *Paternitas non communicatur filio*, enunciat communicationem Paternitatis. Sed communicatio Paternitatis, & communicatio essentia sunt valde distinctæ: quandoquidem hæc est necessaria, & illa est chymærica: ergo hæc duæ propositiones enunciant communicationes distinctas: ergo non sunt contradictoria: ergo nostra doctrina, & modus respondendi enervat distinctionem virtualem adhuc in Divinis.*

137. Ad objectionem, nego antecedens. Quoniam juxta legitimam explicationem hujus, quod est, *Assimilari hominem equo, non assimilari hominem equo*, & juxta mentem ipsorum adversariorum hæc duæ propositiones, Animal est ratio assimilandi hominem equo: Rationale non est ratio assimilandi hominem equo, innuunt diversas cognitiones, & diversa objecta, ut supra est declaratum, & quidem diversitate independente à distinctionibus virtualibus, proindequæ non sunt contradictoria. At tamen neque juxta legitimam terminorum explicationem, neque juxta nostram doctrinam innuunt diversos filios hæc duæ propositiones, *Essentia communicatur filio, Paternitas non communicatur filio*: quam ob rem sunt contradictoria non quidem quoad communicationes, sed quoad Filium. Et ratio est (qua simul obviamitur urgentiæ.) Verum est quod communicatio Paternitatis est distincta à communicatione essentia, ut toties diximus cap. 2. Caterùm, ut ibidem diximus, filius de quo ambæ procedunt, est penitus idem. Atque insuper unica radix distinctionis inter illas communicationes est, quia Paternitas, & essentia Divina distinguuntur virtualiter. Si enim neque virtualiter distinguerentur, idem esset formalissimè, essentiam communicari, ac Paternitatem communicari. Sicut quia homo, & animal non distinguuntur adhuc virtualiter, idem est formalissimè, hominem verè, & realiter currere, ac animal verè, & realiter currere: ergo si communicatio essentia non est communicatio Paternitatis, sed
poti-

potius illa est necessaria, & hæc impossibilis: inde unice provenit, quod essentia, & Paternitas distinguuntur virtualiter.

138. Igitur quod hæc duæ propositiones, essentia communicatur Filio, Paternitas non communicatur Filio, non sint contradictoria respectu communicationum, utpotè distinctarum, tam longè abest, ut probet Paternitatem atque essentiam non distingui virtualiter, ut potius idè præcisè contradictoria non sint, quia datur talis distinctio virtualis. Undè promptum est respondere in forma ad urgentiam. Quod si dicatur, non posse dari prædictam distinctionem virtualem, quia de Paternitate, & essentia verificatur duo contradictoria; distinguam propositionem. Duo contradictoria absolute talia, nego. Duo contradictoria conditionate talia, concedo. Id est, quæ contradictoria forent, si distinctio virtualis non daretur. Hoc contingit in Paternitate, & essentia. Transeat non esse absolute, & simpliciter contradictoria ista, communicari filio, & non communicari filio, quæ de essentia atque Paternitate enunciantur (in eis quippè auditur *communicatio, & Filius*. Attento primo non sunt contradictoria; quia innuunt, seu connotant communicationes distinctas. Attento secundo sunt contradictoria; quia procedunt de eodem penitus Filio) aut infallibiliter essent contradictoria respectu etiam communicationis, si Paternitas, & essentia non distinguerentur virtualiter. Quoniam tunc communicatio Essentia foret communicatio Paternitatis. Quocirca præfata duæ propositiones eandem prorsus respicerent communicationem: ergo ista duo prædicata sunt contradictoria conditionate, nempe sub conditione, quod non detur distinctio virtualis. At verò diversitas objectorum, quæ innuunt hæc duæ propositiones. *Animal est ratio assimilandi, rationale non est ratio assimilandi*, est prorsus independens ab eo, quod hæc duo distinguantur virtualiter, aut formaliter. Quoniam illa diversitas in eo stat, quod non sit idem. *Hominem, & Equum esse animal, Hominem, & Equum esse rationale*. Sed sive animal, & rationale distinguantur, sive non distinguantur virtualiter, vel formaliter, illa duo non sunt idem, ut patet; ergo.

139. Instabis 2. distinctio formalis ex naturà rei consistit formaliter, atque immediate juxta Scotistas, in eo, quod animal v. g. sit ratio assimilandi hominem Equo, & rationale non sit ratio assimilandi hominem Equo. Præterea præcisio objectiva, seu distinctio virtualis quoad contradictoria extrinseca stat formaliter, & immediate

diatè in eo, quòd animal cognoscatur, & rationale non cognoscatur, & similiter de aliis. Sed nos concedimus hoc: ergo re ipsa concedimus distinctionem formalem ex natura rei, distinctionem virtuales, præcisionemque objectivam, quamvis voce illas negemus. Patroni istarum distinctionum conantur suadere de extremis creatis realiter identificatis posse verificari duo contradictoria. Ut probent hoc assumptum, utuntur veritate memoratarum propositionum. Nos propositiones admittentes, assumptum præsumimus negamus: nimirum, quia eæ propositiones non sunt contradictoriae, quòd est concedere Adversariis suum antecedens, negare verbò suam consequentiam. Si vero clamaveritis, conatum vestrum non esse ostendere duo contradictoria, sive intrinseca, sive extrinseca inter res creatas realiter identificatas; propterea, quòd manifestè repugnat hoc verbis, quibus mentem aperitis vestram, dicam dissidium fore tunc inter nos de voce, non de re. In forma distinguo majorem. Ita ut ista sint prædicata contradictoria, concedo. Ita ut non sint, nego. Et distinguo minorem. Concedimus hoc, ita ut sint contradictoria nego. Ita ut non sint concedo, & nego consequentiam. Hæc dixerim falsitatem minoris hujus dissimulanti. Aliud namque est id, in quo formaliter consistunt distinctiones istæ, aliud illud, quo probantur. Probantur quidam istæ ratione, sed non consistunt formaliter in illa. Quocirca concedens ego medium, quòd assumitis, nego finem.

140. Instabis 3. vel eodem prorsus modo, quo animal est ratio assimilandi hominem Equo, est quoque rationale, vel non (idem dicto de aliis contradictoriis prædicatis, quæ passim accomodantur extremis creatis realiter identificatis) si primum. Ergo falsæ sunt illæ præpositiones, quas toties admittimus. Si secundum. Tunc sic: esse modo illo A v.g. rationem assimilandi verè, & propriè, atque à parte rei hominem Equo, est aliquid in rerum naturâ. Sed per nos hoc verè, ac propriè convenit modo illo animali, & modo illo non convenit rationali. Ergo aliquid verè, & à parte rei convenit animali, quòd à parte rei non convenit rationali. Jam refutavimus supra hanc instantiam. Respondeo secundum membrum Dilemmatis esse verum. Ad impugnationem distinguo majorem. Est aliquid, & reddit eundem sensum, quando enunciatur de animali, quem reddit quando enunciatur de rationali, nego majorem. Et reddit sensum valdè diversum, concedo, & permissâ minore, distinguo consequens. Quòd non convenit rationali, & reddat eundem

dem sensum, quando negatur de rationali, ac quando affirmatur de animali, nego consequentiam. Et non reddit eundem sensum &c. Concedo consequentiam. Sed tunc abest contradictio.

141. Hoc, quòd est esse rationem assimilandi hominem equo quando enunciatur de animali, innuit, vel si inavis, consistit à parte rei in eo, quòd homo, & equus sint à parte rei animal. Hoc quòd est esse rationem assimilandi hominem equo, quando negatur de rationali, innuit negativè hominem, & equum esse à parte rei rationales. At sunt res plurimum diversæ à parte rei, quòd homo, & equus sint animal, & quòd homo, & equus sint rationale: ergo hoc, quòd est esse rationem assimilandi hominem equo, valdè distinctum sensum reddit quando enunciatur de animali, & quando negatur de rationali: ergo nunquam evenit, quòd illud idem, quòd affirmatur de animali, conservans eundem sensum negetur de rationali: sed tantum contingit, quòd illud, quòd affirmatur de animali, quando adjungitur huic cognitioni rationale, mutet sensum. Quid ergo mirum quòd una propositio sit vera, & altera falsa, si terminorum acceptio, & sensus mutantur in una, & altera propositione. Porro doctrina hæc de observandâ propositionum varietate animo altè infideat: quippe valdè proficua ad enodandas multas difficultates in Philosophia, & Theologia obvias, quas apparens propositionum contradictio fovet.

142. Objic. 3. In visione beatâ realiter identificantur vitalitas, & supernaturalitas. Sed eis conveniunt prædicata contradictoria. Probatur. Nam visio beata quatenus vitalis exigit oriri à principio vitali, & non à supernaturali: è converso quatenus supernaturalis exigit oriri à principio supernaturali, & non à vitali: ergo. Idem argumentum formari potest in aliis prædicatis identificatis, propositis tamen per diversas reduplicaciones, v. g. Deus quatenus misericors parcit, & non punit; quatenus justus autem punit, & non parcit &c. Nego minorem. Ad probationem concessio antecedenti, nego consequentiam. Etenim sensus hujus propositionis. *Visio beata, quatenus vitalis, exigit oriri à principio vitali, & non à supernaturali est hic. Ex vi præcisè hujus antecedentis. Visio beata est vitalis tantummodò potest inferre intellectus hoc consequens, exigit oriri à principio vitali; non autem potest inferre hoc, exigit oriri à principio supernaturali. Quocirca præfata propositio innuit has cognitiones. Visio beata est vitalis. Exigit oriri à principio vitali.*

143. Ulterius sensus hujus propositionis. *Visio beata quatenus super-*

Supernaturalis exigit oriri à principio supernaturali, non autem à vitali est hic. Ex vi præcisè hujus antecedentis, visio est supernaturalis tantùm potest elicere intellectus hoc consequens, exigit oriri à principio supernaturali: ergo hæc secunda propositio connotat has cognitiones, Visio est supernaturalis. Exigit oriri a principio supernaturali. Sed hæc duæ cognitiones realiter distinguuntur ab illis duabus jam memoratis: ergo dictæ propositiones connotant cognitiones realiter distinctas: ergo non sunt contradictoriæ. Profecto quoties in aliqua propositione reperitur id generis reduplicatio, fit allusio ad sensum formalem, seu ad cognitiones. Cùmque hæc semper inter se distinguantur, possunt idcirco innoxie concedi propositiones, quæ contradictoriæ videntur; nam re ipsâ contradictoriæ non sunt. Quòd si dicas, te nolle reduplicare cognitiones (cùm tamen hic sit obvius sensus istarum reflexionum) sed prædicata ipsa objectiva. Tunc dicendum, quòd visio ùt vitalis, hoc est, vitalitas illa specifica visionis, exigit principium supernaturale. Et viceversa.

144. Sed instabis. Juxta hunc modum philosophandi etiam hæc duæ propositiones non erunt contradictoriæ, Petrus currit, Petrus non currit: scilicet quia prima significat cursum, secunda non cursum, sive carentiam cursus: Quapropter etiam hæc connotant, seu innuunt terminos diversos. Nego sequelam cum sua probatione. Objectum quippe enunciatum, seu connotatum per propositionem negativam non est quidpiam, quod in se ipso sit *Non cursus*, sive carentia cursus, sed solus cursus verus, & realis, qui per distinctum actum negativum *negatur*: quoniam *ly non*, seu negatio non se habet ex parte objecti, sed ex parte solius actus, ùt fufius proprio loco exponitur. Hoc non contingit in prædictis propositionibus objectis per adversarios, ùt expendenti constabit: ergo nulla est paritas.

145. Obji. 8. Sola distinctio rationis sufficit, ut prædicata identificata suscipiant duo contradictoria. Sed animal, & rationale distinguuntur per rationem, ùt nos ipsi postea fatebimur: ergo animal, & rationale possunt suscipere duo contradictoria. Major, in qua stat difficultas, probatur crebris textibus D. Thomæ, necnon Concilii Florentini. D. Thomas respondens cuidam objectioni ait. *In quantum Essentia, & Persona in Divinis sunt idem re, differunt tamen secundum intelligentiæ rationem: sequitur, quòd aliquando possit affirmari de uno, quòd negetur de altero: ergo S. Doctor putat, quòd sola differentia secundum intelligentiæ rationem, sat est, ut aliquid affir-*

S. Tho. 1.
p. 4. 39. ar.
1.

affirmetur de uno, & negetur de alio. Ibidem in Corpore articuli *Relatio ad essentiam comparata non differt re, sed ratione tantùm*. Atqui relatio, Paternitas v. g. & essentia Divina suscipiunt duo contradictoria sæpè repetita: ergo ad hæc suscipienda sufficit distinctio rationis. Confule eximium Doctorem Suarium. Præterea S. Thomas scribit. *Ex hoc quòd ratione distinguuntur Essentia, & Persona contingit, quòd Persona est incommunicabilis, & essentia communicabilis*. Et alibi ait. *Absoluta, & relativa in Divinis non differunt secundum rem; sed solum secundum rationem*. At absoluta, & relativa in Divinis suscipiunt duo contradictoria: ergo ad hæc suscipienda sufficit distinctio secundum rationem: & ibidem amplius explicat hanc doctrinam.

146. Et confirmatur ex Florentino, ubi convenientibus frequentissimis Patribus Latinis, & Græcis cum Eugenio IV. sic loquitur Joannes partes agens Latinorum. *Quoniam substantia, & Persona (de his namque erat sermo) intelligentiæ, & ratione distinguuntur; substantia quidem communicatur Personis, Personalitas non communicatur: ergo sola distinctione rationis protegit hæc contradictoria, Communicari, non communicari*. Rursus disputans idem Joannes nomine Ecclesiæ Latinæ inquit. *Divina substantia, & Persona re, quidem sunt idem, secundum autem modum intellectiōnis nostræ differre videntur*. Cui sententiæ Marcus assentitus est nomine Ecclesiæ Græcæ coram toto Concilio. At Divina substantia, & Persona suscipiunt duo contradictoria: ergo ad hæc suscipienda sufficit distinctio secundum modum intellectiōnis nostræ. Præterea alibi dixit, *Haud quaquam tamen putare debemus, ut re differant (Paternitas, & essentia) quandoquidem solâ ratione, aut intelligentiâ differre creduntur*. Demum idem datur in privata confessione fidei per Patres Latinos transmissa ad Græcos. Porro autem ne identitatem conjunctionemque Divinæ substantiæ distribuere, ac ipsam substantiam re, non autem solâ ratione ab hypostasibus differre credere videamur &c. Vel ùt citat P. Beches, *Atque ut essentiam ab hypostasibus, non re differrentem, sed ratione tantùm, & actu intelligendi asseveremus &c*. Ex quibus adeò frequentibus locutionibus palam fit, solam distinctionem, rationis sufficere introducendo in prædicatis realiter identificatis duo contradictoria.

147. Miror viros doctos nobiscum sentientes hæc argumenta præterisse, quæ contrariam sententiam valdè corroborant. Neque aptè respondebis, si dixeris, distinctionem rationis habere vim in-

P. Suarez
in 1. p. l. 4.
c. 4. num.
ultimo.

S. Tho. in
1. lib. sent.
dist. 34 q. 1
ar. 1. ad 2.
Quæst. 9.
de poten.
a. ad 6.
& ibid. ad
5.

Concil.
Flor. s. s.
18.

Sess. 19.

Sess. ult.

P. Beche
dis. 5. de
Deo cap. 1.
n. 2.

Divinis, secus in creatis ad invehenda duo contradictoria. Tum quia metaphysica, atque inconcussa principia Deum æquè, ac creaturas comprehendunt: aliàs immunis foret Deus ab illo principio. *Quodlibet est, vel non est*, neque possemus de Deo argumentari: si quidem erga ipsum imbecillia essent principia metaphysica, ex quibus Conclusiones modò hæ, modò illæ eliciendæ essent. Tum quia ineptè confugissent D. Thomas, & ille Joannes Theologus, ut protegerent contradictoria in Divinis, ad distinctionem, quæ solum ratione materiæ valdè ignotæ vigeret: Cùm potius deberent defendere illa contradictoria ex principiis universalissimis, & communioribus.

148. Quam ob rem respondeo quod supra dixi. Aliud est distinctio rationis logica, vel metaphysica (de quibus infra) aliudque distinctio rationis consistens in eo, quòd extrema, de quibus fuerit sermo, cùm non distinguantur verè propriè, & à parte rei; æquivalent tamen rebus simpliciter distinctis quoad hoc, quod est, suscipere prædicata aliàs contradictoria, & ob hoc ipsum dent nobis fundamentum, ut illa apprehendamus, ac disputemus tanquam si distincta forent. Sicut distinguimus per rationem animal, & rationale longè minore fundamento; quandoquidem non suscipiunt contradictoria. Res creatæ realiter identificatæ distinguuntur invicem per rationem logicè, ac metaphysicè. Attamen neque D. Thomas, neque Theologus ille loquuntur de distinctione rationis logica, & metaphysica. Et ratio videtur perspicua. Duo namque extrema distingui per rationem logicè stat formaliter in eo, quòd unum non appareat clarè, ut identificatum cum altero, ut postea stabiliemus. Rursus distingui per rationem metaphysicè consistit in eo, quòd unum non definiatur per alterum. Atqui unum extremum non apparere clarè identificatum cum altero: item unum extremum non defini per alterum, est quid profus inutile, ut verè, propriè, atque à parte rei convenient illis duo prædicata contradictoria: ergo quòd unum extremum distinguatur ab altero per rationem logicè, vel metaphysicè est profus inutile, ut verè, & à parte rei illis convenient prædicata contradictoria: ergo quando D. Thomas, & suus ille discipulus protegent distinctione rationis contradictoria, quæ competunt essentiæ Divinæ, & relationibus, non loquuntur de distinctione rationis logica, vel metaphysicæ.

149. Restat igitur, ut loquantur de distinctione rationis stante in eo, quòd cùm extrema nullo profus modo distinguantur à par-

parte rei, sed dumtaxat appareant, ut distincta; æquivalent nihilominus rebus simpliciter distinctis quoad hoc, quod est, suscipere duo contradictoria (& hanc speciem distinctionis rationis non admittimus inter res creatas identificatas.) Jam quòd hæc distinctio, quam recentiores Theologi, & Philosophi vocant distinctionem virtuales, simpliciter mereatur nomen distinctionis per rationem cùm sic vocetur distinctio inter animal, & rationale, quæ est longè minor, constat ex dictis; ubi hæc testimonia in favorem partis contrariæ congesta prævenientes, scripsimus distinctionem virtuales, non esse à parte rei distinctionem, sed totalem identitatem, meramque distinctionis æquivalentiam. In forma, distinguo majorem objectionis. Sola distinctio rationis logica, & metaphysica sufficit &c. nego. Sola distinctio rationis Theologica, sive convertibilis cum distinctione virtuali, concedo majorem, & inversim concessis, ac negatis eisdem terminis in minore, nego consequentiam.

150. Objic. 9. languidiùs. Distinctio virtualis stat in eo quòd res simplex, atque indivisibilis æquivalent rebus distinctis, ita ut illa sola tantum præstare possit, quantum hæ. Sed hoc in creatis contingit: quandoquidem sola anima rationalis præstare potest effectus, quos præstant anima sensitiva, & vegetativa: ergo. Confirmatur. Ea identificantur virtualiter, quæ producere valent eundem effectum, & ideo sol, & ignis dicuntur esse idem virtualiter, quia unus, sicut alter internum calorem gignit: ergo ea distinguuntur virtualiter, quæ æquivalent rebus distinctis in ordine ad producenda effecta distincta. Sed in sole v. g. virtus illuminativa, & virtus calefactiva, æquivalent rebus distinctis, luci nimirum, & calori in ordine ad producenda effecta distincta: ergo. Distinguo majorem objectionis. Distinctio virtualis strictissimè sumpta, & prout est subjectum præsentis disputationis stat in eo &c. Nego majorem; quoniam impræsentiarum tantùm differimus de distinctione virtuali sumptâ strictissimè, nempe pro capacitate, ut res identificatæ suscipiant sine contradictione duo prædicata contradictoria absolutè, aut conditionatè talia. Distinctio virtualis laxè sumpta consistit in eo &c. Concedo, & concessâ minore, distinguo eisdem terminis consequens. Non negamus distinctionem virtuales isto modo acceptam. Ad confirmationem permissio antecedenti distinguo consequens terminis jam datis. Extra rem præsentem divagatur hoc argumentum.

151. Objic. denique ex M. Lynce Dominicano. Entitas peccati, & hujus malitia formalis realiter identificantur, sed eis conveniunt

niunt prædicata contradiçtoria : quandoquidem Deus producit , & causat entitatem peccati , non verò hujus malitiam formalem : ergo . 2. Formalitas cognitionis , seu representationis objecti realiter identificatur cum formalitate , seu prædicato vitalitatis . Sed eis conveniunt prædicata contradiçtoria : nam formalitas representationis oritur ab specie objecti , à qua non oritur formalitas vitalitatis : ergo . 3. In visione beatâ identificantur realiter vitalitas , atque supernaturalitas . Sed eis conveniunt prædicata contradiçtoria ; siquidem ab intellectu creato D. Petri v. g. producitur physice vitalitas , & non producitur physice supernaturalitas : ergo . Res prorsus mirabilis est , hunc Magistrum objicere Jesuitis hæc tria exempla , quorum contradiçtoriis imbuuntur Jesuitarum Tyrones . Ad 1. nego minorem , & suam probationem . Nam ut inconcussum principium est in nostrâ Scholâ , si malitia formalis peccati sit entitas positiva , Deus physice causat , & producit talem malitiam formalem , non minus ac ipsam peccati entitatem : citra omnem tamen perferatam , de quo alibi . Ad 2. nego quoque minorem cum sua probatione . Quippè in sententiâ P. Oviedo , & aliorum (quam falsam reor) opinantium speciem objecti influere physice in cognitionem , talis species influit quoque physice in vitalitatem cognitionis : non quidem sola , sive ut causa totalis , sed simul cum intellectu , sive ut causa partialis , atque inadæquata . Similiter respondeo ad 3. negando minorem , & adjunctam probationem . Supernaturalitas enim visionis beatæ producitur physice ab intellectu , non quidem solo , sed simul cum qualitate illa , quæ vocatur Lumen gloriæ . Constant hæc ex propriis locis , ad quos spectant .

CAPUT QUINTUM.

Quid, & quotuplex sit Identitas, ac distinctio rationis :

152.



Ateria inter Methaphysicas princeps : quippe ; quæ ramos suos per cunctam Philosophiam , atque Theologiam extendit . Hæ voces . *Identitas formalis : Identitas rationis* , idem significant in præsentia . Nec non hæ : *Distinctio formalis . Distinctio rationis* . Identitas formalis trifariam accipitur 1. In sensu metaphysico . 2. In sensu logico . 3. In sensu Physico . Identitas formalis metaphysica rei *A* , cum *B* consistit in eo quod *A* v. g. de-

definiatur per *B* . Hæc identitas formalis est *immediata* , quando *A* definitur per *B* tanquam per genus immediatum , vel tanquam primam originem , ex qua probantur cætera attributa ipsius rei *A* : sic Homo identificatur formaliter immediatè in sensu metaphysico , cum rationali : quia hoc prædicatum apprehendimus instar primæ originis ; quia ex illo probamus cætera prædicata specifica ipsius hominis propria . Est autem *mediata* , quando *A* definitur per aliquod prædicatum , quod definitur per *B* . Sic Homo identificatur formaliter mediatè in sensu metaphysico , cum prædicato viventis : quoniam definitur per prædicatum animalis , quod ulterius definitur per prædicatum viventis . Congruentia ad definitionem datam est hæc . Ad metaphysicam spectat definire exactissimè entia , investigando illud prædicatum , quod est prima radix cæterorum : id est quod assumitur pro medio ad ostendendas proprietates específicas entium : ergo essentia metaphysica rei consistit in eo prædicato simul cum altero generico , quo debet constare definitio : ergo *A* identificari formaliter immediatè cum *B* in sensu metaphysico , consistit in eo , quod legitimè definiatur per *B* , tanquam per primam originem cæterarum proprietatum ipsius *A* ; aut tanquam per genus immediatum .

153. Dixi *congruentia* . Quia , ut non semel monui ex Philosopho , definitiones non tam sunt probandæ , quàm prudentèr supponendæ , tanquam prima principia : Juxta hanc explicationem identitatis formalis metaphysicæ intelligenda est vox illa satis frequens in Scholis . *B* est de conceptu formali rei *A* . Significat hæc phrasia , rem *A* definiri per *B* , hancque esse de conceptu quidditativo , seu definitivo rei *A* . Identitas formalis *in sensu Physico* consistit in eo , quod *A* intrinsecè constituatur à parte rei per *B* tanquam per formam denominantem . Sic inquitur passim , Parietem esse album consistere formaliter in eo , quod habeat albedinem ; nam eo præcisè , quod illam habeat , quovis alio secluso , vel intellectu , erit albus : & eo præcisè , quod illam non habeat , non erit albus . Cujus utriusque ratio est : albedinem esse formam illam , quæ immediatè per se ipsam , à quovis alio præscindendo , reddit album subiectum . Identitas formalis *in sensu logico* est . *Cognitio ita tangens A , & B , ut non appareant esse distincta ; sint , vel non sint distincta* . Addo id ; quoniam non est , cur identitas rationis potius tribuatur intellectui imperfectè cognoscenti , quàm objectis ipsis , ut censent Docti aliqui RR hic , poscentes ob hanc causam , quod extrema , quæ

quæ identificantur per rationem, sint in se distincta, sed immeritò : quoniam homo verissimè identificatur formaliter, tum logicè, tum metaphysicè cum rationali : & tamen homo, & rationalis non distinguuntur in se ipsis : ergo immeritò requiritur ad identitatem formalem &c.

154. Jam datæ definitionis restitudo quatuor congruentiis fulcitur 1. Identitas realis est forma, qua aliqua re ipsa habent unam, & indivisam essentiam, ut constat ex Aristotele supra allegato : ergo Identitas formalis, seu rationis est forma, qua aliqua apparent, ut unum. 2. Logici agunt de rebus, prout apparentibus per cognitiones : ergo illa identificantur formaliter in sensu logico, quæ apparent per cognitionem, ut identificata, seu non ut distincta. 3. Ut bene observat P. Herrera, Logici agunt de Identitate formali, prout opposita distinctioni rationis, quam deprehendunt ex illo argumento animalis à longè visi. Sed distinctio illa rationis consistit in eo, quodd prædicata non appareant, ut identificata, ut postea dicitur : ergo Identitas formalis in sensu logico consistit in eo, quodd extrema appareant, ut identificata, seu non ut distincta. 4. Nam ut notatum invenio apud P. Arriaga: distinctio rationis non est conferenda cum distinctione reali secundum se; sed cum reali separabilitate : atque idcirco distinctio rationis stat in eo, quodd unum possit mentaliter præscindi, seu separari ab altero : ergo vice-versà Identitas rationis stat in eo, quodd vnum nequeat mentaliter præscindi, seu separari ab altero ; ergo stat in cognitione, per quam utrumque apparet ut unum.

155. Divisio 2. Identitas formalis logica est duplex, alia negativa, positiva alia. *Negativa* est cognitio ita tangens *objectivè A*, & *B*, ut ex vi præcisè talis cognitionis nequeat intellectus incidere in hanc expressam cognitionem. *A distinguitur à B*. Sic cognitio hæc, *animal* vocatur identitas, seu unitas formalis negativa omnium animalium : eod quodd ita *objectivè* tangat cuncta animalia, ut ex vi præcisè ipsius nequeat intellectus dicere. *Hoc animal distinguitur ab illo animali*. Consulto dixi. *Cognitio tangens objectivè A, & B*. Cognitio namque non repræsentans ex parte *objecti* hæc extrema, abs jure dicitur identitas formalis negativa eorundem eo solo titulo, quodd ex vi talis cognitionis solius nequeat intellectus dicere. *A distinguitur à B*, Quis enim, nisi terminis abutens, dicet hanc cognitionem. *Homo esse identitatem formalem negativam omnium equorum?* propterea, quodd ex vi præcisè talis

Arriaga
disp. 11.
sect. 1.

talis cognitionis nequeamus dicere. *Hic equus distinguitur ab illo. Positiva* est cognitio ita repræsentans *A, & B*, ut ex vi præcisè ipsius valeat intellectus sic dicere *A est B*. Hanc definitionem suadent congruentiæ datæ nuper. Hæc identitas formalis logica positiva potest trifariam sumi. 1. Latissimè : scilicet pro quavis cognitione vera, vel falsa, clarè, & apertè significante duorum identitatem, ut *Homo est lapis*. In hac acceptione improprissimè quodlibet identificatur formaliter cum quolibet : nam quantumcumque disparata sint extrema, potest dari cognitio expressè dictans, illa mutuo identificari. 2. Magis præcisè, nimirum pro sola cognitione vera, expressè significante duo extrema invicem identificari v. g. *Rationale, & animal sunt idem*. Juxta hanc acceptionem omnia, quæ identificantur realiter, ac materialiter, identificantur quoque formaliter : quippè subesse possunt cognitioni clarè, & apertè præponenti ipsorum identitatem.

156. 3. Strictissimè. Igitur *A* identificari formaliter cum *B* in sensu logico strictissimo stat in eo, quodd terminus ille, seu cognitio, quæ frequentius utimur disputaturi de ipso *A*, quæque in hoc sensu est cognitio propria rei *A*, talis sit; ut ex vi præcisè ipsius possit intellectus terminorum conscius elicere hanc cognitionem *A est B*. Sic homo est formaliter rationalis in sensu logico strictissimo : quippè terminus, seu cognitio, quæ frequentius utimur acturi de homine, & quæ est hominis propria, ut hæc; *Homo*. & ex vi præcisè hujus cognitionis potest intellectus terminorum mediocriter gnarus deducere hanc expressam, atque formalem cognitionem : *Homo est rationalis*. Sic animal non est formaliter rationale in sensu logico strictissimo. Terminus namque nobis usitatus, dum de animali ratiocinamur, est hic, *animal*. Hic autem terminus, hæc expressio, hæc cognitio non habet talem claritatem, ut ex vi præcisè ipsius possit intellectus proferre hanc expressam sententiam. *Animal est rationale*. Quo circa, quæ identificantur formaliter strictissimè in sensu logico dicuntur esse *ex terminis idem*; videlicet quia termini quibus utimur acturi de eis rebus, quique sunt proprii illarum, adeo clari, & perspicui sunt, ut ex ipsis solis possit intellectus dicere; *Hoc est illud*. Hæc nobis videtur purior, atque solidior explicatio identitatis formalis, explicatu adeo difficilis. Porro inculco sæpè *terminum proprium. Expressionem propriam. Cognitionem, quæ utimur acturi de A*. Ne meritò objicias fore, ut præmissæ ex quibus inferatur identitas, aut distinctio duorum, essent semper identitas, aut

distinctio per rationem eorundem. Non sunt, quia non semper sunt cognitio propria, id est vulgaris, & usitata illorum extremorum.

§. II.

157. **H**æc de identitate formali. Distinctio formalis, seu rationis eadem proportione explanatur. Igitur distinctio formalis tripliciter potest accipi. 1. In sensu *metaphysico*: nempe quando *A*. v. g. neque definitur per *B*. neque per definitionem rei *B*. Sic rationale distinguitur formaliter metaphysicè ab animali; quia neque definitur per hunc terminum *animal*, neque per *vivens sensibile*, quæ est animalis definitio. Id generis distinctionem deprehendes inter extrema realiter identificata, & inter realiter distincta. (Contra quod censent nonnulli Docti R.R.) inter illa quidem: nam animal, & rationale sunt extrema realiter identificata, ut cap. 1. probavimus: & tamen, ut nuperrimè dixi, distinguuntur formaliter metaphysicè. Inter hæc etiam: quippè homo, & lapis sunt extrema realiter distincta; & cum neuter definiatur per alterum, neque per alterius definitionem, distinguuntur mutuo formaliter metaphysicè.

158. Potest accipi. 2. In sensu *physico*: scilicet quando unum, non constituitur re ipsa per alterum. Sic qui censent relationem prædicamentalem gemini alibi stare formaliter in accidenti modali superaddito, ajunt illam non stare formaliter, sed *fundamentaliter* dumtaxat in utriusque albedine. Sic negantes universale à parte rei inquirunt similitudinem, quam inter se habent cuncti homines, non esse *formaliter*, sed tantum fundamentaliter unitatem naturæ humanæ. Potest accipi 3. In sensu *logico*, & sic accepta, est, cognitio ita tangens rem *A*, ut ex vi præcisè ipsius non valeat intellectus asserere *A* esse *B*. Hæc explicatio suadetur congruentiis supra datis per explicationem identitatis formalis logicæ.

159. Distinctio formalis, seu rationis in sensu logico est duplex: una negativa, alia positiva. Negativa est, cognitio ita terminata ad *A*, ut ex vi ipsius præcisè, neque possit intellectus resolutè dicere *A*. identificatur cum *B*. neque *A*. distinguitur à *B*. Atque ideo hæc distinctio rationis solet nuncupari *Præcisio*, seu *distinctio præcisiva*: quia ex suo modo tendendi præcindit ab utraque assertione dicta. Distinctio rationis positiva est, cognitio ita repræsentans *A*, & *B*. ut ex vi ipsius præcisè possit intellectus sic dicere. *A non est B*.

Hæc

Hæc distinctio positiva est in triplici differentia: alia namque est latissima, nempe quævis cognitio vera, aut falsa repræsentans distinctionem inter *A*. & *B*. alia est magis propria, scilicet cognitio vera habens sufficientem claritatem; ut ex vi ipsius possit intellectus dicere *A non est B*. Alia demùm est propriissima: igitur *A* distinguitur per rationem logicè propriissimè à *B*: quando terminus ille, seu cognitio, quæ frequentius utimur acturi de ipso *A*, talis esset, ut ex vi ipsius præcisè valeat intellectus dicere *A non est B*. Sic homo distinguitur per rationem logicè propriissimè ab irrationali: namque ex vi præcisè hujus cognitionis *Homo* (quæ utimur semper, ac disputamus de homine) potest intellectus dicere. *Homo non est irrationalis*.

160. Rursus distinctio rationis alia est adæquata, alia inadæquata. Adæquata est cognitio ita repræsentans clarè, & expressè *A*, & *B*. ut ex vi ipsius nequeat intellectus dicere *A est B*. vel possit dicere *A non est B*. v. g. complexum ex his duabus apprehensionibus, *Animal, rationale*: nam hæ duæ apprehensiones ita exprimunt prædicata objectiva animalis, atque rationalis, ut ex ipsarum apprehensionum vi, nequeat intellectus dicere. *Animal est rationale*. Distinctio rationis inadæquata est cognitio ita repræsentans rem *A*, ut ex vi ipsius non modò nequeat intellectus dicere *A est B*, verum, etiam neque possit dicere, rem *B*. esse in rerum natura, v. g. Hæc sola cognitio *animal*: ita namque repræsentat prædicatum animalis, ut ex vi ipsius, neque possit intellectus dicere *animal esse rationale*, neque possit dicere, an sit in rerum natura prædicatum rationalis. Tandem distinctio rationis alia vocatur distinctio rationis *ratiocinata*, alia *ratiocinantis*. Illa quæ simpliciter dicitur distinctio rationis, est distinctio concepta ab intellectu cum fundamento in re (de quo fundamento postea loquemur.) Hæc est distinctio concepta ab intellectu absque ullo fundamento: v. g. distinctio, quam apprehendet aliquis in homine ob solam repetitionem harum cognitionum *Homo. Homo. Homo*.

161. Has species, tum identitatis, tum distinctionis rationis septem consecutaria enodabunt, præ oculis semper habenda in his disputationibus; ne intellectus, ut plerumque solet, vocibus irretiat. Consecutarium. 1. In propositionibus affirmantibus, aut negantibus, modò identitatem, modò distinctionem formalem inter *A*, & *B*; totum quod affirmatur, aut negatur, non de objectis ipsis immediatè in se ipsis, sed de solis cognitionibus immediatè,

M 2

affir.

affirmari, aut negari, intelligatur. Quamobrem id generis cognitiones omnes sunt reflexæ; eò quòd intrinsecè respiciant alias cognitiones. Ratio est. Tota identitas, atque distinctio formalis logica stat *formaliter*, ac *immediatè*, non in objectis ipsis (quia hæc dumtaxat præbent fundamenta) sed modò in claritate, modò in obscuritate cognitionum, vi quarum modò possit, modò non possit intellectus dicere, *A est B*. Constat hoc ex definitionibus jam datis: & ulterius rationem ne exposcas. Nam definitiones sunt prima, & ultima principia, ultra quæ non licet divagari: ergo affirmare, aut negare identitatem, vel distinctionem formalem logicam est affirmare, vel negare claritatem, vel obscuritatem cognitionum; sed hæc claritas, & obscuritas negativa est quid intrinsecum per identitatem ipsius cognitionibus, ut suppono ex lib. de Anima: ergo affirmare, aut negare identitatem, vel distinctionem rationis logicam nil aliud est, quàm affirmare, aut negare de ipsis cognitionibus, modò claritatem, modò obscuritatem.

162. Quo circa, qui dicit *Hominem esse formaliter animal* tamet si primo aspectu videatur aliquid affirmare de ipsa entitate hominis: attamen re ipsa nil de ea immediatè enunciat; sed præcisè ait; hanc cognitionem *homo* habere claritatem sufficientem, ut ex vi ipsius præcisè possit intellectus affirmare: sic *Homo est animal*. Similiter qui dicit, *rationalis non esse formaliter animal*; quamvis insciis terminorum videatur aliquid negare de prædicato objectivo rationalis; re ipsa nihil de illo negat; sed dumtaxat negat hanc cognitionem *Rationale* habere per se præcisè claritatem sufficientem, ut ex vi illius præcisè valeat intellectus proferre hoc iudicium: *Rationale est animal*. Ulterius sciscitari, an hoc sit formaliter illud, v. g. An perfectitas sit formaliter ens? est sciscitari, an hæc apprehensio *Perfectitas* talis sit, ut ex vi ipsius præcisè possit intellectus procedere ad hanc sententiam expressam. *Perfectitas est ens*. Explicatio hæc menti obversetur: nam ut postea experiemur, tertio quoque passu binarium contradictoriorum in his quæstionibus pullulabit, si affirmatio, & negatio, quæ re verâ versantur circa cognitiones realiter distinctas, ad cognitionum objecta realiter identificata traducantur.

163 Confectarium 2. Non omnis identitas formalis est mutua, ut contra P. Izq. alibi scripsimus. Probatur. Vel sermo est de identitate formali in sensu metaphysico, vel in sensu logico? Si primum: nulla identitas formalis metaphysica est reciproca: nam si *A*

de-

definitur per *B* in recto, nequit fieri, quòd *B* definiatur similiter per *A*. Alioquin committeretur circulus vitiosus. Sed identitas formalis metaphysica stat in eo, quòd unum definiatur per aliud: ergo si *A* identificatur formaliter metaphysicè cum *B*, nequit *B* identificari similiter cum *A*. Dixi, in *recto*: nam aliàs Pater definitur per Filium, & hic, ut talis per illum. Si secundum: aliqua identitas formalis logica est mutua, v. g. quæ datur inter hominem, & animal rationale. Nam quem ad modum ex vi hujus solidus cognitionis *homo* potest intellectus dicere *homo est animal rationale*, ita è converso; aliqua tamen mutua non est; quoniam homo est formaliter logicè animal, animal verò non est formaliter logicè homo; siquidem ex vi præcisè hujus cognitionis *animal* nequit intellectus certò asserere sic, *animal est homo*: ergo nunquam subsistit, quòd omnis identitas formalis sit mutua, ut sensit P. Izquierdo.

164. Sed dices cum Authore nuper laudato, qui censet suam propositionem ex terminis ipsis evidentem. Fundamentum, cui innituntur regulæ conversionum, quas dat Dialectica, debet esse certum, atque universale. At mutua identitas formalis prædicati cum subjecto est fundamentum conversionum præcedentium in sensu formali: ergo. Nego minorem, ob doctrinam datam paulò ante. Etenim cum propositiones, quæ affirmant, aut negant, modò identitatem, modò distinctionem rationis, non versentur immediatè, ac directè circa prædicata ipsa objectiva, sed circa alias cognitiones, & circa claritatem sufficientem ad proferenda hæc, aut illa iudicia, ut diximus loco citato; idè ut conversio sit recta, non est affirmanda in convertente identitas, aut distinctio formalis inter prædicatum, & subjectum explicitum; Sed identitas, aut distinctio realis *inter claritatem sufficientem* ad proferendum quoddam iudicium, & *cognitionem de qua est sermo*, v. g. Hæc propositio. *Omnis homo est formaliter animal*, cum sit reflexa, reddit hunc sensum: *Omnis cognitio sic tendens Homo habet sufficientem claritatem, ut ex vi ipsius præcisè possit intellectus proferre hoc iudicium*. *Homo est animal*: ergo subjectum præfatæ propositionis est hæc cognitio *Homo*. Prædicatum autem, *Claritas sufficiens ad dictum iudicium*: ergò ut conversio legitimè fiat, convertens debet esse hæc. *Aliquod habens sufficientem claritatem ad hoc iudicium, Homo est animal; est hæc cognitio Homo*; & hæc est vera: ergo ut propositiones enunciantes identitatem, aut distinctionem formalem, legitimè convertantur, opus non est identitate, aut distinctione formali mutua.

Hinc

165. Hinc convertens hujus propositionis: *Omnis homo est formaliter animal*, non est hæc. *Aliquod animal est formaliter homo*; sed prius exponi oportet, & tunc assignanda est convertens, quam nuper dedimus. Ratio descendit ex dictis. Illa universalis affirmativa est vera, ut suppono. Hæc verò particularis est falsa: ergo hæc non est convertens illius. Probatur antecedens. Sensus hujus particularis affirmativæ est hic: aliqua cognitio sic præcisè tendens. *Animal*, habet per se præcisè claritatem sufficientem, ut ex vi ipsius possit intellectus proferre hoc iudicium, *Animal est Homo*. Sed hic sensus est falsus: ergo &c.

166. Replicabis: ergo falsum est. Aliquod animal esse formaliter hominem: ergo verum est, nullum animal esse formaliter animal rationale. Tunc sic. Nullum animal est formaliter animal rationale. Sed omnis homo est formaliter animal: ergo nullus homo est formaliter animal rationale. Quod apertè est falsum. Pulcher terminorum abusus. Concessis cæteris, nego consequentiam illius syllogismi, qui videtur fabricatus in celarent: quoniam si attentè inspicatur mutatur medium, & extremitas major: nam quod est subiectum majoris, non est prædicatum minoris. Probatur. Major est hæc. *Nullum animal est formaliter animal rationale*: quæ ob reflexionem sæpè dictam reddit hunc sensum. *Nulla cognitio sic præcisè tendens animal est clara, ut ex vi præcisè ipsius valeat intellectus proferre hoc iudicium animal est animal rationale*: ergo subiectum illius majoris est hæc cognitio *animal*: & prædicatum est claritas ad dictum iudicium. Perpendè modò, juxta regulam toties datam, minorem, & consequens: atque deprehendens neque prædicatum minoris esse subiectum majoris, neque prædicatum consequentis esse prædicatum majoris.

§. III.

167. **C**onfectarium 3. ex eo præcisè quòd duo identificantur formaliter cum aliquo tertio, perperam arguitur identificari formaliter inter se. Est contra eundem lq. hoc confectarium, quo suffocatur una ex præcipuis difficultatibus contra transcendentiã entis. Probatur 1. ab exemplo: homo, & equus identificantur formaliter cum eodem tertio: nempe cum animali, ut perspicuum est, & tamen non identificantur formaliter inter se, ut etiam est perspicuum: ergo. Probatur 2. à priori. Hominem y.g. identifica-

Loc. cit.
Prop. 3.

ri formaliter cum animali consistit in eo, quòd ex vi præcisè hujus apprehensionis *homo* possit intellectus proferre hoc iudicium *homo est animal*. Rursus equum identificari formaliter cum animali, stat similiter in eo, quòd ex vi præcisè hujus apprehensionis *equus* possit intellectus proferre hoc iudicium, *Equus est animal*. Sed ambo hæc subsistere valent, quamquam homo, & equus non identificentur formaliter inter se. Probatur. Hominem, & equum indentificari formaliter inter se staret in eo, quòd ex vi præcisè hujus cognitionis *homo* possit intellectus dicere *homo est equus*, & ex vi præcisè hujus cognitionis *equus* possit dicere *equus est homo*. Sed quamquam ex vi præcisè hujus cognitionis *homo* possit intellectus dicere sic *homo est animal*, & quamquam ex vi præcisè hujus cognitionis *equus* possit intellectus sic judicare, *Equus est animal*; nihilominus hinc non sequitur, quòd ex vi præcisè hujus apprehensionis *homo* possit judicare sic, *homo est equus*: neque quòd ex vi præcisè hujus apprehensionis *Equus* possit intellectus sic judicare, *Equus est homo*; quandoquidem iudicia hæc sunt realiter inter se distincta, ut consideranti illa patebit: ergo.

168. Confectarium 4. eadem simplex, ac indivisibilis cognitio potest esse identitas negativa, nec non distinctio formalis *negativa* unius ab altero, v. g. hæc indivisibilis cognitio *animal* est identitas, ac distinctio formalis *negativa* inter animal, & rationale. Ratio est: cognitionem esse identitatem formalem negativam unius cum alio, consistit in eo, quòd ex vi præcisè talis cognitionis non possit intellectus proferre hoc iudicium. *Hæc res distinguitur ab illa*. Præterea esse distinctionem formalem negativam, consistit in eo, quòd ex vi præcisè talis cognitionis non possit intellectus dicere. *Hæc res est illa*. At hæc simplex cognitio: *animal* talis est, ut ex vi præcisè ipsius nequè possit intellectus dicere sic. *Animal distinguitur à rationali*: neque sic. *Animal est rationale*, ut constat: ergo hæc simplex cognitio *animal* est identitas, atque distinctio formalis *negativa* inter animal, & rationale. Id tamen generis cognitio consuevit jam vocari potius distinctio, seu præcisio *negativa* unius ab alio, quàm identitas *negativa*.

169. Confectarium 5. Implicat quòd eadem cognitio sit identitas formalis positiva, & simul distinctio formalis positiva duorum. Item quòd sit identitas formalis positiva, & distinctio formalis *negativa* eorundem. Item quòd sit distinctio formalis positiva, & identitas formalis *negativa*. Omnia deducuntur legitimè ex principiis jactis.

jaētis. Probo 1. partem. Hanc cognitionem *animal*, v. g. esse identitatem formalem positivam animalis cum rationali stat in eo, quod hęc cognitio habeat claritatem, ut ex vi præcisè ipsius possit intellectus pronnuciare hanc sententiam *animal est rationale*. Rursum esse distinctionem formalem positivam stat in eo, quod prædicta cognitio habeat claritatem, ut ex vi præcisè ipsius possit intellectus proferre hanc sententiam *animal non est rationale*. Utrumque constat ex definitionibus supra datis. Sed implicat, quod eadem simplex cognitio in eisdem circumstantiis, & respectu ejusdem intellectus habeat claritatem ad prædicta duo judicia proferenda. Nisi forte talis cognitio involvat, aut significet terminos oppositos: ergo implicat &c.

170. Probo 2. partem. Cognitionem esse identitatem formalem positivam stat in eo, quod ex vi præcisè ipsius possit intellectus dicere. *Animal v. g. est rationale*; esse distinctionem formalem negativam stat in eo, quod ex vi præcisè ipsius non possit intellectus sic dicere. *Animal est rationale*. Ambo hęc constant ex superioribus. Sed implicat quod eadem cognitio sit talis, ut ex vi præcisè ipsius possit, & non possit idem intellectus sic dicere. *Animal est rationale*, ut per se liquet: ergo implicat &c. Probo 3. partem. Cognitionem esse distinctionem formalem positivam, stat in eo, quod ex vi præcisè ipsius possit intellectus sic dicere. *Animal non est rationale*. Item esse identitatem formalem negativam, stat in eo, quod ex vi præcisè ipsius non possit intellectus sic dicere. *Animal non est rationale*. Sed, ut constat, est impossibile, quod cognitio aliqua talis sit, ut ex vi præcisè ipsius possit, & non possit idem intellectus, sic dicere. *Animal non est rationale*: ergo impossibile est, quod eadem cognitio sit distinctio formalis positiva, & identitas formalis negativa inter animal, & rationale,

171. Confectarium 6. identitas formalis *A* cum *B*. necnon distinctio formalis, sive negativa, sive positiva, non sunt conceptus absoluti, & univesales; sed respectivi. Explicatur. Fieri potest, ut res, quæ relatè ad unum intellectum identificatur formaliter, sive positivè, sive negativè cum alia; relatè ad alium intellectum distinguatur formaliter ab eadem re, & è converso. Ratio dimanat ex dictis. Tota identitas, ac distinctio formalis, sive negativa, sive positiva consistit unicè in claritate, vel obscuritate cognitionum, per quas apparent res. At fieri potest ut cognitio, vi cujus præcisè potest unus intellectus deducere hoc judicium v. g. *A est res B*

aut

aut hoc. *A non est B*. impar sit, ut ex vi præcisè ipsius possit alius intellectus, vel minùs perspicax, vel minùs studiosus, vel aliis speciebus præoccupatus, alterum ex præfatis judiciis elicere, ut passim exprimitur in disputationibus scholasticis, & præcipuè quando dubitamus circa legitimam definitionem alicujus rei: ergo fieri potest, ut cognitio, quæ respectu unius intellectus est identitas, aut distinctio formalis positiva, vel negativa inter duo extrema, non sit respectu alius intellectus: ergo identitas, atque distinctio formalis non sunt termini absoluti, sed respectivi.

172. Et confirmatur duppliciter 1. me proferente hanc vocem *Petrus*, fieri potest, ut ex circumstantibus, unus illam audiat, secus alius: quia hebetem hic habeat potentiam auditivam, vel quia distractus sit: ergo similiter fieri potest, ut significante una cognitione modò identitatem, modò distinctionem inter *A*, & *B*, unus intellectus illicò eam deprehendat: secus alius. 2. Propositiones illæ, quæ vocantur *per se notæ*, seu *ex terminis evidentes*, possunt esse tales respectu unius intellectus, & non respectu alius, ut passim experimur: & benè observatum invenio apud P. Izquierdo: ergo cognitio, quæ clarè, & evidenter proponit identitatem, aut distinctionem inter duo, potest respectu unius intellectus exercere hanc perspicuitatem, & non respectu alius. Hęc dixerim de cognitione sumpta quoad speciem; non verò sumpta quoad individuum: quoniam individua cognitio, quæ nunc informat mentem Petri, v. g. nequit juxtà veriore Philosophiam informare mentem Joannis.

In Phar.
disp. 19. q.
8. n. 280.

§. I V.

173. Confectarium 7. Quoties *A* identificatur formaliter metaphysicè cum *B*; identificatur etiam formaliter logicè cum eodem. Non è contra. Item quoties distinguitur formaliter logicè à *B*, distinguitur etiam formaliter metaphysicè. Non è contra. Quo circa identitas formalis metaphysica, & logica non sunt termini convertibiles: neque distinctio rationis logica, & metaphysica. Ratio desumitur ex dictis. Quoties *A* definitur legitimè per *B* identificatur formaliter logicè cum *B* (tunc enim, cum *B* sit illud, quod primariò apprehendimus in *A*, fit quod ex vi præcisè hujus cognitionis est *A*, potest intellectus incidere in hanc *A est B*, in quo stat identitas formalis logica) sed quoties *A*, identificatur formaliter metaphysicè cum *B*, legitimè definitur per *B*: quia in hoc con-

N

sistit

si sit identitas formalis metaphysica: ergo quoties *A* identificatur formaliter metaphysicè cum *B*, identificatur etiam formaliter logicè. Non tamen è converso. Namque *A* identificari formaliter logicè cum *B* stat in eo, quòd hæc cognitio *est A* per se præcisè habeat claritatem sufficientem, ut intellectus possit proferre hanc sententiam *A est B*.

174. Sed fieri potest, ut hoc contingat, quin *A* identificetur formaliter metaphysicè cum *B*, seu quod idem est; quin definiatur per *B* tanquam per ultimum genus, vel ultimam differentiam specificatam. Probat: hæc cognitio *animal rationale* habet per se præcisè sufficientem claritatem, ut intellectus terminorum gnarus possit sic judicare *animal rationale est homo*, & tamen *animal rationale*, non definitur per hominem; sed potius hic conceptus *homo* definitur, seu explicatur per hunc *animal rationale*: ergo. Præterea hæc cognitio *A movetur progressivè* habet per se præcisè sufficientem claritatem, ut intellectus assequatur hanc: *A, vel est rationale, vel irrationale animal*. Et tamen virtus motiva progressivè, ut talis non definitur per hæc prædicata. Ulterius ex vi hujus solius cognitionis (quam ponamus entitativè simplicem, atque indivisibilem) *omnis homo est visibilis, & aliquod animal est homo* potest intellectus deducere hoc expressum judicium, *aliquod animal est visibile*, & tamen hoc quod est omnem hominem esse visibilem, & aliquod animal esse hominem, non definitur per hoc quod est, aliquod animal esse visibile: ergo. Et ratio est: ut *A* identificetur formaliter logicè cum *B*, sufficit quòd per propriam cognitionem appareat identificatum cum *B*, ut supra diximus. Cæterum ut identificetur formaliter metaphysicè, desideratur ulterius, quòd *B* sit genus, vel differentia rei *A* (aliàs non erit de conceptu definitivo rei *A*) ergo plus desideratur ad identitatem formalem metaphysicam, quam ad logicam: ergo non omne &c.

175. Probo 3. partem hujus Consectarii, videlicet. Quoties *A* distinguitur formaliter logicè à *B*, distinguitur formaliter metaphysicè ab eodem. Nam quoties ex vi præcisè hujus cognitionis *est A*, nequit intellectus pronunciare hanc sententiam *A est B*: res *A* non definitur legitimè apud illum intellectum per *B*, proindequè distinguitur formaliter metaphysicè à *B*, (si enim definiretur per *B*, contingeret, quod ex vi præcisè hujus cognitionis *est A*, posset intellectus ille terminorum conscius dicere sic. *A est B*: quemadmodum ex vi præcisè hujus cognitionis, *est Homo* potest Intelle-

ctus,

ctus, qui terminos penetraverit, dicere sic: *Homo est animal rationale* (sed quoties *A* distinguitur formaliter logicè à *B*, contingit quòd ex vi præcisè hujus cognitionis *est A*, non possit intellectus dicere *A est B*: siquidem in hoc consistit distinctio formalis: ergo. Non tamen è contra. Nam ut nuper dicebamus, fieri potest, ut *A* non definiatur legitimè per *B*, & tamen quòd appareat identificatum cum *B* per cognitionem propriam. Sed hoc ipso distinguitur per rationem metaphysicè à *B*, non tamen logicè: ergo non omne, quod distinguitur per rationem metaphysicè ab alio, distinguitur etiam logicè.

176. Ut autem hujus Consectarii doctrina luculentius innotescat. Dices 1. cum Doctis RR. Ratio, & definitio sunt idem apud Arist., & D. Thomam: ergo illa identificantur ratione, quæ identificantur definitione, & è contra: nec non illa distinguuntur ratione, quæ distinguuntur definitione, & è contra. Distinguo antecedens. Ratio *Metaphysica*, & definitio idem sunt, concedo antecedens, ut initio hujus Capituli statuimus. Ratio *logica*, & definitio idem sunt, nego antecedens: quoniam *logica* agit de rebus prout apparentibus per cognitiones: *Metaphysica* verò ultra genus quærit in rebus illud prædicatum, quod primariò apprehendimus in illis tanquam primam originem, quam assumimus pro medio ad probanda cætera attributa illarum rerum, & contingere potest quòd res aliqua appareat identificata cum *B*, v. g. quin definiatur per *B*, tanquam per primam originem suorum attributorum, ut declaravimus exemplis supra: ergo ratio *logica*, & definitio non sunt idem. Eisdem terminis explicatur consequens. Dices 2. Eo ipso, quòd *A* per proprios terminos, seu per propriam cognitionem non appareat identificatum cum *B*, distinguitur per rationem logicè ab ipso *B*, ut nos ipsi in hoc capite sanximus. At fieri potest, ut *A* non appareat per propriam cognitionem identificatum cum sua definitione: si quidem multoties ambigimus de definitione germana rerum, circa quas versamur, & alius sic, alius verò sic eas definiunt: quòd non eveniret, si res illæ ex propriis terminis apparerent identificatæ cum propria definitione. Profectò per Divinam revelationem novimus existentiam *Columbæ*, quam emisit Noè; illius autem definitionem, neque per Divinam revelationem, neque per aliud medium scimus: ergo fieri potest, ut res distinguitur per rationem logicè ab eo, per quod definitur, & consequenter ab eo, quo cum identificatur formaliter metaphysicè: ergo prima pars hujus consectarii est

falsa. Prudens omitto aliud argumentum contra eandem partem, quia in capite sequenti illud refellam.

Disp. 6. de Fide scilicet. 1. In 3. disp. 6. scilicet. 12. art. 1. 177. Propter hanc rationem P. Arriaga, & Mastrius Scotista. consent revelationem Divinam circa definitum non esse revelationem circa definitionem, siquidem, ut patet in exemplo nuper adducto, Deus revelavit nobis illam Columbam, & non revelavit illius definitionem. Omissa solutione alia, respondeo consentaneè ad doctrinam hujus capituli. Identitas rationis, sive metaphysica, sive logica non est conceptus absolutus, & universalis respectu omnis prorsus intellectus, sed respectivus: Quapropter quod respectu unius intellectus identificatur formaliter logicè, aut metaphysicè cum alio, respectu alius intellectus distinguitur formaliter ab illo eodem. Quando ergo dicimus, quòd quoties *A* identificatur formaliter metaphysicè cum *B*, identificatur etiam formaliter logicè; dumtaxat dicimus, quòd identificatur formaliter logicè respectivè ad eum intellectum, respectivè ad quem identificatur formaliter metaphysicè. Hoc autem non oppugnatur per præcedens argumentum; nam si ignoramus definitionem rei *A*, v. g. respectivè ad nostrum intellectum non identificatur formaliter metaphysicè res *A* cum sua definitione: quid ergo mirum, quòd nec formaliter logicè cum illa identificetur.

178. In forma, datis majore, & minore distinguo consequens: fieri potest, ut res distinguatur per rationem logicè ab eo, per quod definitur relatè ad eum intellectum, qui noverit definitionem, nego consequentiam: relatè ad intellectum, qui definitionem ignoraverit, concedo consequentiam. Cum definitiones non semper sint universaliter notæ, fieri potest, ut unus intellectus non statim, ac apprehendit definitum, apprehendat quoque identitatem ejus cum definitione; alius autem intellectus illicò eam identitatem apprehendat; quo fiet, ut res respectu unius intellectus non identificetur formaliter logicè cum suo definito, secus respectu alterius intellectus. Porro quemadmodum ajunt multi Theologi, non omnia quæ sunt de fide secundum se, esse de fide quoad nos scilicet, quia non novimus omnes revelationes, quas Deus protulit: ita non omnia, quæ identificantur formaliter secundum se, identificantur formaliter quoad nos, nimirum quia non didicimus omnium rerum definitiones: ast si semel definitionem novimus, ubi primum apprehendamus definitum, habebimus sufficientem claritatem ad affirmandum de illo suam definitionem.

CA-

CAPUT SEXTUM.

Alia huc spectantes resolvuntur quæstiones.

179.



Uæres 1. An inter prædicata creata realiter identificata dari possit distinctio rationis, seu præcisio formalis? Respondeo idem quod nuper cap. 5. innui. Inter prædicata realiter identificata potest dari distinctio rationis negativa, imò, & positiva strictissimè tales: necnon inter extrema realiter distincta potest dari identitas formalis negativa, imò & positiva strictissimè tales. Quadrimembris hæc conclusio probatur facilè ex definitionibus supra datis. Probo 1. partem: Animal distingui per rationem negativè à rationali, stat in eo, quòd ex vi præcisè hujus termini *animal*, quo frequenter utimur acturi de animali objectivo, non possit intellectus proferre hoc expressum judicium. *Animal est rationale*: constat ex cap. 5. Sed quamquam animal, & rationale objectiva, realiter identificentur ad invicem; nihilominus ex vi præcisè illius termini non potest intellectus proferre illud judicium, ut per se patet: ergo quamquam &c.

180. Probo 2. partem. Esto Deum identificari cum connexionione metaphysica, cum possibilitate possibilium, ut probabilis fert opinio, quam dabimus disp. ultima. Tunc sic. Deus atque sua essentialis independentia à creaturis realiter identificantur cum prædicta connexionione, & tamen apud multos hæc independentia distinguitur per rationem positivè a prædicta connexionione: quandoquidem ex vi præcisè illius termini *independentia Divina* inferunt multi: Independentia Divina non est connexa cum possibilitate possibilium: ergo. Nota, nos neutiquam asserere extrema realiter identificata distingui per rationem positivè respectu intellectus, qui illa agnoverit, ut identificata; sed respectu alius intellectus: quod descendit ex regula data cap. 5. Probo 3. partem Petrum identificari formaliter negativè cum Joanne, stat in eo, quòd ex vi præcisè hujus termini *Petrus* non possit intellectus proferre hoc judicium *Petrus distinguitur à Joanne*. Sed fieri potest, ut intellectus aliquis ex vi præcisè hujus termini *Petrus* non possit proferre dictum judicium quandoquidem ex vi præcisè illius termini non venit in mentem Joannes; unde nec distinctio ab illo: ergo fieri potest, ut *Petrus*, qui est realiter

liter

liter distinctus à Joanne, identificetur formaliter negativè cum Joanne.

Lib. 2. mt. tract. 4. cap. 12. 181. Ob. 1. argumentum, quo utitur P. Lynce ad probandum fore, ut de animali, & rationali verificentur duo contradictoria, si mutuo distinguantur per rationem. Verùm illud jam repulimus cap. 4. num. 134. Ob. 2. Si animal distinguitur mentaliter, ac per rationem à prædicato rationalis, necesse est, aliquid convenire mentaliter animali, quod non conveniat rationali, sed hoc dissentit nostris principiis: ergo. Probatur major. Si *A* distinguitur realiter ab extremo *B*, necessarium est quoddam aliquid conveniat realiter rei *A*; quod realiter non conveniat rei *B*: ergo si &c. Confirmatur. Si omnia, nullo dempto, quæ mentaliter, ac per rationem conveniunt animali, mentaliter etiam, ac per rationem conveniunt rationali, sequetur fore, ut animal, & rationale in omnibus, & per omnia conveniant mentaliter, proindeque quoddam non distinguantur mentaliter: ergo si distinguuntur mentaliter &c.

182. Ad objectionem distinguo majorem: necesse est aliquid convenire mentaliter animali, quod non conveniat mentaliter rationali, quodque reddat eundem sensum, quando enunciatur de uno, ac quando enunciatur de altero, nego majorem: quod diversum reddat sensum, concedo majorem. Constat ex superioribus. Sed expeditius respondeo, negando majorem, cujus absurditas non realis, sed apparens est. Etenim aliquid, v. g. *Principium sentiendi* convenire mentaliter animali, non autem rationali unice consistit (quidquid sit de terminorum involucris) in eo quoddam hæc cognitio animal præbeat fundamentum sufficiens ad hoc iudicium expressum, & formale. *Animal est principium sentiendi*: Hæc verò cognitio *Rationale* non præbeat fundamentum sufficiens ad hoc expressum iudicium. *Rationale est principium sentiendi*. Sed nullum continet absurdum, quoddam cognitio animal præbeat dictum fundamentum, secus cognitio hæc *rationale*, cum sint cognitiones realiter distinctæ: ergo nullum continet absurdum quoddam aliquid &c. major hujus discursus constat ex definitionibus supra datis.

183. Hic notandum est. Quoddam licet tota præcisio, seu distinctio rationis unice consistat formaliter, ac immediatè in ipsis cognitionibus, per hasque totum hoc negotium conficiatur; attamen quod est, atque denominatur *præcisum*, seu distinctum per rationem, non sunt ipsæ cognitiones, neque complexa ex cognitionibus, & objectis, quippe prima distinguuntur invicem realiter adæquatè; se.

secunda realiter inadæquatè; sed prædicata ipsa objectivè, ut distincta à cognitionibus, licet dependenter ab illis. Sic independenter ab albedine, paries neque est, neque denominatur albus; cæterum supposita jam albedine, & unione cum pariete, quod denominatur *album* non est albedo ipsa, neque complexum ex ipsa, & pariete; sed solus paries: quia nimirum aliud est esse formam formaliter, ac immediatè constitutivam denominationis, aliud autem subire ipsam denominationem. Albedo quidem est forma tribuens denominationem *albi*; at hanc denominationem non subit. Sic independenter à cognitionibus prædicatum animalis non esset formaliter præcisum, siue distinctum per rationem à prædicato rationalis: Attamen cognitionibus semel datis, quod præscinditur formaliter, quod distinguitur per rationem, non sunt ipsæ cognitiones, neque complexa ex eis, & objectis; sed prædicata ipsa objectivè. Et ratio est, illud denominatur præcisum formaliter, seu distinctum per rationem à prædicato rationalis, cujus propria cognitio talis est, ut ex vi ipsius præcisè, nequeat intellectus sic expressè judicare. *Hæc entitas est rationalis*. At prædicatum ipsum objectivum animalis, ut distinctum à cognitionibus, est illud, cujus propria cognitio talis est, ut ex vi præcisè ipsius non possit intellectus sic expressè judicare. *Hæc entitas est rationalis*: ergo prædicatum ipsum objectivum animalis &c. Hoc non impedit, quod etiam cognitiones ipsæ distinguantur inter se formaliter.

§. II.

184. **Q**Uæres 2. An eadem simplex, atque indivisibilis cognitio possit esse distinctio rationis? Respondeo. Eadem indivisibilis cognitio per se præcisè, ac independenter ab alia potest esse distinctio rationis mutua duarum formalitatum. Item duæ cognitiones realiter distinctæ possunt esse identitas formalis mutua, & etiam non mutua duorum. Probo 1. partem possibilis est cognitio simplex, atque indivisibilis sic tendens. *Rationale, atque loco motivum*. At hæc cognitio per se præcisè, & independenter ab alia, est distinctio rationis mutua inter hæc duo prædicata realiter identificata. Probatur. Omnis cognitio ita repræsentans duo, ut ex vi ipsius præcisè nequeat intellectus proferre hanc sententiam: *Hoc est illud*, aut hanc. *Illud est hoc*, est distinctio rationis mutua inter utrumque. Constat ex dictis. Sed prædicta cognitio talis est, quip-

quippe ex vi præcisè ipsius stolidè affirmaret intellectus ; Rationale identificari cum loco motivo, aut conversim : ergo &c. Is discursus eadem facilitate ostendit simplicem cognitionem posse esse distinctionem formalem positivam duorum. Possibilis namque est cognitio simplex sic tendens. *Homo*, & *chymæra*. Sed hæc cognitio est distinctio rationis positiva inter hominem, & chymæram. Probatur. Hæc cognitio ita repræsentat hominem, & chymæram, ut ex vi ipsius præcisè possit intellectus sic dicere. *Homo non est chymæra*, nam cum homo, qua talis sit formaliter possibilis, & ens reale : ex vi præcisè cujusque cognitionis hominem repræsentantis potest intellectus asserere, hominem non implicare duo contradictoria, proindeque non esse chymæram : ergo.

185. Probo secundam partem. Hæc duæ cognitiones *Homo*. *Animal rationale* sunt realiter simpliciter distinctæ inter se, & nihilominus sunt identitas formalis mutua positiva suorum objectorum, siquidem ex vi primæ solius potest intellectus sic judicare. *Homo est Animal rationale*, & ex vi secundæ solius potest sic judicare. *Animal rationale est Homo* : ergo duæ cognitiones realiter distinctæ &c. Possunt quoque esse identitas formalis non mutua, ut patet in his duabus cognitionibus. *Homo*. *Animal*. Ratio à priori est. Cognitionem esse distinctionem, aut identitatem formalem non est regulandum penes id, quod sit unica, aut multiplex ; sed per conceptum quidditativum, definitivumque, tum distinctionis, tum identitatis formalis. Sed uterque conceptus salvari potest distributione accomoda, in unica cognitione, ut liquet exemplis adductis : ergo.

186. Ob. contra 1. partem. Quando datur unicus actus representans prædicatum animalis, & prædicatum rationalis, neque datur distinctio ex parte objecti inter illa prædicata, neque distinctio ex parte actus. Probatur hoc. Quando non dantur actus distincti, non datur distinctio ex parte actus. Sed quando datur unicus actus, non dantur actus distincti : ergo. Confirmatur 1. Indivisibilis forma nequit præstare, ut idem distinguatur realiter à se ipso : ergo indivisibilis cognitio præstare nequit quod animal distinguatur formaliter à rationali, quod est ipsum animal. Confirmatur 2. Animal distingui per rationem à rationali, stat in eo, quod aliquid conveniat mentaliter, seu per rationem animali, quod non conveniat rationali, ut nos ipsi diximus nuper : ergo est necessarium quod inter animal, & rationale detur distinctio, aut ex parte objecti, aut ex

par-

parte actuum. Sed non datur distinctio ex parte objecti : ergo datur distinctio ex parte actuum.

187. Confirmatur 3. Animal objectivum per hanc cognitionem *animal* esse mentaliter animal, & per hanc eandem cognitionem non esse mentaliter rationale opponuntur contradictoriè. At si hæc simplex cognitio *animal* est distinctio rationis inter ea duo prædicata, verificabitur animal objectivum per hanc simplicem cognitionem *animal* esse apparenter, seu mentaliter animal, ut est certum : & non esse mentaliter rationale, ut nos diximus : ergo si una simplex cognitio fuerit distinctio rationis inter ea duo prædicata, verificabuntur duo contradictoria. Probatur major, quia tam opponuntur esse mentaliter animal, & non esse mentaliter rationale, per eandem simplicem cognitionem ; quam cognosci animal, & non cognosci rationale per eandem cognitionem. Tum deinde, quia animal objectivum esse mentaliter animal per unam cognitionem, & non esse mentaliter animal per eandem cognitionem opponuntur contradictoriè. Sed rationale est animal : ergo esse mentaliter animal, & per eandem cognitionem non esse mentaliter rationale opponuntur contradictoriè.

188. Hæc ex prava intelligentia terminorum procederent. Ad objectionem distinguo secundam partem antecedentis. Non datur distinctio physica, & entitativa ex parte actus, concedo (& hoc dumtaxat concluditur per subscriptam probationem.) Non datur distinctio logica ex parte actus, nego antecedens, & consequentiam. Communis est Scholasticorum phrasis vocare distinctionem, ex parte actus illam quam nos distinctionem rationis appellamus ; non quod intercedere debeant actus distincti, in quibus consistat formaliter ipsa distinctio rationis (de hoc quippe est quæstio, & absolute negatur à nobis) sed eo quod tota distinctio rationis consistat in actu, vel actibus intellectus. Dicimus ergo, quod quando datur unicus actus, non datur distinctio physica, & entitativa ex parte actus, ad hoc namque opus erat actibus physicè distinctis ; ceterum datur distinctio logica ex parte actus : quoniam ut ex dictis constat distinctio hæc unice consistit in eo, quod ita repræsentetur prædicatum animalis, v.g. ut ex vi præcisè ipsius repræsentationis nequeat intellectus dicere sic, *Animal est rationale*. Sed quamquam non dantur actus distincti, sed unus solus, potest hoc contingere : ergo quamquam non dantur actus distincti, potest dari distinctio logica ex parte actus. Ubi ut vides, non nego esse necessariam aliquorum

O

actuum

actuum distinctionem; sed esse necessariam distinctionem actuum illorum in quibus stat distinctio rationis.

189. Ad 1. confirmationem, concedo antecedens, & nego consequentiam. Nam cum prorsus sit impossibile, quod res distinguatur realiter à se ipsa: id neque per unam, neque per multiplicem formam præstari potest: attamen cum non sit impossibile, quod res distinguatur mentaliter à prædicato secum identificato præstari hoc potest tum per unicam, tum per multiplicem cognitionem. Ad 2. respondeo. Aliud est, quod distinctio rationis inter animal, v. g. & rationale poscat distinctionem actuum; & aliud quod consistat formaliter, & immediatè in actibus distinctis. Illud primum non negatur à nobis, nam absolutè est verum, si enim hic actus. *Principium sentiendi*, non esset distinctus ab hac cognitione *rationalis*, sicut intellectus ex vi præcisè hujus tendentiæ *animal* potest dicere sic, *Animal est principium sentiendi*, posset simpliciter dicere sic: *Animal est rationale*, qua propter animal non distingueretur per rationem à rationali. Posset ergo distinctio rationis actus intellectus realiter distinctos; attamen non consistit formaliter, & immediatè in actibus distinctis. In forma distinguo consequens, est necessarium, quod detur distinctio ex parte actus, itaut actus distincti sint constitutum formale, & immediatum distinctionis per rationem, nego consequentiam: itaut actus distincti sint termini, quibus cum connectitur distinctio rationis. Concedo consequentiam.

190. Ad 3. nego majorem cum sua prima probatione, quoniam esse mentaliter animal: & non esse mentaliter rationale per eandem cognitionem, re ipsa connotant distincta judicia, ut sæpè inculcatum est, proindeque non sunt contradictoria. Ad secundam probationem datis præmissis, nego consequentiam ob defectum non semel detectum in similibus formis arguendi. Igitur quamvis animal, & rationale sint prorsus idem, nihilominus esse mentaliter animal per hanc cognitionem *animal*, & non esse mentaliter rationale per illam eandem cognitionem non sunt contradictoria, tamen contradictoria sint hæc duo, esse mentaliter animal, & non esse mentaliter animal per hanc simplicem cognitionem *animal*. Ratio clarè descendit ex dictis. Esse mentaliter animal, & non esse mentaliter animal per hanc cognitionem *animal* staret in eo, quodd ex vi præcisè hujus cognitionis animal posset intellectus sic dicere. *Hæc entitas est animal*, & simul idem intellectus non posset sic dicere. Quod manifestè repugnat. At verbè esse mentaliter animal, &

non

non esse mentaliter rationale per hanc cognitionem *animal* stat in eo, quodd ex vi præcisè hujus cognitionis possit intellectus proferre hoc judicium. *Hæc entitas est animal*, & non possit proferre hoc. *Hæc entitas est rationalis*: Cumque hæc duo judicia sint realiter simpliciter distincta; idcirco non opponuntur contradictoriè hæc duo esse mentaliter animal, & non esse mentaliter rationale per hanc simplicem cognitionem *animal*.

§. III.

191. **Q**Uæres 3. An omne judicium repræsentans clarè objectivam duorum identitatem, sit eorundem identitas formalis? Respondeo. Omne judicium clarè repræsentans terminis aliis identitatem objectivam inter animal, & rationale est identitas formalis ipsorum; non tamen est semper identitas formalis *strictissima*. Pariter omnis cognitio clarè repræsentans terminis aliis objectivam duorum distinctionem est eorundem distinctio formalis, licet non semper *strictissimè* talis. Probo 1. partem. Omnis cognitio ita repræsentans *A*, & *B*; ut ex vi præcisè ipsius possit intellectus sic dicere *A est B*, est aliqua identitas formalis ipsorum. Constat ex definitione, & divisionibus datis cap. 5. Sed omne judicium clarè repræsentans terminis aliis objectivam identitatem inter animal, & rationale, est tale, ut ex vi præcisè ipsius possit intellectus sic judicare. *Animal est rationale*, ut patet: ergo. Pari discursu persuadetur, omnem cognitionem clarè proponentem objectivam duorum distinctionem esse aliquam distinctionem rationis eorundem: est namque cognitio, vi cujus præcisè potest intellectus sic judicare. *Hoc non est illud*. Dico *terminis aliis* quos volueris: quia non dico posse intellectum dicere *A est B*, ex vi præcisè judicii sic proponentis identitatem illorum. *A est B*. Sed aliis terminis proponentis illam.

192. Ratio autem utriusque exceptionis positæ in conclusione est. Identitas formalis *strictissima* rei *A* cum *B* non stat in quavis cognitione proponente identitatem inter utrumque; Sed in eo quodd terminus, sive cognitio illa, quæ est propria rei *A*, idest, quæ frequenter utimur disputaturi de *A*, talis sit, ut ex vi præcisè ipsius possit intellectus sic judicare *A est B*. Similiter distinctio rationis *strictissima* inter *A*, & *B*. consistit in eo, quodd cognitio propria rei *A*, hoc est qua frequenter utimur acturi de *A* talis sit, ut ex vi

præcisè ipsius, non possit intellectus dicere sic. *A est B*, aut possit dicere sic *A non est B*. At neque omnis cognitio clarè proponens distinctionem inter *A*, & *B* est cognitio propria, & usualis qua frequenter utimur acturi de ipso *A*, ut per se constat. Sic quamquam hæc cognitio. *Animal est rationale* clarè proponat identitatem inter utrumque, nihilominus non est cognitio, quæ frequenter utimur acturi de animali: cognitio namque, quæ frequenter utimur est sola hæc cognitio *Animal*: ergo.

193. Objicies 1. Hoc iudicium falsum. *Homo distinguitur ab animali rationali* clarè proponit distinctionem inter hominem, & animal rationale, sed hoc iudicium non est distinctio rationis inter utrumque. Probatur 1. impossibilis est distinctio rationis inter definitum, & definitionem, ut communiter censetur. Sed homo est definitum, & Animal rationale est definitio: ergo. 2. Nullum iudicium, vi cuius potest intellectus sic dicere. *Homo est Animal rationale*, est distinctio rationis inter hominem, & animal rationale, sed prædictum iudicium falsum tale est. Probatur. Ex vi præcisè definir formalis potest intellectus affirmare definitionem. Sed hic terminus *Homo est* definitum formale, & animal rationale est definitio: ergo ex vi præcisè huius termini *Homo* potest intellectus affirmare animal rationale. Sed in prædicto iudicio falso reperitur hic terminus *Homo*: ergo ex vi præcisè prædicti iudicii falsi &c.

194. Non abs re diximus supra conceptum identitatis, distinctionisque formalis non esse absolutum, universalemque, sed respectivum: hoc est cognitionem, quæ respectu unius intellectus est identitas formalis duorum, posse respectu alius non esse identitatem formalem. Nam cum totum hoc consistat in eo, quodd cognitio habeat, vel non habeat claritatem sufficientem, ut ex vi præcisè ipsius deveniatur in cognitionem expressam identitatis realis, possitque fieri, ut claritas, quæ uni intellectui sufficit, alteri non sufficiat; idcirco fieri potest, ut cognitio, quæ respectu unius intellectus est identitas formalis, non sit respectu alius. Ad objectionem distinguo minorem. Non est distinctio rationis respectivè ad intellectum, qui assentiat isti iudicio falso, nego (is enim intellectus ex vi præcisè istius iudicii negativi nequiret sic iudicare. *Homo est Animal rationale*) respectivè ad alium intellectum penetrantem terminos, concedo minorem: quoniam hic intellectus eo ipso quod sibi objiciatur istud iudicium agnoscat esse falsum, proindeque agnoscat hominem esse animal rationale. Eisdem terminis concedo, me.

neque consequentiam. Ad 1. probationem, distinguo majorem. Impossibilis est distinctio rationis inter definitum, & definitionem, relatè ad intellectum penetrantem terminos, concedo: relatè ad intellectum assentientem negationi definitionis de definito, nego; Et concessa minore, distinguo consequens eisdem terminis. Ad 2. distinguo majorem. Nullum iudicium &c. est distinctio rationis respectivè ad intellectum, qui terminos penetraverit, concedo: respectivè ad alium intellectum, nego majorem, & similiter explicantur cætera.

195. Ob. 2. P. Augustinus de Herrera. Ponamus iudicium ita discretè enuncians, rationale esse risibile, ut simul proponat distinctionem virtuales inter utrumque. Tunc sic. Prædictum iudicium clarè repræsentat identitatem inter rationale, & risibile; & tamen est distinctio rationis inter utrumque. Probatur. Omnis cognitio ita proponens duo prædicata, ut cum illo possit intellectus conjungere affirmationem unius, & negationem alterius est distinctio rationis illorum duorum (nam quemadmodum posse unum, existere sine altero est patentissimum signum distinctionis realis inter illa duo, ita posse affirmari unum, & negari alterum videtur constans signum distinctionis formalis inter illa.) At omne iudicium ita proponens rationale identificari cum risibili, ut simul proponat distinctionem virtuales inter utrumque, est cognitio ita proponens illa duo, ut cum ea cognitione possit intellectus conjungere affirmationem unius, & negationem alterius: nam si intellectus cognoscit, duo extrema distingui virtualiter, eo ipso deprehendit capacitatem, ut alterum possit affirmari de uno tertio, de quo alterum, negari possit, ut accidit in Divinis, ubi essentia affirmatur, & Paternitas negatur de Filio eo solo titulo, quod inter Paternitatem, & essentiam versetur distinctio virtualis.

196. Confirmatur in iudicio ita affirmante identitatem duorum, ut simul alterum ex eis afficiatur disjunctione formali, vel æquivalente, v.g. hoc iudicium *Petrus est homo*. Quoniam licet mihi constet ex vi huius iudicii, Petrum esse hominem; ast ex illo non constat, omne quod est homo esse Petrum: ergo ex vi præfati iudicii non manet intellectus impotens ad affirmandum hominem de alio, de quo non affirmatur Petrus: ergo prædictum iudicium distinguit per rationem hominem à Petro. Et tamen prædictum iudicium expressè significat identitatem realem hominis cum Petro: ergo &c. Respondeo. Quemadmodum identitas realis alia est pu-

ra, alia admixta distinctioni virtuali. Ita identitas rationis alia est pura (nimirum illa quæ consistit in cognitione clarè repræsentante obiectivam duorum identitatem, & nil aliud) alia admixtat distinctioni virtuali per rationem, illa scilicet, quæ repræsentat obiectivam duorum identitatem, necnon distinctionem virtuales. Tunc sic: quando dicimus omne iudicium clarè proponens duorum identitatem esse identitatem formalem eorundem, non loquimur de *identitate formali pura*, sed de Identitate formali, ut sic. Quod ipsius adversarii exemplo roboratur. Nam sicut essentiam divinam à parte rei identificari cum Filio, secus Paternitatem, dumtaxat probat distinctionem virtuales inter Paternitatem, & essentiam, non autem impedit identitatem realem utriusque, ut est de fide: ita quod ex duobus extremis unum possit affirmari, & alterum negari dumtaxat probat distinctionem virtuales per rationem inter illa duo, non autem impedit identitatem formalem inter utrumque.

197. In forma nego majorem, & probationis majorem, cujus adjuncta probatio inefficax est. Etenim sicut ex eo quod *unum posse existere sine alio* sit signum distinctionis realis inter utrumque, non probatur *unum identificari cum tertio, quo cum non identificatur alterum*, esse signum distinctionis simpliciter realis inter utrumque. Ita quod intellectus possit conjungere negationem unius extremi, cum affirmatione alterius, non est signum distinctionis rationis simpliciter talis inter illa duo. Nam licet intellectus conjungere possit negationem unius cum affirmatione alterius, potest nihilominus contingere, quod unum, & alterum appareant, ut identificata. Sed eo ipso, quod appareant, ut identificata, non distinguuntur simpliciter per rationem relatè ad eam cognitionem, per quam sic apparent: ergo. Ad confirmationem respondeo similiter quod quamvis non obstante hoc iudicio. *Petrus est homo* possit intellectus affirmare hominem de aliquo subiecto (v. g. de Joanne) de quo neget Petrum nihilominus hoc non probat dictum iudicium esse distinctionem rationis simpliciter talem inter hominem, & Petrum: sicut essentiam divinam à parte rei identificari cum Filio, quo cum Paternitas non identificatur à parte rei, non concludit distinctionem realem simpliciter talem inter essentiam Divinam, & Paternitatem.



CA.

CAPUT SEPTIMUM.

De similitudine, atque dissimilitudine requisita, ut cognitiones distinguant sua objecta per rationem.

198.



Respicuum est aliquam requiri distinctionem cognitionum, ut detur distinctio rationis, ut explicatum, & probatum manet cap. 5. Est tamen difficultas quænam esse oporteat dissimilitudo, sed distinctio cognitionum requisita, & sufficiens, ut detur distinctio rationis? Spissum opus. Totam doctrinam hac propositione complectar. Dissimilitudo cognitionum stans in eo, quod altera proponat suum obiectum clarè, & altera obscurè, neque sufficit neque requiritur, ut tales cognitiones distinguant sua objecta per rationem. Idem dico de dissimilitudine stante in eo, quod una cognitio innuat connotatum, sed effectum, quem altera non explicat. Præterea dissimilitudo consistens in eo, quod obiectum, ut propositum per unam cognitionem, possit negari de altero obiecto, ut propositum per alteram, sufficit; sed non requiritur ad distinguendum per rationem ea duo objecta. Uterius dissimilitudo cognitionum stans in eo, quod cognitio *A* plura objecta significet, quam cognitio *B*, non requiritur ad distinctionem rationis: cæterum sufficiens est ut obiectum cognitionis *A* distinguatur per rationem ab obiecto cognitionis *B*, at non viceversa. Demùm dissimilitudo cognitionum stans in eo, quod una nequeat esse explicatio, seu definitio alterius, quamquam sufficiat, & requiratur, ut utriusque cognitionis objecta distinguantur per rationem in sensu metaphyfico: at neque sufficit, neque requiritur, ut distinguantur per rationem in sensu logico. Igitur dissimilitudo, quam oportet habere cognitiones, quæ sunt distinctio rationis ratiocinatæ in sensu logico unice consistit in eo, quod ita probant sua objecta, ut ex vi præcisè illarum omni alio lumine secluso possit intellectus dicere sic. *Hoc obiectum non est illud* (& tunc erunt illæ cognitiones distinctio rationis positiva) vel saltem non possit dicere sic. *Hoc est illud*, & tunc erunt distinctio rationis negativa. Restat ergo membratim probare conclusionem.

199. Dico 1. Dissimilitudo cognitionum stans in eo, quod altera proponat suum obiectum clarè, alteraque obscurè, neque requi-

quiritur, neque sufficit, ut distinguant logicè per rationem sua objecta. Probo 1. partem. Nil sine quo dari potest distinctio rationis logica, requiritur ad distinctionem rationis logicam. Sed absque ista dissimilitudine dari potest distinctio rationis logica. Probatur. Hæc duæ cognitiones. *Homo est Animal rationale Equus est animal binnibile*, distinguunt per rationem sua objecta, nempe hominem, & equum: siquidem neque proponunt illa, ut definibilia per eandem definitionem adæquatam, neque ex vi præcisè alterutrius potest intellectus unum objectum de altero affirmare. Et tamen hæc cognitiones non habent istam dissimilitudinem, cum ambæ proponant clarè sua objecta, hoc est, ambæ sint definitiones suorum objectorum: ergo. Probo 2. partem. Nil quo dato deficere potest distinctio rationis sufficit per se præcisè ad distinctionem rationis. Sed data ista dissimilitudine deficere potest distinctio rationis. Probatur inter definitum formale, & definitionem formalem datur ista dissimilitudo: quandoquidem definitum formale proponit obscure suum objectum, & definitio formalis proponit clarè illud idem. Et tamen definitum formale, & definitio formalis non distinguunt per rationem sua objecta: quippè intellectus penetrans terminos ex vi præcisè definiti formalis potest enunciare definitionem, & conversim: ergo.

200. Sed dices cum P. Herrera contra hanc secundam partem. Quoties objecta apparent instar plurium, apparent, ut distincta, proindeque distinguuntur per rationem. At definitum, & definitio objectiva apparent instar plurium: ergo distinguuntur per rationem: ergo falsum medium assumimus ad probandam hanc 2. partem, & corroborari potest argumento simili posito cap. 5. Nego majorem. Ratio est. Cognitionem esse, vel non esse distinctionem, rationis non est regulandum penes, id quod proponat sua objecta instar plurium, vel instar unius (alias cum semper, ac cognoscimus Angelum; agnoscamus illum istar juvenis, sequetur quod semper, ac cognoscimus Angelum, identificabimus illum per rationem cum juvene: proindeque hanc cognitionem. *Angelus non est juvenis*, quæ est distinctio rationis positiva inter Angelum, & juvenem, fore etiam identitatem formalem inter utrumque, quod refutatum est cap. 6.) Regulandum igitur est, penes id quod cognitiones ita proponant sua objecta, quorum sunt communes, & vulgares expressiones, ut ex vi præcisè ipsarum, vel possit intellectus dicere. *Hoc non est illud*, vel non possit dicere. *Hoc est illud*, ut constat ex definitione.

tionibus datis cap. 5. Sed quamquam duæ cognitiones (v. g. de finitum, & definitio formalis) proponant sua objecta instar plurium, seu per species plurium, nihilominus ex vi præcisè definiti formalis potest intellectus, qui terminos penetraverit, enunciare definitionem: ergo quamquam duæ cognitiones proponant sua objecta instar plurium &c.

201. 2. Rescindere oportet solemnem æquivocationem sub illis terminis. *Instar plurium. Instar unius latentem*. Aliud est, cognoscere objecta, instar plurium, quatenus cognitio nascatur ab speciebus, vel specie plurium: & aliud est cognoscere objecta instar plurium, quatenus cognitio repræsentet clarè distinctionem objectivam inter illa objecta. Sicut aliud est cognoscere Patrem Æternum instar *senis*, quatenus cognitio, quam habemus circa illum, nascatur ab specie *senis*: & aliud est cognoscere Patrem Æternum instar *senis*, quatenus hæc cognitio identitatem exprimat inter Patrem Æternum, & senem nobis notum. Dicimus ergo. Si cognitiones repræsentant sua objecta instar plurium, quatenus repræsentent distinctionem objectivam inter illa duo objecta, erunt quidem distinctio rationis; attamen definitum, & definitio formalis non repræsentant hoc modo instar plurium sua objecta. Quod autem cognitiones repræsentent instar plurium sua objecta, quatenus nascantur ab specie plurium, non sufficit, ut sint distinctio rationis, ut exemplo numeri superioris constat.

202. Dico 2. Dissimilitudo cognitionum consistens in eo, quod altera innuat connotatum, effectum, seu terminum, quem altera non explicat; neque requiritur, neque sufficit, ut distinguant per rationem sua objecta. Probo 1. partem contra P. Alphonsum. Nil sine quo dari potest distinctio rationis, est requisitum ad hanc distinctionem. Sed absque ista dissimilitudine dari potest distinctio rationis. Probatur hæc cognitio *color* distinguit per rationem colorem, ab albedine: siquidem ex vi præcisè illius nequit intellectus sic dicere. *Color est albedo*; & tamen inter has duas cognitiones. *Color. Albedo* non datur ista dissimilitudo, cum neutra innuat terminum, connotatum, seu effectum, quem altera non explicet: ergo. Crediderim verò sententiam P. Alphonsi coherere posse cum nostra. Probo 2. partem; Nil quo dato deficere potest distinctio rationis, sufficit per se præcisè ad distinctionem rationis. Sed data ista dissimilitudine deficere potest distinctio rationis. Probatur. Inter has duas cognitiones. *Homo. Oppositum chymæ* datur ista dissimilitudo:

secunda quippè clarè exprimit chymæram, quam non exprimit prima. Et tamen homo non distinguitur per rationem ab hoc prædicato *Oppositum chymæra*: quia homo est formaliter possibilis, & ens reale proptereaque est formaliter oppositum chymæra: ergo.

203. Dico 3. Dissimilitudo cognitionum stans in eo, quòd objectum propositum per unam possit negari de objecto, ut proposito per alteram sufficit quidem ad distinctionem rationis: ast non requiritur. Probo 1. partem. Quoties ex vi præcisè hujus cognitionis est *A* potest intellectus sic dicere: *A distinguitur à B*; aut non potest sic dicere: *A est B*. datur distinctio rationis inter *A*, & *B*. Constat ex cap. 3. Sed quoties objectum, ut tale hujus cognitionis est *B*. potest negari de objecto hujus cognitionis est *A*, hæc secunda cognitio talis est, ut ex vi præcisè ipsius nequeat idem intellectus pronunciare hanc sententiam *A est B*, ut penetranti terminos constabit: ergo. Probo 2. partem contra P. Herrera, & utor exemplo, quo ipse utitur. Dum quis videt animal valdè distans, sed animal à longè, ut ajunt, concipit hanc cognitionem. *Illa entitas est animal*, & neutiquam discernit, sit, nec ne rationale: tum abs dubio datur distinctio rationis inter animal, & rationale. Sed tunc nequit intellectus absolutè negare de animali prædicatum rationalis dicendo sic. *Illud Animal non est rationale*: tum quia sicut nullum habet fundamentum ad affirmandum, ita nullum habet ad negandum. Tum quia nemo potest absolutè negare id, de quo ambigit. Sed intellectus in eo casu, ambigit, an ea entitas sit rationalis: ergo in eo casu non potest absolutè negare de illo animali prædicatum rationalis. Et tamen in eo casu prædicatum animalis distinguitur per rationem à prædicato rationalis: ergo ad hanc distinctionem non requiritur quòd objectum unius cognitionis possit negari de objecto alterius. Quod si mens hujus Authoris esset, posse unum negari de altero in sensu præcisivo, hoc est, nullam urgere necessitatem affirmandi unum de altero, coincidet cum sententia postea tradenda.

204. Dico 4. Dissimilitudo cognitionum stans in eo, quòd cognitio *A* plura objecta significet, quam cognitio *B*. non est necessaria ad distinctionem rationis. Cæterùm si detur hæc dissimilitudo præstabit, ut objectum cognitionis *A* distinguatur per rationem ab objecto cognitionis *B*; licet non semper sit in causa, ut objectum cognitionis *B* distinguatur per rationem ab objecto cognitionis *A*. Probo 1. partem. Neutra ex his duabus cognitionibus. *Petrus existit*. *Petrus non existit* tangit plura objecta, quam altera: ambigam.

nam.

namque, utpotè contradictoriæ, attingunt idem prorsus objectum. Et tamen distinguunt per rationem sua objecta, eo quòd ex vi neutrius possit intellectus dicere sic. *Petrus existere, est Petrus non existere*, aut è converso: ergo absque ista dissimilitudine dari potest distinctio rationis: ergo ista dissimilitudo non est necessaria. Omitto alia exempla. Sia verò dixeris, intellectum non posse affirmare in exemplo adducto unum objectum de altero, provenire ex eo, quòd dictæ cognitiones proponant diversimodè suum objectum. Contra est: ergo cognitiones, quarum neutra proponit plura objecta, quam altera, possunt illa tangere modo ita diverso, ut ex vi neutrius possimus unum objectum affirmare de altero: ergo modo sufficiente ad distinctionem rationis: ergo cognitiones, quarum neutra attingit plura objecta, quam altera possunt esse distinctio rationis.

205. Probo 2. partem. Quoties cognitio objecti *A* talis est, ut ex vi præcisè ipsius non valeat intellectus sic dicere *A est B*. *A* distinguitur per rationem à prædicato *B*; Sed quoties cognitio objecti *A* plura objecta significat, quam cognitio objecti *B*. Cognitio objecti *A* talis est, ut ex vi præcisè ipsius non valeat intellectus sic dicere *A est B*. Tum quia ideo ex vi præcisè hujus cognitionis *animal* nequimus sic dicere: *Animal est homo*, quia hæc cognitio *animal* plura objecta significat, quam hæc cognitio *Homo*. Tum quia juxta principia dialectica à termino amplo, seu non restricto, malè arguitur affirmativè ad terminum non amplum, sive restrictum: sed si cognitio objecti *A* plura objecta significat, quam cognitio objecti *B*, cognitio objecti *A* est terminus amplus, & cognitio objecti *B* est terminus non amplus: ergo si plura objecta significet &c. Probo 3. partem inter has duas cognitiones *Animal*. *Homo* datur ista dissimilitudo. Nam ut planum est prima cognitio plura objecta significat, quam secunda, & tamen homo non distinguitur per rationem ab animali: ergo.

206. Dico 5. Dissimilitudo cognitionum stans in eo, quòd utraque explicari nequeat per eandem definitionem formalem, tametsi sufficiat, & requiratur ad distinctionem rationis in sensu metaphisico (eo quòd distinctio in hoc sensu consistat in eo, quòd unum non definiatur per alterum, neque per alterius definitionem, ut supra explicatum manet) cæterum neque sufficit, neque requiritur ad distinctionem rationis in sensu logico. Probatur *non sufficere*. Nil quo posito non datur distinctio rationis in sensu logico, sufficit per se ad hanc distinctionem. Sed posito, quòd duæ cognitiones expli-

cari nequeant per eandem definitionem formalem, potest contingere, quod objecta earum cognitionum non distinguantur per rationem in sensu logico. Probatur. Hæ duæ cognitiones. *Homo*, *Animal rationale*, tales sunt, ut hæc secunda, neque explicetur per illam primam (alias clarum explicaretur per obscurum) neque per definitionem formalem illius primæ, seu potius objecti illius primæ, alioquin cum hæc secunda cognitio sit explicatio illius primæ, sequeretur hanc secundam cognitionem explicari per se ipsam. Et tamen animal rationale non distinguitur per rationem in sensu logico ab homine, quando quidem quivis mediocriter Philosophus, ex vi præcisè hujus cognitionis, *Animal rationale* potest sic judicare. *Animal rationale est Homo*: ergo. Probatur non requiri hanc dissimilitudinem. Hæ duæ cognitiones *Petrus Joannes* non habent istam dissimilitudinem, quippè ambæ explicantur per eandem definitionem formalem. Et tamen hæ duæ cognitiones distinguunt per rationem in sensu logico sua objecta. Siquidem ex vi neutrius præcisè, potest intellectus sic judicare. *Petrus est Joannes*, aut econtra: ergo.

207. Dico tandem dissimilitudo cognitionum, quæ sufficit, atque requiritur, ut cognitiones distinguant sua objecta per rationem, stat formaliter in eo, quod ita proponant sua objecta, ut ex vi præcisè illarum possit intellectus sic dicere. *Hoc objectum non est illud* (& tunc erit distinctio rationis positiva) vel saltem nequeat proferre hanc sententiam. *Hoc objectum est illud*, & tunc dabitur distinctio rationis negativa. Explicatur hæc doctrina. Ea est conditio nostrarum potentialium, ut percepturæ aliquid objectum, contentæ non sint qualicumque propositione illorum; sed ulterius requirant propositionem, sive expressionem tot determinatos gradus habentem claritatis, atque intensiōnis, quos si non habeant, potentia non manebit certa, atque secunda de objecto. Sic potentia auditiva, ut sonum percipiat, sat non est proferri hanc vocem *Petrus*; sed præterea requiritur, prolationem hujus vocis habere tot determinatos gradus soni, seu intensiōnis, alias quamquam re ipsa pronuncies eam vocem, non audieris. Similiter potentia visiva. Ut enim oculis percipiam objectum, non sufficit illud colore, ac luce, utcunque perfusum esse, ut innumeris experimentis constat. Profecto animalculum, quod Arator dicitur, luce perfunditur, & colore, & nihilominus vix telescopia percipitur: desiderantur ergo determinati gradus lucis, atque coloris. Si autem que-

ras, quot debeant esse hi gradus? Respondeo esse prorsus inassignabiles à nobis. lege P. IZQ. qui ostendit, quodvis licet minimum visibile, v. g. atomum milione partium constare.

208. Idem igitur potentia intellectiva contingit. Ut enim percipiat identitatem, aut distinctionem duorum, non sufficit quod altera ex his sibi proponatur, sed desideratur ulterius, quod propositio identitatis, aut distinctionis, tot determinatos gradus inassignabiles à nobis habeat, quibus si careat, non manebit certa, & secunda potentia intellectiva de identitate, aut distinctione, ex vi præcisè ejus propositionis, quamvis ea propositio revera attingat identitatem, aut distinctionem. Dicimus ergo dissimilitudinem requisitam, atque sufficientem inter cognitionem rei *A*, & rei *B*, ut distinguant per rationem ratiocinatam in sensu logico hæc duo objecta, unice stare in eo, quod hæc cognitio, seu expressio. *Est res A* non habeat eos gradus intensiōnis, claritatisque, ut ex vi præcisè ipsius possit intellectus sic dicere. *A est B*, aut certè habeat gradus claritatis requisitos, ut ex vi præcisè ipsius possit intellectus sic dicere. *A non est B*. Hic nobis purior videtur modus exponendi distinctionem rationis, sive præcisionem formalem, de qua communiter ajunt Philosophi esse cognitionem obscuram, & inadæquatæ claritatis, inadæquatèque repræsentare objectum. Porro hæc inadæquationes non cadunt supra objectum, quasi cognitio quæ dicitur distinctio rationis, attingeret rigorosè loquendo unum prædicatum objecti, & non aliud; sed cadere debent hæc inadæquationes supra cognitionem ipsam, nempe quia hæc fungitur aliquibus; non verò omnibus gradibus claritatis requisitis, ut ex vi præcisè talis cognitionis, possit intellectus affirmare de objecto omnia, & singula prædicata hujus.

209. Ob hanc explicationem hæ duæ cognitiones *Animal, rationale*, habent sufficientem dissimilitudinem, ut sint distinctio rationis ratiocinatæ suorum objectorum. Licet enim quævis earum attingat in rigore Scholastico utrumque prædicatum, & utriusque prædicati identitatem; nihilominus neutra habet gradus claritatis requisitos, ut ex vi præcisè ipsius, intellectus proferat hoc judicium. *Animal est rationale*. Quod si roges rationem, ob quam dictæ cognitiones non habeant eos determinatos gradus claritatis? Respondeo si petis rationem à priori, eam dabimus, quando produxeris rationem à priori, ob quam homo sit natura sua animal rationale. Etenim pro hoc statu non habemus rationem à priori naturarum re-

rum. Sin verò petas rationem à posteriori; respondeo illam esse experientiam. Nam quemadmodum ex eo, quod aqua, v. g. relicta in suo statu naturali, nunquam comburat, rectè argumentantur philosophi, aquam non habere ex se virtutem combustivam: ita ex eo, quòd intellectus excultus nunquam deducat hanc præpositionem *Animal est rationale*, ex vi præcisè hujus apprehensionis *Animal*, aut hujus *rationale* concluditur à posteriori neutram ex his duabus apprehensionibus habere gradus claritatis ad illud iudicium proferendum.

210. Jam tota hæc doctrina, ejusque explicatio suadetur quatuor illis rationibus, quas tetigimus cap. 5. Etenim quotiès objecta clarè apparent ut distincta, distinguuntur per rationem positivè in sensu logico: & quoties non apparent, ut identificata, distinguuntur per rationem negativè in sensu logico (logici quippè agunt de rebus, prout apparentibus per actus mentis.) At quoties cognitio objecti *A* habet gradus claritatis sufficientes, ut ex vi præcisè illius possimus dicere *A distinguitur à B*, contingit quod *A*, & *B* apparent per illam cognitionem, ut distincta (si enim non, apparent clarè, ut distincta, nequiret intellectus proferre certò illam sententiam.) Item quotiès cognitio rei *A* non habet gradus sufficientes claritatis, ut ex vi ipsius præcisè possimus dicere *A est B*, hæc duo objecta non apparent clarè, ut identificata, quoniam si clarè apparerent, ut identificata posset intellectus dicere *A est B*: ergo quotiès cognitio rei *A* habet gradus sufficientes, ut ex vi præcisè ipsius possimus dicere sic *A non est B*. datur distinctio rationis positiva inter *A*, & *B* in sensu logico. Et quoties cognitio rei *A* non habet gradus claritatis sufficientes, ut ex vi præcisè ipsius possimus dicere *A est B* datur distinctio rationis negativa inter *A*, & *B*: ergo dissimilitudo cognitionum requisita, & sufficiens ad distinctionem rationis logicam stat in eo, quod cognitiones habeant, vel non habeant dictos gradus claritatis.

211. Secunda difficultas. An distinctio rationis possit fieri, non modo per cognitionem abstractivam, sed etiam per intuitivam? Respondeo affirmativè. Prob. Cognitiones, quibus beati agnoscunt Deum, sunt intuitivæ, juxta phrasim theologicam. At omnes illæ præcindunt formaliter ab actibus liberis, distinguuntque per rationem Deum ab aliquibus, cum quibus ipse Deus identificatur. Probatur omnis cognitio ita attingens Deum, ut ex vi præcisè ipsius, nequeat intellectus Beatus certò resolvere cuncta,

quæ

quæ Deus habet per identitatem, præcindit formaliter Deum ab illis, ut constat ex superiore doctrina. At omnes illæ cognitiones tales sunt, ut ex vi præcisè ipsarum, nequeat intellectus Beatus certo resolvere cuncta, quæ Deus habet per identitatem. Tum quia alias plenariè comprehenderet Deum. Tum quia non valent certò resolvere cuncta consilia, decretaque libera Dei. Neque obstat cognitionem intuitivam repræsentare Deum prout est in se ipso: quippè cognitio non idèd vocatur intuitiva, quod repræsentet obiectum *omni eo modo*, quo est in se ipso; sed quia producat per speciem propriam ipsius obiecti, quod compatibile est cum eo, quod non habeat tot gradus claritatis, quot requiruntur, ut intellectus ex vi ipsius præcisè, possit resolvere cuncta prædicata cunctasque formalitates illius obiecti. Ratio autem est. Non eo ipso quod sit intuitiva est comprehensiva: ergo est capax alicujus obscuritatis: ergo est capax ut sit precisio, seu distinctio rationis.

212 Tertia difficultas est. An per sensus externos, aut per voluntatem possit fieri distinctio rationis. Respondeo quamquam sensus externi possint inadæquatè tangere sua objecta, ut passim experimur quando videmus colores valdè distantes, in quo casu oculis percipimus ibi esse colores, & non discernimus, quinam sint. Item quamquam voluntas possit tendere confusè in suum obiectum dicendo sic v. g. *volo facere honestum*; nihilominus distinctio rationis strictè talis neque potest fieri per sensus externos, neque per actus voluntatis. Ratio est, quia distinctio rationis strictè talis consistit in actibus intellectus: nam ideo dicitur distinctio *rationis*. At qui actus sensus externi, vel voluntatis non sunt strictè, ac propriè actus intellectus; quamvis potentiæ animæ mutuo identificentur: quia actus illi, non sunt *cognitiones spirituales*, quæ solæ vocantur actus intellectus: ergo.



CAPUT OCTAVUM.

De Præcisionibus objectiva, atque Formali.

213.



Quarta difficultas, eaque celebris est. An distinctio rationis fiat per præcisionem objectivam? an potius per præcisionem formalem? Præcisio in genere est actus dividens, seu separans unum ab alio. Est duplex, alia vocatur præcisio objectiva, alia præcisio formalis. Præcisio objectiva est cognitio ita repræsentans objectum, in quo sunt multa prædicata, ut attingat, & repræsentet unum, quin ullatenus attingat, vel repræsentet alia, non secus, ac si essent realiter distincta talia prædicata: sic juxta multos hæc cognitio *Animal* præscindit objectivè prædicatum animalis à prædicato rationalis, quoniam licet animal, & rationale sint à parte rei unum, & idem, nihilominus præfata cognitio, juxta hos Auctores attingit, atque repræsentat prædicatum animalis, quin attingat, seu repræsentet prædicatum rationalis. Præcisio formalis est cognitio ita attingens objectivè omnia, & singula prædicata hominis, ut ex vi præcisè ipsius non possit intellectus dicere sic. *In homine datur hoc prædicatum* &c. v. g. Hæc cognitio *Animal* juxta plerisque ex nostratibus est non præcisio objectiva, sed formalis prædicati animalis à prædicato rationalis, quoniam hæc cognitio, quamquam ex parte objecti attingat juxta hos Authores utrumque prædicatum; nihilominus ex vi præcisè ipsius, utpotè minus claræ non potest intellectus sic judicare. *Animal est rationale*, cujus impotentia ratio est, quam supra tetigimus, nempe quia dicta cognitio non habet gradus claritatis requisitos, ut intellectus prorumpat in præfatum judicium. Undè quemadmodum fieri potest, ut re ipsa alloquaris Prætores, quin habeas hanc expressam cognitionem. *Hic homo quem alloquor est Prætor*: ita fieri potest, ut nostra cognitio attingat re ipsa, atque ex parte objecti, omnia, & singula prædicata hominis, & tamen quod non possimus dicere ex vi prædictæ cognitionis sic. In hoc objecto datur prædicatum rationalitatis risibilitatis &c.

214. Hæc cognitio dicitur præcisio formalis, non quod re ipsa præscindat, vel separet unum prædicatum ab altero (hoc enim est chymera,) sed quia quasi separatur, vel præscindit. Porro hoc quasi, vel hæc similitudo stat in eo, quod quemadmodum si prædicatum ani-

Præcisio objectiva.

121

animalis re vera foret distinctum à cæteris attributis hominis, nequiret intellectus proferre hanc sententiam veram, *Animal est rationale, est risibile* &c. ita licet non sit distinctum ab aliis attributis; nihilominus quia hæc cognitio *Animal* est obscura, & valdè remissa, ex vi præcisè ipsius non valet intellectus proferre hoc judicium. *Animal est rationale, est risibile* &c. Præterea præcisio formalis vocatur cognitio inadæquatæ claritatis, quæ phrasis non est intelligenda, ut supra notabamus, de inadæquatione objectiva, quasi talis cognitio attingeret unam partem essentiæ metaphysicæ sui objecti, & non aliam: quoniam ut optimè Philosophus. *In simplicibus* (quales sunt essentiæ metaphysicæ rerum) aut totum attingitur, aut totum ignoratur. Intelligenda ergo illa phrasis de inadæquatione formali, seu mentali stante in eo, quod cognitio, quæ vocatur præcisio formalis sit pars cognitionis, qua perfectè cognosceretur objectum. v. g. Entitas hominis cognoscitur perfectè perfectione ordinaria per hanc cognitionem: *Homo est Animal rationale, risibile, admirativum* &c. Cujus cognitionis una pars est illa tendentia *Animal*, quæ præcisio formalis nuncupatur. Cautione hac loqui oportet, refundendo scilicet totam præcisionem, aut distinctionem supra actus ipsos intellectus, quin vel minimum transfundatur plusquam denominativè ad prædicata objectiva, alioquin sexcenta ebullient contradictoria.

215. Quod si roges; undè proveniat, quod intellectus prodeat in has cognitiones inadæquatas, & formalitèr præscindentes? Respondeo, quodvis ex quatuor sequentibus capitibus esse sufficiens ad hoc. I. si cognitio ita repræsentet unum objectum, ut etiam tangat alia objecta realiter distincta, in quibus non reperiuntur omnia prædicata hujus unius, v. g. Hæc cognitio, *Animal*, ita hominem attingit, ut etiam attingat bruta, in quibus non reperiuntur prædicata rationalis, risibilis &c. atque ob hanc rationem ex vi præcisè ejus cognitionis nequit intellectus asserere sic. *Hoc objectum est rationale, risibile* &c. z. Si cognitio innuat terminum, effectum, vel connotatum, quod altera cognitio non innuit: ob hanc etiam rationem hæc cognitio *Animal* præscindit formalitèr prædicatum animalis à prædicato rationalis: nam cum *Animal* sit formalitèr principium sentiendi, hæc cognitio *Animal* innuit operationem sentiendi, non verò operationem discurrendi: quamobrem ex vi præcisè ejus cognitionis poterit sanè intellectus sic dicere: *Hæc entitas est principium sentiendi*; non autem poterit dicere: *Hæc entitas est principium di-*

Q

scurrer-

surrendi. Hic titulus connotandi terminos diversos non est universalis ob dicta supra.

216. 3. Si intellectus habens speciem, seu fundamentum ad hanc cognitionem *animal*, & ad hanc *rationale*, & ad hanc complexam *animal est rationale*, omittat pro libito voluntatis hanc tertiam, & eligat alterutram ex his duabus. 4. Si species, quæ intellectui imprimitur sit valde tenuis, solumque sufficiens gignendo hanc simplicem cognitionem *animal*, non verò hanc complexam. *Animal est rationale*; ut contingit in casu hominis à longè visi. Demum. Præcisio formalis omnibus eis obnoxia est divisionibus, quas patitur distinctio rationis.

217. His positis, plerique ex Nostris tenent, distinctionem rationis non posse fieri per præcisionem objectivam, sed solum fieri per formalem: eo quòd ex præcisione objectiva sequeretur verificari de animali, atque rationali à parte rei identificatis hæc duo prædicata contradictoria. Esse cognitum per hanc cognitionem *animal*. Non esse cognitum per hanc cognitionem *animal*. Exteri ferè omnes, necnon multi ex Nostris præcisionem objectivam defendunt, alii confugiendo ad latibula distinctionis virtualis, alii comminiscentes phantasmata quædam objectiva. Alii independenter ab his phantasmatibus, distinctioneque virtuali, præcisionem objectivam temperare conantur. Ut doctrinam, quam similiorem vero putamus, & qua usi sumus cap. 3. & 4. ex hac etiam quæstione producere incipiamus, expliceturque distinctio, qua major pars difficultatum philosophicarum succiditur, adverto. Vastum est discrimen inter vulgarem, communem, latum, frequentemque modum loquendi, & inter strictum, rigorosum, atque scholasticum. Innumeræ propositiones, quæ juxta communem loquendi modum veræ sunt, si ad lydiùm lapidem rigoris, atque formalitatis scholasticæ revocentur, falsitate laborabunt.

218. Quod luculentius exemplis ostenditur. 1. David sic ait. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum*, quæ sententia juxta communem loquendi modum accipientem majorem partem pro toto, ut notat D. August. & D. Hieronymus vera est. Sin verò rigore perpendatur Scholastico juxta quem non fuit dicta, falsa est; siquidem B. saltem Virgo Maria, & sanctus Filius non declinaverunt à Bono. 2. Inquit Christus. *Omnes quotquot venerunt fures sunt, & latrones*, quæ propositio, si formalitate perpendatur scholastica, juxta quam prolata

non

non fuit, falsa invenietur: quandoquidem Abraham, Moyses, Elias, & prisci illi Sancti, qui ante Christum venerunt, non fuerunt fures, & latrones. 3. *Omnes, quæ sua sunt, querunt, non quæ Jesu Christi*, scribit Apostolus, quod formalitate Scholastica acceptum, falsum putabitur: quippè Joannes, Petrus, & ceteri Apostoli, non quæ sua erant; sed quæ Jesu Christi quærebant. 4. In oratione Nehemiæ dicitur nomine Dei ad Hebræos, *Etiam si abducti fueritis ad extrema Cæli, inde congregabo vos*. Rufus David inquit. *A summo Cælo egressio ejus, & occursum ejus usque ad summum ejus*. Item Isajas. *Dominus exercituum præcepit militiæ belli, venientibus de terra procul à summitate Cæli*: quæ tres propositiones, si sumantur rigore Scholastico, falsum supponunt: cum Cælum, utpotè perfectè sphericum, neque extrema, neque summitatem habeat.

219. Idem proferto judicium de illo vaticinio Zachariæ, & Daniëlis, Imperium scilicet Christi propagandum esse usque ad terminos terræ, siquidem terra quippè quæ rotunda est, terminos non habet. 5. Hieremias ait. *Seduxisti me Domine, & seductus sum*: quæ propositio juxta laxiorem loquendi modum, juxta quem locutus est Propheta, vera est; in rigore verò scholastico blasphemiam arguitur, cum Deus summè verax, neminem possit seducere. 6. Idem Jeremias. *Repulit Dominus altare saxum, maledixit sanctificationi suæ*. Hæc sententia in rigore Scholastico, à quo est aliena, falsa quoque est, siquidem Divina sanctificatio incapax est Divinæ maledictionis. Prolixus essem, si exempla cuncta agglomerarem, quibus manifestè ostenditur, magnam esse distinctionem inter frequentem, communemque loquendi modum, & Scholasticum rigorem. Notarunt belle hoc discrimen D. Hieronym. P. Salmeron. P. Gaspar Sanch. sic agentes. *Scriptura Sacra sæpè non tam ad veritatem ipsam, quàm ad hominum opinionem sermonem accomodat*.

220. E conversò multæ propositiones, quæ in rigore Scholastico sunt veræ, juxta communem loquendi modum sunt falsæ. Nam 1. Juxta Scholasticum rigorem est verum dicere sic. *Intellectus est potentia immediatè libera. Habet pro objecto formali bonitatem. Amat, odit*. Quoniam hæc omnia verificantur de voluntate, cum qua intellectus identificatur. Et tamen omnes dictæ propositiones in communi loquendi modo sunt falsæ, & qui illas palàm affereret, irrideretur. 2. In rigore Scholastico est verum dicere, visionem esse actum voluntatis, amorem esse actum intellectus: namque potentia visiva, intellectus, & voluntas inter se identificantur: &

tamen in communi loquendi modo falsæ sunt hæc propositiones : parco aliis : ergo multæ sunt propositiones , quæ in rigore Scholastico sunt falsæ , & in communi modo loquendi sunt veræ : ergo hi duo modi accipiendi terminos , sunt valdè diversi ; quo circa ex uno immeritò arguitur ad alterum . Et ratio à priori est , quam passim experimur . Modus enim frequens , & vulgaris loquendi est valdè amplius , metaphorisque abundans ; Scholasticus verò magis strictus , severusque : ergo multùm differunt inter se . En radicem detestam multarum æquivocationum ; confunditur enim multoties unus modus loquendi cum altero .

§. II.

221. **H**oc principio stabilito , quod mihi solemne est ad explicandum , quo pacto de extremis realiter identificatis verificentur multæ propositiones , quæ primo aspectu videntur contradictoriæ , quasque prisca DD. nobis reliquerunt , negareque non possumus , nisi Scholasticum vocabularium invertere velimus , præcipuè circa possibilitatem rerum essentiam , atque existentiam ; sit conclusio . Juxta communem , frequentemque modum loquendi est possibilis , ac de facto datur præcisio objectiva inter prædicata , creata realiter identificata independenter prorsus à distinctione virtuali , phantasmatibusque , seu idolis , quæ aliqui comminiscuntur : quo circa distinctio rationis fit juxta communem modum loquendi per præcisionem objectivam . Cæterùm juxta Scholasticum rigorem , qui sub finem hujus capituli explicatur , nec datur , nec dari potest præcisio objectiva , unde distinctio rationis non fit per illum , sed per præcisionem formalem . Probo 1. partem . Dari præcisionem objectivam inter Animal , & rationale , stat in eo , quòd per hanc cognitionem *Animal* , agnoscatur prædicatum objectivum animalis , quin per hanc eandem agnoscatur prædicatum rationalis . Sed juxta communem modum loquendi , hoc est verum , etiam si nulla prorsus detur distinctio virtualis inter utrumque prædicatum .

222. Probo minorem : independenter à distinctione virtuali inter voluntatem , & intellectum est verum dicere sic juxta communem modum loquendi . *Voluntas est potentia immediatè libera . Intellectus non est potentia immediatè libera . Voluntas amat , non verò cognoscit . Intellectus cognoscit non verò amat* : ergo juxta communem modum loquendi possunt esse veræ hæc propositiones , tametsi contra-

dicto.

dictoriæ videantur , aut sint : *Prædicatum animalis cognoscitur . Prædicatum rationis non cognoscitur per eandem cognitionem* . Ratio est . Cognoscere aliquid objectum juxta communem modum loquendi : non est habere cognitionem quomodolibet terminatam ad tale objectum , sed habere cognitionem illam expressam , atque formalem , qua frequenter utimur dum agimus de illo objecto , aut saltem habere cognitionem aliam , ex qua possumus deducere hanc : alias cum juxta negantes præcisionem objectivam , hæc sola cognitio *Ens* attingat ex parte objecti omnia omninò entia , proindeque attingat omnes veritates omnium scientiarum , omniaque secreta cordis humani , Angelici , atque Divini , sequeretur fore , ut quicumque haberet hanc solam cognitionem *Ens* , diceretur juxta communem modum loquendi scire , seu cognoscere omnes veritates omnium scientiarum , omniaque secreta cordis humani , Angelici , atque Divini . Quod ridiculum est .

223. Ergo cognoscere aliquid objectum , v. g. *Rationale* juxta communem modum loquendi , non consistit in eo , quòd intellectus habeat cognitionem , quomodocumque terminatam ad entitatem rationalis ; sed in eo , quòd detur hæc expressa , atque individua cognitio *Rationale* , quæ illa est , qua frequenter utimur acturi de rationali , aut saltem alia , ex qua sola possit intellectus hanc deducere (quod si verbum *cognoscere* non videatur tibi dignum hac significatione ; utamur verbo *scire* , & habebitur quod ex duobus identificatis potest *sciri* unum , & non *sciri* alterum .) At fieri potest , ut intellectus cognoscat , attingat , seu repræsentet prædicatum animalis , quin habeat hanc expressam cognitionem *Rationale* , aut aliam , ex qua sola possit hanc deducere : ergo fieri potest , quòd intellectus agnoscat prædicatum animalis , quin juxta communem modum loquendi agnoscat prædicatum rationalis . Minor constat ex casu toties repetito . Etenim si quis viderit animal à longè (ut ajunt) quod re ipsa sit rationale , quin hoc discernat potest intellectus dicere sic : *Ille entitas est animal* ; & neque potest dicere : *Ille entitas est rationalis* , & neque habet cognitionem , seu fundamentum , ex quo possit deducere hoc secundum judicium : stet ergo , quòd juxta communes locutiones passim usitatas cognoscitur prædicatum animalis , & non cognoscitur prædicatum rationalis , & quòd juxta communem modum loquendi datur præcisio objectiva . Ecce motivum , quo adducti admisimus cap. 3. omnes illas propositiones , quæ contradictionem præferre videbantur : illæ namque omnes

juxta

juxta frequentem, vulgaremque modum loquendi sunt veræ, quod circa abs jure negantur à plerisque ex Nostri Sociis.

224. Probo 2. partem. Animal v. g. præcindi objectivè à rationali stat in eo, quod hæc cognitio *Animal* terminetur ad prædicatum objectivum animalis, quin ullo prorsus modo terminetur ad prædicatum rationalis. Sed hoc repugnat stando rigori scholastico. Probat. Hanc cognitionem *Animal* terminari aliquomodo juxta Scholasticum rigorem ad finem hujus capituli explicandum, ad prædicatum rationalis, stat in eo, quod terminetur ad illud, quod est rationale, & neque virtualiter, neque ex natura rei distinguatur à rationali: juxta rigorem namque, & proprietatem scholasticam eo ipso, quod illud, quod est rationale, & neque virtualiter, neque ex natura rei formaliter distinguitur ab illo, terminet aliquam cognitionem, seu sit objectum illius, concluditur fore, ut rationale terminet talem cognitionem; quoniam rationale, & id, quod est rationale absque ulla distinctione, solum distinguuntur vocum pluralitate. Sed prorsus repugnat, quod hæc cognitio *Animal* non terminetur ad illud, quod re ipsa est *Rationale*; & neque virtualiter, neque formaliter ex natura rei distinguitur ab illo: nam prorsus repugnat, quod non terminetur ad prædicatum animalis, ut modò suppono, quod prædicatum est re ipsa rationale, & neutrâ ex dictis distinctionibus distinguitur ab illo, ut constat ex cap. 1. ergo. Dices 1. ergo rationale cognosci juxta Scholasticum rigorem stat in eo, quod cognoscatur illud, quod est rationale: ergo similiter Paternitatem communicari Filio in rigore Scholastico, stat in eo, quod communicetur Filio illud, quod est Paternitas. Sed re ipsa, communicatur Filio id, quod est Paternitas: nam ei communicatur Divina Essentia, quæ Paternitas est: ergo in rigore Scholastico Paternitas communicatur Filio. Jam præoccupata est hæc instantia. Etenim non diximus rationale cognosci juxta Scholasticum rigorem stare præcisè in eo, quod cognoscatur id, quod est rationale; sed id quod ita est rationale, ut neque virtualiter, neque ex natura rei formaliter distinguatur ab illo; cumque etiam si communicetur Filio id, quod est Paternitas, nempe Divina Essentia, nihilominus hæc distinguatur virtualiter à Paternitate; idcirco Paternitas non communicatur Filio adhuc in rigore Scholastico.

225. Dices 2. ex P. I. 29. supposito prius, quod intellectus non cognoscit animal, & rationale in se ipsis, sed in substitutis phantasmatis. Intellectum agnoscere prædicatum animalis, stat in eo, quod

quod agnoscat phantasma, sive esse objectivum animalis. Intellectum non agnoscere rationale, stat in eo, quod non agnoscat phantasma rationalis: sed fieri potest, quod intellectus agnoscat unum phantasma, & non aliud, cum sint phantasmata realiter distincta. Ergo fieri potest, &c. Permissa majore, distinguo minorem: fieri potest in rigore scholastico, quod intellectus agnoscat unum phantasma, & non aliud; nego: in vulgari communique modo loquendi, concedo minorem. In rigore scholastico prorsus repugnat intellectum agnoscere esse objectivum, sive phantasma animalis, quin cognoscat esse objectivum, seu phantasma rationalis. Nam cum animal ita penitissimè identificetur cum rationali, ut nec virtualiter, nec formaliter ex natura rei distinguatur ab illo, quidquid fuerit phantasma animalis est in rigore scholastico phantasma rationalis; proindeque implicat cognosci phantasma animalis, quin in scholastico rigore cognoscatur phantasma rationalis. Sicut implicat intellectum, & voluntatem esse prorsus idem, quin juxta scholasticum rigorem sit actus, operatioque unius quidquid fuerit actus, sive operatio alterius. Cæterum si communi modo loquendi stare velimus, non quidquid est phantasma animalis, est phantasma rationalis; nam juxta communem modum loquendi, solum est phantasma rationalis, quod deservit huic expressæ cognitioni *Rationale*. Et non quidquid est phantasma animalis deservit huic expressæ cognitioni.

226. Dices 3. Quando quis videt à longè animal moveri (quod ponamus esse hominem) agnoscit esse, seu prædicatum animalis, siquidem videt motum progressivum, qui proprius est animalium præcisè; sed non cognoscit esse, seu prædicatum rationalis, siquidem dicere non potest illa entitas est rationalis. Ergo ille præcindit objectivè animal à rationali. Distinguo majorem. Non cognoscit prædicatum rationalis attento communi modo loquendi; concedo ob tuam rationem: attento scholastico rigore; nego: quippè agnoscit illud (nempe animal) quod ita est rationale, ut nec virtualiter, nec ex natura rei distinguatur ab illo. Sed hoc est, cognoscere rationale attento scholastico rigore. Ergo. Jam notaveris *AA* tuentes objectivas præcisiones sequi amplum, communemque loquendi modum: è converso autem *AA* tuentes præcisiones solum formales adherere stricto, rigorosoque; nos verò juxta unam locutionem assentimur unis, & juxta alteram alteris.

227. Obiic. contra hanc 2. partem. Potentia visiva percipit in pomo

pomo colorem, & non percipit bonitatem coloris, quippe hæc consistit in convenientia coloris ad appetitum. Sed color, & ejus bonitas inter se identificantur. Ergo, ex duobus identificatis potest percipere unum potentia visiva, & non alterum. Ergo multo melius potentia intellectiva. Confirmatur. I. Quemadmodum animal, & rationale inter se identificantur, ita etiam Unitas Dei, & Trinitas Personarum. Et nihilominus intellectus per cognitionem purè naturalem cognoscit Unitatem, & non Trinitatem. Ergo quamquam animal, & rationale identificentur, inter se poterit intellectus simpliciter cognoscere animal, quin ullatenus cognoscat rationale. 2. Paternitas, & Essentia Divina inter se identificantur. Et tamen cognitio nostra præscindit objectivè inter illa: siquidem hoc iudicium. *Essentia communicatur Filio*, affirmat communicationem de essentia, scilicet de paternitate. Ergo. 3. Intellectus potest objectivè præscindere illa, quæ objectivè distinguuntur. Sed quamvis bonitas, & veritas transcendentalis cujusvis entis reciprocè identificentur, nihilominus objectivè distinguuntur, eo quod specificent, (ait M. Lynce) distinctas potentias, intellectum scilicet, atque voluntatem. Ergo intellectus potest objectivè præscindere bonitatem à veritate. 4. Ea quæ semper conjunguntur in aliquo ente possunt per cognitionem separari inter se: sic quamvis color, & sapor semper conjungantur in pomo; objectivè separantur per cognitionem, cum videamus colorem, & non saporem, Ergo.

228. Ad objectionem distinguo majorem. Non percipit bonitatem coloris stando rigori scholastico, nego (potentia namque visiva percipit illud, quod citra omnem distinctionem virtualem est coloris bonitas, in quo stat, quod percipiat in rigore scholastico bonitatem coloris) non percipit juxta communem modum loquendi bonitatem coloris, permitto, & concessa minore distinguo consequens eisdem terminis. Ad 1. Confirmationem. Nego majorem, nam animal, & rationale ita identificantur inter se, ut neutiquam distinguantur virtualiter ad invicem; attamen Unitas Dei, & Trinitas personarum, ita identificantur inter se, ut admittat etiam distinctionem virtualem, ut supra diximus. Ergo quamvis intellectus possit cognoscere unitatem Dei, quin adhuc in rigore scholastico agnoscat Trinitatem, non infertur intellectum posse cognoscere prædicatum animalis, quin adhuc in rigore scholastico agnoscat prædicatum rationalis. Ad 2. distinguo majorem. Paternitas, & Essentia sunt idem realiter, & virtualiter; nego: realiter præcisè, concedo,

concedo, & concessa minore; nego: vel distinguo consequens. Non negamus intellectum posse præscindere objectivè inter duo realiter identificata, virtualiter tamen distincta; sed inter duo realiter, & virtualiter identificata, qualia sunt animal, & rationale.

229. Quod si dixeris, fore ut de cognitione sic objectivè præscindente inter Paternitatem; v. g. & essentiam verificentur duo contradictoria, nempe terminari affirmativè ad Essentiam, & non terminari affirmativè ad Paternitatem, ed quod non terminetur affirmativè ad Paternitatem, quæ realiter est Essentia. Respondeo negando assumptum. Ad probationem dico, quod licet Paternitas sit idem realiter cum essentia; nihilominus distinguitur virtualiter ab eadem, quapropter cognitionem non terminari affirmativè ad Paternitatem non est, non terminari affirmativè ad Essentiam, unde non sequitur verificari duo contradictoria de ipsa cognitione, sed de Paternitate, atque Essentiam, Ad 3. nego minorem, cujus probationem videre poterat inefficacem M. Lynce in nostris principiis docentibus intellectum, & voluntatem non esse potentias distinctas, quamobrem nego minoris probationem. Ad 4. Distinguo majorem. Eaque semper conjunguntur per solam connexionem in aliquo ente possunt separari per cognitionem, concedo. Sed hoc non venit ad rem. Ea quæ semper conjunguntur per identitatem, sub distinguo, possunt separari stando vulgari modo loquendi, concedo; stando rigori scholastico; nego: & permissa minore; nego consequentiam.


230. Cætera verò argumenta desumpta ex reduplicationibus; v. g. *Intellectus asseritur Deo quia veraci, non quia bono*, & alia id generis, quibus uti solent Patroni præcisionis objectivæ, dissolvuntur dicendo, omnes istas reduplicationes innuere sensum formalem, seu cognitiones reflexas ad invicem distinctas realiter, proindeque non probari præcisionem objectivam inter extrema realiter identificata: v. g. Nupera propositio reddit hunc sensum. *Quod movet intellectum, ut assentiatur Deo loquenti non est hæc cognitio Deus est Bonus; sed hæc Deus est Verax, hoc est, non est totus Deus sic cognitus Bonus; sed totus Deus sic cognitus Verax; non hæc autem inadæquationes cognitionum applicantur objectis per figuratam locutionem, ut moris est. Quod si obiicias contra primam partem hujus conclusionis etiam esse duo contradictoria hæc. *Cognosci juxta communem modum loquendi. Non cognosci juxta communem modum loquendi. Quæ concedimus verificari de animali, &**

rationali: Respondeo juxta doctrinam sæpè inculcatum, ista non esse contradictoria, quoniam referuntur ad distinctas cognitiones, ut constat ex supradictis.

231. Demùm si dixeris fore, ut qui habet hanc cognitionem *Ens* cognoscat, ac sciat *in rigore scholastico* veritates omnes omnium scientiarum omniaque secreta cordium, ut nos argumentabamur supra. Concedam de rigore scholastico stante in eo, quod objectum tactum per illam cognitionem *Ens* sint omnia ista. Negabo autem de rigore scholastico stante in eo, quod de omnibus istis rationem reddere possit modo usuali reddendi rationes. Et idem dico de rigore scholastico, quo cognoscit *Rationale*, ille, qui cognoscit *Animal*.

CAPUT NONUM.

De transcendentia formali.

232. æc vox *Transcendentia*, idem significat, quod identitas: quare transcendentia realis est identitas realis, & transcendentia formalis est identitas formalis, non quidem rei transcendentis, cum transcensa, sed è conversò rei transcensæ, cum transcendente. Hinc dum sciscitatur, an *Ens* v. g. transcendat formalitèr differentias? non sciscitatur, an *Ens* identificentur cum *Ente*. Quod discrimen maximè advertendum est præ resolutione præsentis quæstionis, illa quippè nititur in eo, quod etiam si omnis identitas realis sit mutua, non tamen omnis identitas formalis, ut supra manet probatum contra P. Izque.

233. Noto 2. Prædicata superiora respectu hinnibilis; v. g. nuncupari illa, quæ hinnibili conveniunt, & pluribus aliis; inferiora verò vocari illa, quæ non conveniunt omnibus quibus hinnibile convenit. Sic prædicatum animalis vocatur superioris respectu hinnibilis, & *Bucephalus inferior*, quia animal convenit omnibus quibus convenit hinnibile, & pluribus aliis; *Bucephalus* autem non convenit omnibus quibus hinnibile competit. Hæc denominatio superioritatis, & inferioritatis cadere potest tum in prædicata generica, tum in specifica, tum in differentialia, ut exemplis cuique obviis constans est. Noto 3. Prædicata superiora exercite facta, sive Universalia, idest cognita per cognitionem præscindentem illa

ab

ab inferioribus bifariam posse sumi, scilicet primò intentionaliter, seu directè. Item secundò intentionaliter, seu reflexè. Sumuntur primò intentionaliter quando agimus de illis exercitè factis universalibus secundum ea, quibus à parte rei funguntur, v. g. quando dicimus hominem esse animal rationale, esse vivens per quas cognitiones fit exercitè universalis *Homo*. *Rationale* &c. Sumuntur secundo intentionaliter, quando argumentamur super illis secundum ea, quæ habent dependentèr constitutivè à nostris cognitionibus, quæ secundæ intentiones dici solent, v. g. quando inquamus, hominem esse speciem, rationale esse differentiam, animal esse genus, *Hominem* namque esse speciem constituitur juxta disp. 2. per hanc cognitionem *Homo* formalitèr negativè præscindentem naturam ab inferioribus solum individualitèr distinctis, ob postea dicenda quando agemus de forma constitutiva universalis. Ubi ut vides sumi, primò intentionaliter non excludit secundam intentionem, per quam subjectum, aut prædicatum fiant universalia; sed per quam affirmatur de subjecto quid universalitatis proprium.

234. Rursus hæc prædicata sumpta secundo intentionaliter dupliciter possunt accipi. 1. *Specificativè*, ac secundum rectum præcisè. 2. *Reduplicativè*, ac secundum rectum, & obliquum. Est dicere. Quemadmodum *Album* duo dicit, scilicet subjectum, & albedinem, atque dum disceptamus de albo possumus loqui modò de solo subjecto, ità ut affirmationum, ac negationum prædicatum unicè cadat supra subjectum solum (ut dum dicimus. Hoc album est Animal rationale) modo de complexo ex subjecto, & albedine, ità ut affirmationum, atque negationum prædicatum cadat supra subjectum, & albedinem ut quando dicimus. *Hoc album existit*.

235. Ita licet animal, v. g. Constituatur in esse generis per hanc simplicem cognitionem *Animal*, dum disputamus de illo, ut constituti in esse generis, possumus ità loqui de illo, ut prædicatum affirmationis, vel negationis illi soli; non verò cognitioni applicetur, v. g. quando dicimus *Animal est prædicabile de homine, & bruto*: siquidem hoc quod est esse prædicabile de utroque, non cognitioni, sed prædicato ipsi objectivo animalis competit, & tunc animal acceptum secundo intentionaliter, dicitur sumi specificativè, ac secundum rectum præcisè: non quia prorsùs excludatur cognitio (si enim excluderetur, non daretur animal sumptum secundo intentionaliter) sed quia prædicatum, de quo tunc agimus, neutiquam convenit cognitioni. Præterea possumus loqui de complexo ex

R 2

ani-

animali, & cognitione, ita ut affirmationum, atque negationum prædicatum cadat, non supra animal præcisè, sed supra complexum ex animali, & cognitione, v. g. dum dicimus. *Genus animal est possibile*, & tunc animal sumptum secundo intentionaliter dicitur accipi reduplicativè, atque secundum rectum, & obliquum.

236. His positis dico 1. prædicata inferiora, v. g. individua, species, atque differentie non transcendunt formaliter superiora, sive primò, sive secundo intentionaliter utraque sumantur. Probatur. Et claritatis gratia loquamur de hac specie *Homo* collata cum hoc genere *Animal*. Hominem transcendere formaliter animal, staret in eo, quòd animal identificaretur formaliter cum homine juxta explicationem nuperrimam transcendentie formalis. Sed animal, sive primò, sive secundo intentionaliter sumatur, non identificatur formaliter cum homine, sive primò, sive secundo intentionaliter sumpto. Probatur. Animal sumptum primò intentionaliter est. *Vivens sensibile*; sumptum autem secundo intentionaliter est; *Prædicabile de multis tanquam pars materialis essentia metaphysica ipsorum* (hæc namque est definitio animalis in quantum generis) sed neuter ex his duobus conceptibus identificatur formaliter cum homine, sive primò, sive secundo intentionaliter sumpto. Probatur. Homo primo intentionaliter sumptus est hic conceptus objectivus *Animal rationale*. Rursus sumptus secundo intentionaliter est hic conceptus. *Prædicabile de multis tanquam tota essentia metaphysica ipsorum* (hæc namque est definitio hominis in quantum speciei) sed neuter ex illis duobus conceptibus identificatur formaliter cum alterutro ex his duobus: siquidem neuter ex illis prioribus definitur per alterutrum ex his posterioribus (in quo staret identitas formalis metaphysica) item neutra ex illis duabus cognitionibus talis est, ut ex vi ipsius præcisè, valeat intellectus afferere alterutrum ex his posterioribus (in quo staret identitas formalis logica) ut illos combinanti patebit: ergo.

237. Dico 2. Prædicata superiora sumpta primo intentionaliter transcendunt formaliter prædicata inferiora sumpta quoque primo intentionaliter, & hoc quidem, intelligendo etiam ipsas differentias. Sin verò, vel utraque, nempe tam prædicata superiora, quàm inferiora accipiuntur secundo intentionaliter, vel una accipiuntur primò intentionaliter, & altera secundo intentionaliter, non datur talis transcendentia. Quo circa in hoc puncto transcendentie non datur inter species, & differentias illud discrimen, quod

mut.

multi Docti RR. meditantur. Nam vel sermo est de speciebus, & differentiis sumptis primò intentionaliter, & sic utraque transcendunt formaliter à generibus superioribus, ut jam probo, vel de illis sumptis secundo intentionaliter, & sic neutra transcendunt, vel de speciebus sumptis primò intentionaliter, & de differentiis sumptis secundo intentionaliter, & sic verum est quod species transcenduntur à generibus, secus differentie. At discrimen hoc invenitur etiam inter speciem, & ipsam speciem: quippe species sumpta primò intentionaliter transcenditur à genere, secus si accipiatur secundo intentionaliter.

238. Probo 1. partem. Genus *Animal*, & differentia *sensibilis* sunt prædicata superiora respectu hominis, & Petri. Sed illa transcendunt formaliter hæc, si utraque sumantur primò intentionaliter. Probatur. Petrus sumptus primò intentionaliter est formalissimè homo (nam species est tota essentia metaphysica individuorum) item homo sumptus primò intentionaliter est formalissimè animal: ulterius animal sumptum primò intentionaliter est formalissimè sensibile: ergo, Petrus qui est individuum, & homo qui est species si sumatur primò intentionaliter, identificantur formaliter cum genere, & differentia superiore, si hæc etiam sumantur primò intentionaliter. Probo jam ipsas differentias sumptas primò intentionaliter transcendendi formaliter per genera. Rationale est differentia inferior, & vivens est genus superius: sed rationale sumptum primò intentionaliter, est formaliter vivens, proindeque transcenditur formaliter à vivente: ergo differentia inferior sumpta primo intentionaliter transcenditur formaliter per genus superius.

239. Probo minorem. Quidquid est formaliter principium discursus est formaliter vivens (nam cum discursus sit formaliter operatio vitalis, eo quòd sit formaliter motus intellectus ab uno, vel unis judiciis ad aliud, quidquid fuerit formaliter principium discursus, erit formaliter principium operationis formaliter vitalis, & consequenter erit formaliter vivens, seu principium vitale) sed rationale sumptum primò intentionaliter est formaliter principium discursus: sic namque definitur: ergo. Neque *AA* contrarii re ipsa adversantur nobis: manifestè enim videntur loqui, quando negant, genera superiora transcendere formaliter differentias inferiores, de his sumptis secundo intentionaliter. Omnes namque rationes, quibus moventur, sumuntur ex differentiis sic sumptis. Consulto differentiam *rationale* non contuli cum genere *Animal*, sed

sed

S. Greg.
Hom. 10.
in Evang.

sed cum genere *vivens*: Quippè cum rationale sumptum primò intentionaliter complectatur quoque Angelos, ad quos non extenditur Animal (cum reverentia tamen D. Gregorii in hom. quam legit Ecclesia in Epiphania;) id circò falsò diceretur, rationale esse formaliter animal.

240. Probo 2. partem conclusionis, quæ dumtaxat ob terminorum combinationem difficilis est. Species hominis sumpta primò intentionaliter est hic conceptus objectivus *Animal rationale*. Eadem species sumpta secundò intentionaliter est hic conceptus. *Prædicabile de multis tanquam tota essentia metaphysica ipsorum*. Ulteriùs rationale sumptum primò intentionaliter est hic conceptus. Principium discursus. Eadem differentia rationale sumpta secundò intentionaliter, est, *Prædicabile de multis tanquam pars formalis essentia metaphysica ipsorum*. Item genus Animal, v. g. sumptum primò intentionaliter est. *Vivens sensibile*. Et idem sumptum secundò intentionaliter est *Prædicabile de multis tanquam pars materialis essentia metaphysica ipsorum*. Sed nullus ex illis primis conceptibus transcenditur formaliter ab his secundis servata proportione, quam tradit ipsa conclusio, ut perpendiculari patebit: ergo si utraque prædicata, inferiora scilicet, & superiora sumantur secundo intentionaliter, vel altera sumantur primò, & altera secundo intentionaliter non datur transcendentia.

§. II.

241. **O**bjicies rationem à priori, qua P. Herrera suadet differentias, ut tales, hoc est, secundo intentionaliter sumptas, transcendendi formaliter à generibus. Rationale quatenus talis animalis dicit in suo conceptu esse rationale constituens intrinsecè, atque identicè animal in esse *talis animalis*, scilicet *rationalis* distincti ab irrationali. Sed eo ipso rationale ex suo conceptu differentiali, sed quatenus talitas animalis, apparet identificatum cum animali: ergo. Rationale ex suo conceptu differentiali est formaliter animal. Majorem dicit certam, quippè esse formaliter differentiam essentialem, est formalissimè constituere rem essentialiter talem, id est constituere per identitatem rem aliquam in esse talis. Rursus minorem vocat certam. Namque apparere *A*, ut constituentem; vel ut tribuentem aliquem effectum per identitatem sui ipsius cum *B* est apparere, ut identificatum cum *B*. Distinguo

quo majorem. Rationale quatenus talitas animalis dicit in suo conceptu esse rationem constituentem intrinsecè, atque identicè animal in esse talis animalis *per identitatem sui cum animali*, nego majorem (de hoc est quæstio, & hoc sibi probandum est) per identitatem, & quidem inadæquatam sui cum hoc concreto *tale animal*, concedo. Et in hoc ultimo sensu, nego minorem: quoniam hoc, terminis bene perpensis, solum probat, rationale quatenus differentiam apparere identificatum cum talitate animalis, non cum ipso animali.

242. Ad probationem majoris respondeo similiter. Esse differentiam essentialem, est formalissimè constituere intrinsecè, atque identicè *rem talem* non per apparentiam identitatis sui cum altera comparte; sed per apparentiam identitatis sui, & quidem inadæquatæ cum tali re constituta. Explicatur. Albedo, v. g. eo quòd contrahat auferatque in differentiam realem quam habet paries, ut sit, vel non sit albus, intrinsecè, atque essentialiter constituit parietem in esse albi; non quia realiter identificetur cum pariete, sed quia realiter inadæquatè identificatur cum hoc complexo, *Paries albus*: quo circa illa syncategoremata *intrinsecè essentialiter*, non innunt identitatem realem albedinis cum pariete; sed tantum cum complexo rezultante ex pariete, & albedine.

243. Similiter impresentiarum. Rationale quatenus differentia, seu quatenus talitas animalis, apparet sanè constituens intrinsecè, atque essentialiter animal in esse talis animalis, aut non per identitatem sui cum animali (conceptus enim differentialis ab hac identitate præscindit, ut constat ex Superioribus,) sed per identitatem inadæquatam sui cum hoc complexo. *Tale Animal*, seu, *Animal rationale*. Neque inferas fore, ut differentia *rationale* formaliter transcendatur ab hoc conceptu specifico *Animal rationale*: quoniam, ut jam advertimus, rationale quatenus differentia, seu sub conceptu differentiali non apparet identificatum adæquatè cum prædicto conceptu, sed tantum inadæquatè, nempe cum parte dicti complexi, quæ sanè pars nil aliud est quam ipsum rationale.

244. Multa ex argumentis contrarijs, quippè non distinguunt inter prædicata superiora, & inferiora sumpta primo intentionaliter, & eadem sumpta secundo intentionaliter, ut nos distinguimus, nobis non nocent unam tamen; vel alterum perstringemus. Objc. 2. Rationale est differentia inferior. Sensibile est differentia Superior. Sed rationale est formaliter sensibile. Probatur: Tum hoc

hoc syllogismo in Darapti. Omnis homo est formalitèr sensibilis. Omnis homo est formalitèr rationalis, Ergò aliquod rationale est formalitèr sensibile. Tum hoc syllogismo in Darij. Omnis homo est formalitèr sensibilis. Sed aliquod rationale est formalitèr homo. Nego majorem objectionis, cujus utraque probatio fallax est, eo quod ab identitate formali duorum, cum aliquo tertio arguat identitatem formalem eorumdem inter se, quem arguendi modum supra refellimus cap. 5. num. Præterea istius speciei syllogismos eodem cap. sigillatim discusimus.

245. Respondeo nunc idem. Major istius syllogismi, quem dicit in Darapti, reddit hunc sensum. Omnis cognitio hujus tendentiæ homo habet sufficientem claritatem ad proferendum hoc judicium. *Homo est sensibilis*. Similitèr minor reddit hunc. Omnis cognitio hujus tendentiæ homo habet per se sufficientem claritatem ad proferendum hoc judicium, *Homo est rationalis* (cujus uniusque rationem dedimus cap. citato.) Præterea consequens reddit huic sensum. Aliqua cognitio sic præcisè tendens rationale habet per se sufficientem claritatem ad hoc judicium. *Rationale est sensibile*. Sunt enim cognitiones reflexæ quotquot, enunciant identitatem, vel distinctionem formalem. At qui ex veritate illorum duorum non sequitur veritas hujus Tertij siquidem intercedunt cognitiones, claritates, & judicia muruo distincta. Ergo iste modus arguendi fallax est. Ad syllogismum, qui dicitur in Darij; nego minorem. Nam licet homo, sit formalitèr homo, & sit formalitèr rationalis, non est verum aliquod rationale esse formalitèr hominem, quoniam propositio id affirmans, supponit determinatè pro hac simplici cognitione rationale. Sed quamquam ex vi præcisè hujus cognitionis, homo possumus dicere sic. *Homo est rationalis*, nihilominus ex vi præcisè hujus cognitionis rationale non possumus dicere sic. Rationale est homo. Ergo quamquam verum sit, quod homo est formalitèr homo, & est formalitèr rationalis, attamen verum non est, quod aliquod rationale sit formalitèr homo.

246. Objc. 3. Petreitas, ut differentia, est formalitèr, id quo Petrus distinguitur à Paulo, sed id, quo Petrus distinguitur à Paulo est ipse Petrus. Ergo Petreitas, ut differentia est formalitèr ipse Petrus. Sed Petrus est formalitèr homo, animal, rationalis, &c. Ergò Petreitas, ut differentia est formalitèr homo, animal, &c. Ergo ut differentia transcenditur formalitèr à prædicatis superioribus. Confirmatur I. Petreitas formalitèr, ut differentia, est tali-

tas,

tas, qua homo contrahitur ad Petrum. Ergo homo ingreditur in recto definitionem Petreitas. Ergo illam transcendit formalitèr. II. Petreitas sub hac expressione est formalitèr vera differentia Petri, distinctaque à differentia chymica. Sed ut vera differentia Petri, distinctaque à chymica, identificatur cum Petro: eo quod omnis vera differentia identificetur cum subjecto, cujus est differentia. Ergo Petreitas sub hac expressione, & formalitèr, ut differentia, identificatur cum Petro. Ergo Petreitas formalitèr, ut differentia, est formalitèr Petrus. Ergo est formalitèr animal &c.

247. Ad objectionem distingo majorem. Petreitas ut differentia primò intentionaliter sumpta (hoc est, secundum ea, quæ illi conveniunt à parte rei) est formalitèr id, quo Petrus distinguitur à Paulo; concedo majorem: secundò intentionaliter sumpta; nego: namque hoc modo sumpta dumtaxat est *talitas contractiva hominis ad Petrum*, & certè de hac sola secunda intentione loquimur, quando dicimus differentiam secundò intentionaliter sumptam non transcendendi à prædicatis superioribus. Et permissa minore distingo consequens eisdem terminis. Igitur vel loqueris de differentia, ut tali, expressa per hunc conceptum *Talitas contractiva hominis ad Petrum*: vel de differentia, ut tali, expressa per alios conceptus? Si hoc secundum; transeat, differentiam, ut differentiam transcendendi formalitèr à prædicatis superioribus. Sed hoc non venit ad rem: quoniam in præsentem solum loquimur de differentia, ut differentia expressa per id generis conceptum: *Talitas contractiva hominis ad Petrum*; v. g. vel per hunc *Prædicabile de multis tanquam pars formalis*: cumque ambo hi conceptus per se præcisè, ac independentèr ab aliis notitiis non præbeant intellectui lucem sufficientem ad proferendum hoc judicium. *Petreitas est Petrus est Perseitas homo &c.* idè differentia, ut differentia, & prout impræsentiarum accipitur, quidquid sit de aliis acceptionibus, non transcenditur formalitèr à prædicatis superioribus.

248. Ubi prò refecanda æquivocatione tum hinc, tum alibi; sedulo notandum est. Aliud esse, quòd consequens aliquod sit evidens, vel ex terminis, vel ex vi aliorum principiorum: & aliud esse, quòd sit evidens ex vi certi cujusdam, aut determinati antecedentis. Potest contingere primum, absque secundo: sic evidens est, Solem lucere nunc; at non est evidens ex hoc solo antecedenti, *Joannes dicit, Solem lucere nunc*. Idem in præsentem. Evidens est, Petreitatem identificari cum Petro, cum homi-

S

ne,

ne, cum animali &c. Cæterùm hoc non est evidens ex vi hujus solius antecedentis, *Petreitas est talitas contractiva hominis ad Petrum*: quia is conceptus, ut talis præcisè, abstrahit ab eo, quòd *Petreitas* sit talitas contractiva hominis ratione identitatis sui cum homine, aut ratione unionis cum homine (modo, quo albedo ratione unionis sui cum subiecto contrahit indifferentiam subiecti ad esse album.) Vel ratione terminationis ad hominem (modo, quo cognitio ratione terminationis sui ad objectum contrahit, seu determinat indifferentiam hujus ad esse cognitum,) & hanc ob causam dicimus, differentiam formalitèr ut talem, non trascendi formalitèr à prædicatis superioribus.


239. Ad 1. Confirmationem distingo primum consequens. Homo ingreditur in recto definitionem philosophicè; nego: (nam ingredi philosophicè staret in eo, quòd de *Petreitate* affirmetur; in ea autem definitione non affirmatur homo de *Petreitate*) ingreditur in recto grammaticalitèr; concedo: nam ingreditur in nominativo; nego verò secundam consequentiam. Ad 2. permessa majore, distingo minorem, ut vera differentia *Petri* primò intentionalitèr sumpta, identificatur cum *Petro*; concedo minorem: nam, hoc, quod est identificari cum *Petro* convenit ei à parterei. Ut vera differentia *Petri*, secundo intentionalitèr sumpta; nego: quoniam secunda intentio, de qua modò agimus, quamque non semel explicuimus, præscindit ab eo, quod *Petreitas* identificetur, vel non identificetur cum *Petro*. Et eisdem terminis explicentur cæte-

ra. Demùm altèr insideat menti, multa ex argumentis contrariis confundere differentias, primò intentionalitèr, & secundo intentionalitèr sumptas: nec non illas præterire secundam intentionem, de qua modò: distingue inter utramque acceptiorem, & explica eam determinatam secundam intentionem, de qua in præsentia, ac objectionibus satisfacies.



CAPUT DECIMUM.

Utrum Ens transcendat formalitèr logicè Differentias.

250.  Espondeo affirmativè cum Exim. D. & plerisq; antiquorum: & hoc quidem, sive indifferentiæ sumantur primò, sive secundo intentionalitèr; hæc namq; discretio locum non habet, quando de Ente reali instituitur disputatio. Loquamur de *Perfeitæ*, quæ est differentia substantiæ. *Perfeitæ* est formalitèr possibilis. Ergò est formalitèr Ens reale, quia possibile, & Ens reale sunt termini synonymi. Ergo *Perfeitæ* trascenditur formalitèr ab Ente. Probat antecedens. *Perfeitatem* esse formalitèr possibilem in sensu logico, de quo impræsentiarum, stat in eo, quòd hæc expressio, *Perfeitæ*, talis sit, ut ex vi præcisè ipsius possit intellectus proferre hoc iudicium, *Perfeitæ est possibilis*. Sed hoc contingit. Probatur. Omnis expressio clarè repræsentans prædicata *Perfeitatis*, adhuc secundo intentionalitèr sumptæ, & nullam proponens in ipsis prædicatis contradictionem, imò summam convenientiam inter ipsa, est expressio, vi cuius præcisè potest intellectus proferre dictum iudicium. Sed hæc cognitio, *Perfeitæ*, in primis clarè proponit prædicata metaphysica *Perfeitatis*; scilicet esse talitatem contractivam, Entis ad substantiam; deindè nullam proponit contradictionem in his prædicatis: alioquin cum talis contradictio re ipsa non detur, ea cognitio falsa foret, seu potiùs simplicitèr dissona suo objecto. Præterea proponit summam convenientiam inter hæc prædicata: quandoquidè proponit illa identificata cum ipsa *Perfeitæ*. Ergo.

251. Major probatur. Tum quia unica ratio à priori, ob quam homo, v.g. est formalitèr in sensu logico possibilis, seu Ens reale, est, quia hæc cognitio *homo* repræsentat prædicata metaphysica hominis, & non proponit in ipsis ullam contradictionem, sed potiùs summam convenientiam, eò quod proponat illa, ut identificata cum homine: ex quo bene arguitur hanc expressionem *Homo* esse talem, ut ex vi ipsius præcisè possimus proferre hoc iudicium, *Homo est possibilis*. Ergo similiter de omni expressione simili. Omnis quippe tergiversatio circa quamcumque aliam expressionem erit tergiversatio

versatio circa hanc, *Homo*. Tum quia rem aliquam esse realiter possibilem, nihil aliud est, quam habere prædicata, & non habere, inter ipsa ullam contradictionem à parte rei. Ergo rem aliquam esse formaliter, logicè, atque apparenter possibilem, nil aliud esse potest, quam rem illam apparere per cognitionem, ut habentem ullam contradictionem in ipsis. Ergo omnis expressio &c.

252. Respondebis 1. Rationem adductam solam probare, quod ex vi præcisè hujus conceptus *Perseitas* non possit intellectus dicere, illam esse impossibilem; siquidem ex vi præfati conceptus nullam detegit contradictionem inter prædicata *Perseitatis*. Cæterum non probatur, quod ex vi prædicti conceptus possit intellectus asserere, *Perseitatem* esse possibilem. Contra 1. Idem eadem licentiâ dici poterat de hoc conceptu *Homo*, *Substantia*, & similibus. Quoniam vel dicis, Intellectum posse dubitare prudenter, lateat, nec ne contradictio; vel posse dubitare imprudenter? Primum est falsum, quia nullum apparet fundamentum ad dubitandum prudenter, *Perseitatem* esse possibilem. Secundum non obstat; nam etiam de substantia potest dubitari imprudenter. Undè sequeretur illam non esse formaliter possibilem. Conceptus formalis possibilitatis non tam est affirmativus, quam negativus, quoniam possibile formaliter, ut tale est illud, quod, si existeret, non implicaret contradictionem. Ergo eo ipso, quod intellectus videat prædicata cujuscumque rei, & non videat contradictionem in illis, sed potius summam convenientiam, potest asserere, rem illam esse possibilem. At per hunc conceptum *Perseitas* etiam, ut differentia, videt intellectus prædicata metaphysica *Perseitatis*, & nullam videt in ipsis contradictionem. Ergo. Contra 2. Ex vi hujus conceptus, *Perseitas*, ut differentia, non tantum non videt intellectus ullam contradictionem in prædicatis *Perseitatis*; sed ulterius videt inter ipsa summam, & totalem convenientiam: quoniam videt, hoc est, agnoscit talia prædicata, ut identificata cum ipsa *Perseitate*, proindeque, ut identificata inter se: quemadmodum ex vi hujus cognitionis *Substantia* non tantum non videt intellectus ullam contradictionem in prædicatis substantiæ; sed preterea videt in ipsis summam convenientiam. Ergo sicut ex vi hujus dictæ cognitionis non modò potest intellectus dicere, substantiam non esse impossibilem; verum etiam potest dicere, substantiam esse possibilem; ita ex vi hujus cognitionis *Perseitas*, ut differentia, non solum possumus dicere, *Perseitatem* non esse impossibilem, sed etiam possumus asserere, *Perseitatem* esse possibilem.

253. Re-

253. Respondebis 2. Medium à nobis assumptum esse insufficientis: quippe hæc expressio, *cognoscibile*, etiam proponit prædicata metaphysica cognoscibilitatis, quin ullam proponat in eis contradictionem. Et tamen ex vi præcisè hujus expressionis, *cognoscibile*, nequit intellectus absolute affirmare, *cognoscibile esse possibile*, cum multa cognoscibilia sint chymærica, v.g. mendacium Dei &c. ergo. Contra 1. Hæc responsio falsum supponit, & nobis non officit, quia censemus omne cognoscibile, seu objectum omnis omnino cognitionis tum creatæ, tum increatæ esse subjective in se ipso possibile, de quo fuse egimus in Prodro-mo disp. de Impossibili. 2. Aliud est loqui de conceptu, seu expressione proponente prædicata metaphysica plurimum universalia, seu *remota*, alicujus conceptus: & aliud loqui de expressione proponente prædicata metaphysica *formalia*, atque *immediata* alicujus conceptus. Quod expressio non representet contradictionem in prædicatis metaphysicis *valde universalibus*, & *remotis* alicujus objecti, non sufficit ad hoc, ut ex vi illius expressionis possit intellectus asserere, illud objectum esse possibile: nam fieri potest, ut illa prædicata valde universalia, & remota si conjungantur cum prædicatis metaphysicis proximioribus, sint chymærica.

254. Cæterum si expressio proposuerit prædicata metaphysica, *proxima*, atque *immediata*, & in eis nullam proposuerit contradictionem, sufficiens est ad hoc, ut intellectus ex vi præcisè talis expressionis dicere possit, tale objectum esse possibile (alioqui substantia, v. g. ut talis, non erit formaliter possibilis. Idem de quovis alio: essetque quæstio de subiecto non supponente, quærere, an sit, vel non sit formaliter possibile!) Jam ad rem præsentem. Hæc expressio *cognoscibile* proponit prædicata metaphysica valde remota, & universalia rerum cognoscibilium; quandoquidem conceptus formalis, atque metaphysicus *cognoscibilis*, quod sit possibile, & *cognoscibilis*, quod sit impossibile, non stat in eo, quod habeat capacitatem terminandi cognitionem; sed in aliis prædicatis inferioribus respectu hujus capacitatis. Quid ergo mirum, quod ex vi præcisè hujus expressionis *cognoscibile*, nequeat intellectus asserere, omne cognoscibile esse possibile. At verò expressio hæc, *Perseitas*, proponit prædicata metaphysica proxima, formalia, atque immediata *perseitatis*: ergo irrita est paritas.

255. Respondebis 3. Eo ipso quod intellectus ambigat: lateat nec ne contradictio in prædicatis *perseitatis*: nequit resolute dicere, per-

perfectatē esse possibilem. Sed quamquam ex vi præcisè hujus expressionis, *Perseitas*, non detegat intellectus talem contradictionem, potest nihilominus ambigere, an lateat, nec ne talis contradictio; siquidem passim experimur latere in objectis qualitates, quas non deprehendimus ex vi harum, vel illarum expressionum: ergo. Contra 1. Ex nuper dictis: ergo similiter ex vi præcisè hujus specificæ cognitionis, *substantia*, nequit intellectus certò, & securè dicere substantiam esse possibilem, proindeque substantia non erit formaliter possibilis: quod vel ipsi adversarii negant. Probatur sequela. Tametsi per eam expressionem appareant attributa metaphysica substantiæ, & non appareant, ut sibi mutud contradicentia; potest nihilominus intellectus dubitare, lateat, nec ne ulla contradictio in eis prædicatis: item potest dubitare, an identitas inter prædicata substantiæ, quam assequitur ex vi præcisè hujus expressionis *substantia*, sit admixta alicui contradictioni: ergo ex vi præcisè ejus expressionis nequit intellectus certò resolvere, substantiam esse possibilem. Neque datur recursus ad experientiam: quia sensu non experimur substantias, sed accidentia.

256. Contra 2. Quando adhuc supposita cognitione alicujus objecti potest intellectus *prudenter* dubitare, utrum objectum illud implicet contradictionem; cognitio illa non satis aperit identitatem inter illud objectum, & possibile, proindeque objectum illud non est formaliter possibile. Secus, quando intellectus id dubitaverit *imprudenter*, id est sine ullo fundamento; alioquin nil erit formaliter possibile, seu formaliter ens, aptum vè existere; de hac enim ipsa charta dubitare potest aliquis imprudenter, sit nec ne charta, an spectrum aliquod, aut illusio, quam ipse patiat, credens esse chartam, id quod charta non est. At si hæc cognitio, *Perseitas*, representat prædicata immediata perfectatis, & nullam inter ipsa representat contradictionem, sed potius summam convenientiam, *solum imprudenter* dubitabit intellectus, utrum lateat ibi contradictio: quemadmodum, data hac cognitione *substantia*, imprudenter dubitabit intellectus, an lateat aliqua contradictio in attributis substantiæ, & alias nullum dubium esset unquam imprudens: quandoquidem supposita quavis evidentia objecti, potest intellectus dicere. *Forte fallor*. Quod si dixeris: deflectes ad errorem illorum Philosophorum, qui asserbant, nil esse certum nostro intellectui; ergo. Quod apud te formares judicium, si nunc in meridiè audires aliquem dubitantem, fulgeat, nec ne sol! eo quod sensus toties decipiant nos?

Re-

257. Respondebis. 4. Perfectatē esse formaliter possibilem, *ut quo, non ut quod*: item per *modum obliqui*, seu per modum formæ *advenientis alteri*; non verò per *modum recti*, seu per modum *per se stantis*: quibus addere potes alias sexcentas voces similes. Contra. 1. Instaurando rationem à priori. Perfectatē esse formaliter possibilem, *ut quod, in recto*; per *modum per se stantis* nil aliud est, quam ita apparere per proprium conceptum, ut ex vi præcisè hujus possit intellectus sic dicere, *Perseitas est realiter possibilis*, seu *Perseitas est id, quod est possibile*. Atqui perseitas per suum proprium conceptum ita apparet, ut ex vi præcisè ipsius possit intellectus proferre utrumque judicium ob rationem supra datam: ergo. Contra 2. Explicando istos terminos. Aliud est perfectatē apprehendi à nobis per modum, seu per *speciem obliqui*, formæque *adjacentis* enti: aliud longè diversum, quod ipsa sit *formaliter obliquum*, aut forma *adjacens* enti: quemadmodum aliud est, quod Angelus, v. g. apprehendatur à nobis per *speciem juvenis corporei*, & consequenter per *speciem rei essentialiter oppositæ spiritui*; aliud autem, quod Angelus sit formaliter juvenis corporeus, oppositusque spiritui. Primum est verum; secundum autem falsum, & ex primo non sequitur secundum: quoniam illa eadem cognitio, per quam Angelus nobis apparet substantia spiritalis, habetur à nobis ex speciebus juvenis corporei. Ita de perfectate. Verum est, quod hæc apprehenditur à nobis per *speciem obliqui*, formæque *adjacentis* enti; falsum autem, quod ipsa perfectitas sit formaliter tale *obliquum*, aut talis forma. Illud primum non impedit, quod perfectitas sit formaliter ens.

258. Tum quia definitum, & definitio apprehenduntur, per species duorum, & tamen sunt formaliter unum, idemque. Tum, ob nuperum exemplum, quia Angelum apprehendi à nobis per *speciem juvenis corporei*, & consequenter per *speciem rei ex diametro oppositæ spiritui*, non vetat, Angelum esse formaliter spirituum. Tum quia prædicatum hujus propositionis, *Animal est rationale*, concipitur à nobis per *speciem rei advenientis subjecto*. Et tamen juxta multos ex adversariis, prædicatum hujus propositionis relatè ad eam identificatur formaliter cum subjecto, quia censent, judicium clarè proponens duorum identitatem realem esse eorundem identitatem formalem: ergo perfectatē sub hoc conceptu apprehendi à nobis per *speciem rei advenientis enti* non impedit, quod perfectitas sit formaliter ens. Impediretur hoc, si perfectitas non tantum appre-

appreenderetur à nobis per speciem formæ advenientis enti; verùm etiam esset formaliter *obliquum*, seu forma *adveniens* enti. At falsum est hoc, Quoniam si perseitas identificaretur formaliter cum hoc, quod est *advenire enti*, ex vi præcisè hujus expressionis, *Perseitas*, posset intellectus sic dicere, *Perseitas advenit realiter enti*. *Perseitas realiter est obliquum entis*. Sed perseitatem advenire realiter enti, esseque realiter obliquum entis, est, perseitatem distingui realiter ab ente: ergo ex vi præcisè hujus expressionis *Perseitas* posset intellectus dicere, perseitatem distingui realiter ab ente, quod falsum est. Neque frustra dicas, intellectum ex vi præcisè hujus apprehensionis. *Perseitas*, posse dicere, *Perseitatem advenire formaliter, non verò realiter enti*. Namque adversus istam reflexionem insurgit argumentum supra datum. Tuum sit illud instaurare, Aliam postea dabimus contra hanc responsionem instantiam.

§. II.

259. **P**robatur 2. Conclusio, enervando argumenta contraria. Ideo per vos *Perseitas*, ut differentia entis, nequit esse formaliter ens, quia ut differentia, est conceptus adjectivus, adjacentque enti. Sed hæc ratio est insufficiens: tum ob germanam, explicationem istarum vocum nuper datam; tum quia eo ipso, quòd ens non includat in suo conceptu formali perseitatem, datur locus, ut perseitas formaliter qua talis, sit extranea respectu conceptus formalis entis, proindeque possit ex hoc capite esse enti adjacent, & adjectiva (sicut eo ipso, quòd paries, v. g. non includat à parte rei in suis prædicatis physicis albedinem, datur locus, ut albedo sit illi à parte rei extranea, adveniens, atque superaddita. Et ratio est, quia eo modo, quo una res non includerit aliam, hæc alia non constituit illam, proindeque est extra illam, seu est illi extranea.) At quamquam perseitas sit formaliter ens, nihilominus ens non includit formaliter in suo conceptu perseitatem, eò quod non omnis identitas formalis sit reciproca, ut cap. 5. ostendimus contra P. 129; ergo.

260. Hinc quamvis *Perseitas* dicatur advenire formaliter enti, non sequitur advenire formaliter *sibi ipsi*, scilicet, quia ens non est formaliter ipsa, licèt ipsa sit formaliter ens: vel si hoc sequatur, absurdum non est: sicut non est absurdum, quòd Angelus sit formaliter Spiritus, & tamen quòd concipiatur à nobis per speciem corporis,

poris, subindeque per speciem rei oppositæ ipsi Angelo. Similiter perseitas dicitur formaliter advenire enti non quatenus identificetur formaliter cum hoc quod est advenire enti (nam hoc in numero superiore refellimus) sed quatenus apprehendatur per speciem rei advenientis enti: potestque concipi per speciem rei advenientis enti, & esse formaliter ens, seu potest concipi per speciem rei advenientis sibi ipsi.

261. Probatur 3. Conclusio. Ideo etiam per vos *Perseitas* non est formaliter Ens, quoniam *Perseitas*, ut talis aliquid debet addere supra Ens, & nil adderet, si tota ipsa esset formaliter Ens. Sed hoc est falsum. Probatur. *Totus homo*, idest omnia, & singula prædicata hominis, & consequenter rationalitas ipsa sub hoc specifico conceptu *Homo* sunt formaliter Animal, seu apparent identificata cum animali, ut adversarij passim fatentur. Et tamen sub hoc eodem conceptu specifico, *Homo* aliquid addit supra animal, ut etiam est certum. Ergo stat benè, quòd homo aliquid addat supra animal relatè ad illum eundem conceptum, relatè ad quem *Totus homo*, idest omnia, & singula sua prædicata, est formaliter animal. Ergo stat benè; quòd tota *Perseitas* sub hoc conceptu adjectivo, atque differentiali *Perseitas* sit formaliter Ens; & tamen quòd sub hoc eodem conceptu aliquid addat supra Ens. 2. Animal, & rationale sunt à parte rei Ens. Ergo ne hinc sequitur hominem, qui à parte rei est animal rationale, esse à parte rei Ens præcisè? Minimè. Ergò quemadmodum stat benè quòd totus homo sit realiter Ens, quin propterea sequatur hominem nil aliud esse à parte rei præter Ens, ità stat benè, quòd tota *Perseitas* sit formaliter Ens, quin propterea sequatur; nil aliud esse formaliter præter Ens. Ratio igitur utrumque explicans est.

262. Aliud est quod homo sit à parte rei Ens præcisè, seu Ens, & nil aliud, quatenus nullum detur prædicatum in homine, quod non sit à parte rei Ens, (& hoc est verum; neque ullum continet absurdum dicere in hoc sensu hominem esse à parte rei Ens præcisè,) & aliud est, quòd homo sit à parte rei Ens præcisè, quatenus nil possit affirmari de illo in sensu reali, nisi Ens. Et hoc est falsum, neque sequitur ex eo, quòd omnia, & singula prædicata hominis sint à parte rei Ens. Similiter aliud est, quòd *Perseitas* sit formaliter Ens præcisè, quatenus omnia, & singula prædicata *Perseitatis* sint formaliter Ens, & hoc est verum, neque continet ullum absurdum. fateri, *Perseitatem* in hoc sensu esse formaliter Ens præcisè) aliud

autem, quod Perseitas sit formaliter Ens præcisè quatenus de Perseitate nil possit affirmari nisi Ens, & hoc est falsum; nam de ipsa potest affirmari aliud (nempe talitas contractiva) non quidem aliud a lietate, sive distinctione Entis ab illo alio.

263. Et his terminis explicandum est dilemma, quo uti solent adversarij. Jam ratio a priori est. Eò ipsò, quòd substantia, seu Perseitas importet aliquid non inclusum in conceptu formali Entis, substantia, seu Perseitas addit formaliter aliquid supra Ens. Sed quamquam tota Perseitas, ac substantia sit formalissimè Ens, nihilominus importat aliquid non inclusum in conceptu formali Entis: nam importat ipsam Perseitatem non inclusam in conceptu formali Entis, licèt Ens includatur in conceptu formali ipsius Perseitatis. Ergo. Hinc absolutè neganda est propositio illa, qua uti solent contrarij agentes; Conceptum, qui nullam rationem formalem significat præter Ens, nil addere supra Ens: nam licet ille conceptus nullam rationem significet præter Ens, fieri potest ut ille conceptus non includatur formaliter in Ente, proindequè sit extraneus, super additusque conceptui Entis.

264. Probatur 4. Idèò etiam per vos Perseitas non esset formaliter Ens, quia aliàs Perseitas esset formaliter Ens, & *Per se*; in quibus duobus prædicatis stat formaliter tota species substantiæ, & consequenter Perseitas foret tota species substantiæ. Sed hæc sequela nulla est. Tum quia species infima hominis, imò, & individuum Petrus, sunt formaliter Ens, & sunt formaliter *Per se*, ut vos ipsi fatemini: & tamen non nisi abusivè dici potest, Petrus tota species substantiæ, alioquin Petrus sub hoc conceptu prædicaretur de hac, & de illa substantia tanquam tota Essentia.

265. Et ratio est. Discrimen repertum inter prædicabile speciei, & prædicabile differentiæ, non stat in eo, quòd conceptus differentialis non significet ex parte objecti illud idem, quòd significat conceptus specificus (nam hoc esset declinare ad præcisiones objectivas,) neque in eo, quòd conceptus differentialis non significet formaliter, atque expressè objectum idem, quòd formaliter significat conceptus specificus (hoc namque non probatur per adversarios) consistit ergo prædictum discrimen in eo, quòd conceptus specificus significat suum objectum per speciem compositi substantialis, ex materia, & forma resultantis. Conceptus verò differentialis significat illud objectum per speciem rei advenientis alteri. Sed quamquam Perseitas sit formaliter Ens, & sit formaliter per se; nihilominus

nihilominus totum hoc significatur ab hac expressione *Perseitas* per speciem formæ advenientis Enti: sic quamquam Angelus sit formaliter Spiritus, nihilominus hæc expressio *Angelus* oritur ab specie juvenis Corporei, subindeque suum objectum significat per speciem corporis, unde per speciem rei oppositæ spiritui. Ergo.

266. Probatur 5. Idèò etiam per vos; Perseitas nequit esse formaliter Ens, quippè aliàs substantia non differt formaliter ab accidente. Sed hæc sequela est illegitima. 1. Quia licet prædicata hominis sub aliis conceptibus non sint formaliter animal; attamen omnia, & singula illa sub hoc conceptu specifico *Homo*, sunt formalissimè animal, ut passim fatentur Adversarij. Et nihilominus homo sub hoc conceptu specifico, est formaliter distinctus ab Equo, ut etiam est certum. Ergo quamvis Perseitas sub hoc differentiali conceptu sit formaliter Ens, potest nihilominus sub eodem conceptu differentiali esse formaliter distincta ab accidente, quo datur locus, ut species substantiæ, differat formaliter ab accidente. 2. Quia Perseitas sub hoc conceptu differentiali est formaliter per vos, *Talitas contractiva*, namque per hoc genus illam definiitis. Rursus *Inalietas*, quæ est differentia accidentis, est etiam formaliter *Talitas contractiva*, & differentiæ quasi reflexæ harum differentiarum sunt formaliter talitates contractivæ. Et tamen negabitis hinc deduci perseitatem sub hoc conceptu, non esse formaliter distinctam ab inalietate, sub hoc eodem conceptu. Ergo quamvis perseitas, & inalietas sub his conceptibus sint formaliter Ens, possunt nihilominus sub his eisdem conceptibus esse formaliter distinctæ.

267. Hujus assumpti duas, omissis alijs, assigno rationes. Prima ex eo, quòd duo formaliter ut talia, identificentur formaliter cum aliquo genere, malè concluditur identificari formaliter inter se ob rationem datam super cap. 5. Ergo etiam si perseitas, atque inalietas, formaliter ut tales, identificentur formaliter cum Ente, possunt nihilominus non identificari formaliter inter se. Ergo possunt distingui formaliter inter se. Secunda ratio. Ex eo, quòd perseitas sit formaliter Ens, & Ens sit de conceptu formali inalietatis non sequitur perseitatem esse de conceptu formali inalietatis, & vice versa ex eo; quòd inalietas sit formaliter Ens, & Ens sit de conceptu formali perseitatis, non sequitur, inalietatem esse de conceptu formali perseitatis. Ergo ex eo, quòd perseitas, & inalietas sint formaliter Ens, non sequitur alterutram esse de conceptu formali alterutrius. Ergò non sequitur, quòd non di-

stinguantur formaliter inter se. Probo 1. partem antecedentis ratione pariter accomodanda parti secundæ, Ex eo, quod Ens sit de conceptu formali inalienabilis, solum sequitur fore de conceptu formali inalienabilis, quidquid fuerit inclusum in conceptu formali Entis: non verò, quod fuerit extra prædictum conceptum formalem (sic; ex eò quod animal sit de conceptu formali hominis, dumtaxat elicitur vivens, non verò equum, qui sanè est formaliter animal esse de conceptu formali hominis, nimirum quia vivens: non verò equus clauditur intra conceptum formalem animalis,) sed quamquam tota perfectitas sit formaliter Ens, nihilominus non clauditur intra conceptum Entis; ut sæpe repetitum est. Ergo quamquam perfectitas sit formaliter Ens, & Ens sit de conceptu formali inalienabilis, nihilominus perfectitas non est de conceptu formali inalienabilis.

§. III.

268. **S**ed dices. Substantia convenit cum accidente in omni ratione formali Entis. Sed si perfectitas esset formaliter Ens, perfectitas esset aliqua ratio formalis Entis. Ergo si perfectitas esset formaliter Ens, substantia conveniret cum accidente in perfectitate. Confirmatur, substantia nequit differre formaliter ab accidente, per illud prædicatum, cujus tota ratio formalis est etiam ratio formalis accidentis. At si perfectitas esset formaliter Ens, tota ratio formalis perfectitatis esset quoque ratio formalis accidentis; quandoquidem tota ratio formalis utriusque esset Ens. Ergo si perfectitas esset formaliter Ens, substantia non differret formaliter ab accidente, per perfectitatem. Ad objectionem respondeo. Substantia convenit cum accidente in omni ratione formali Entis, *inclusa in conceptu formali Entis*; Non verò in omni ratione formali Entis, quæ penitus fuerit extra prædictum conceptum, ut nuper dicebamus, alias cum equus sit formaliter animal, homo conveniret cum equo in ratione equi. At perfectitas ita est aliqua ratio formalis Entis, ut penitus sit extra conceptum Entis. Ergo.

269. Ad Confirmationem dico. Si tota ratio formalis illius prædicati ita esset ratio formalis accidentis, ut identificaretur formaliter mutuo cum eo prædicato, verum est quod substantia non posset differre formaliter per illud prædicatum ab accidente; attamen si non identificetur formaliter mutuo cum eo prædicato, aut cum accidente, potest substantia per illud prædicatum differre formaliter

ter ab accidente. Sic quamquam tota ratio formalis hominis, & equi sub his conceptibus specificatis sit animal (eo quod omnia, & singula prædicata amborum sub his dictis conceptibus identificentur formaliter cum animali) nihilominus, quia animal non identificatur formaliter mutuo cum illis, ideò manet locus, ut homo, & equus sub his eisdem conceptibus sint formaliter distincti. Jam, tota ratio formalis perfectitatis, ita est tota ratio formalis accidentis, ut talis ratio formalis non identificetur formaliter mutuo cum perfectitate: ergo.

270. Sed instabis. Ens est de conceptu formali accidentis. Sed perfectitas est formaliter ens: ergo perfectitas est de conceptu formali accidentis. Nego consequentiam, quia ista forma arguendi par est huic fallaci. Animal est de conceptu formali equi. Sed homo est formaliter Animal: ergo homo est de conceptu formali equi. Ratio est. Prædicatum entis non identificatur formaliter cum accidente, tamen de conceptu formali illius sit; quia ut toties dixi hæc identitas formalis, sive transcendentia non est mutua. Et hæc non mutuatio est unus è cardinibus hujus quæstionis: ergo ex eo, quod perfectitas identificetur formaliter cum ente non arguitur identificari formaliter cum aliquo identificato formaliter cum accidenti: proptereaque non sequitur, illam identificari formaliter cum accidente. Quod ad formam attinet utriusque syllogismi, deprehendet in utroque sex terminos, quisquis præmissas, & consequens revocaverit ad regulas supra datas.

271. Præcipua objectionum capita jam manent recisa. Objicies tamen. 1. Tota doctrina hætenus data consistit in eo, quod perfectitas non sit formaliter mutuo ens. Sed hoc est falsum. Probatur. Perfectitatem esse formaliter ens mutuo, stat in eo, quod quemadmodum ex vi præcisè hujus conceptus *Perfectitas* potest intellectus proferre hoc iudicium. *Perfectitas est ens* ita possit proferre hoc. *Ens est perfectitas*. Sed hoc verum est. Nam cum omnis identitas realis sit mutua, expressio seu antecedens illud, ex quo solo potest intellectus dicere. *Hoc est illud* est expressio, seu antecedens vi cujus potest intellectus dicere. *Illud est hoc*. Nego minorem objectionis, & probationis majorem. Etenim quemadmodum, perfectitatem absolute esse formaliter ens mutuo, staret in eo, quod ex vi præcisè hujus expressionis *Perfectitas* posset intellectus dicere *Perfectitas est ens*, & ex vi præcisè hujus expressionis *Ens* possit intellectus dicere. *Ens est perfectitas*. Ita perfectitatem esse formaliter ens mutuo per hanc expressio.

pressionem Perseitas stare in eo, quod hæc expressio esset in causa; ut ex vi præcisè ipsius, posset intellectus sic judicare. *Perseitas est ens*, & ulterius esset in causa, ut ex vi præcisè hujus expressionis *Ens* posset intellectus sic judicare *Ens est perseitas*. Sed quamquam dicta expressio sit in causa, ut contingat illud primum; non est in causa, ut contingat hoc secundum, ut constat; ergo perseitas ex vi hujus expressionis non est formaliter mutud ens.

272. Ob. 2. Ideo rationale, v. g. quatenus differentia animalis, non est formaliter Animal; quia inde sequeretur tum quod nil adderet supra animal; tum quod non esset conceptus adjectivus, & adveniens animali; tum quod esset formaliter tota species hominis; tum quod species hominis, atque species equi non differrent formaliter inter se: ergo eadem absurda sequerentur proportionaliter si perseitas esset formaliter ens. Nego antecedens. Verum est quod rationale, quatenus differentia animalis non est formaliter Animal; at non est verum ob ullam ex istis rationibus; Sed quia rationale quatenus differentia præcisè, est *Prædicabile de multis tanquam pars formalis essentia metaphysica illorum*, qui conceptus præscindit ab eo, quod sit, vel non sit Animal. Consultò prætereo alium conceptum circumferri solitum, scilicet *talitas contractiva animalis ad hominem*. Nam cum differentia præter hoc quod est contrahere genus, habeat alia duo munera, nempe constituere speciem, facereque unam speciem differentem ab alia, non satis explicatur differentia per illum solum conceptum, *Talitas contractiva*.

273. Instabis. Rationale secundo intentionaliter sumptum non transcenditur formaliter ab animali per nos: ergo perseitas, & cæteræ differentia non transcenduntur formaliter ab ente. Nego consequentiam. Disparitas est. Rationale secundo intentionaliter sumptum est: *Prædicabile de multis tanquam pars formalis essentia metaphysica illorum*: hæc quippe dumtaxat est germana definitio differentia secundo intentionaliter sumptæ; atqui ex vi præcisè hujus conceptus non potest intellectus dicere, rationale esse animal; potest tamen dicere rationale esse possibile; siquidem hic conceptus ita repræsentat prædicata metaphysica, proxima, & immediata rationalis ut differentia, ut nullam in ipsis exprimat contradictionem, sed potius summam convenientiam: ergo licet rationale secundo rationaliter sumptum non sit formaliter logicè animal, est nihilominus formaliter logicè possibile, proindeque ens reale.

274. Ob. demum. Nullus conceptus transcendens formaliter diffe-

differentias est conceptus univocus. Nam si formaliter ut talis transcendit differentias si formaliter ut talis reperitur in multis. Unde formaliter ut talis importabit multipliciter. Sed per nos ens transcendit formaliter differentias: ergo, Nego majorem, cujus probatio languida est. Nam per vos genera transcendunt formaliter species sibi inferiores, necnon individua, proindeque genera formaliter, ut talia, reperiuntur formaliter in multis: ergo ne idcirco genera non sunt univoca? Et ratio est. Aliud est quod aliquis conceptus (ens, v. g.) transcendat formaliter multa, & aliud quod transcendatur formaliter à multis, seu reperiatur formaliter in multis per identitatem formalem sui ipsius cum illis multis. Si contingeret hoc secundum, ens non esset conceptus univocus; quoniam formaliter, & expressè importaret multipliciter, quod repugnat naturæ conceptus univoci; at non contingit hoc secundum, sed illud primum, quod minimè dissentit naturæ conceptus univoci:

275. Tum ob exemplum nuper adductum, tum à priori. Quia eo ipso quod conceptus aliquis significet objectivè multa, & non significet clarè, atque expressè hæc multa, erit conceptus univocus. Sed quamquam hic conceptus *Ens* transcendat formaliter differentias, reperiaturque formaliter in multis per identitatem formalem non sui cum illis multis, sed illorum multorum cum ipso; nihilominus significat multa, scilicet differentias omnes, & ulterius non significat clarè, & expressè illa multa, seu illas differentias: quandoquidem in suo conceptu non importat illa multa, proindeque ex conceptu suo præscindit mentaliter ab illis multis: ergo. Denique omnia hætenus dicta de *Perseitate* procedunt juxta communem suppositionem, quod illa sit adæquatè quid positivum, quod si suppositio tibi displiceat, ut postea displicebit nobis, utere alio exemplo quod volueris, ubi differentia sit quid positivum plenè, adæquatè: v. g. *In alietas*.

Finis Disputationis Primæ.

DISPUTATIO SECUNDA.

DE UNIVERSALI IN GENERE, AC DE SINGULARI.

Tametsi hæc duo directè considerata, ac quasi primò intentionaliter, sint opposita, ut patet. Verumtamen reflexè, atque secundò intentionaliter inspecta, possunt coincidere, quia universale in genere est unum è singularibus objectis, quæ humanæ menti obversantur, sicut hæc charta, hæc penna, hoc atramentum; & singulare sub hoc abstrahente conceptu est universale, ut postea dicemus. Quoniam hæc simplex cognitio *singulare* attingit rationem multis convenientem, siquidem sunt multa singularia. Coniungimus itaque universale, ac singulare, quia unum subservit cognitioni alterius. Et disputationem his octo capitibus distinctam dabimus.

- Caput I. *Essentia Physica, & Metaphysica universalis.*
 Caput II. *An detur universale à parte rei.*
 Caput III. *Qua ratione detur universale per intellectum.*
 Caput IV. *An Natura perseveret universalis in actuali prædicatione.*
 Caput V. *Princeps conclusio cum aliquibus objectionibus.*
 Caput VI. *Due alie classes objectorum.*
 Caput VII. *De divisione, ac genericitate universalis.*
 Caput VIII. *De individuo, seu singulari, tum primo, tum secundò intentionaliter inspecto.*



CA.

CAPUT PRIMUM.

Essentia Metaphysica, & Physica Universalis.

1. **N**E putes has, esse duas res adæquatè distinctas. Nam quævis realitas est sua essentia physica. Sed quævis essentia metaphysica est realitas ipsa, sicut *Animal rationale*, quæ est essentia metaphysica hominis, est Homo ipse, &c. ergo quævis essentia metaphysica est essentia physica. Est inquam adæquatè, si sermo sit de essentia physica sumpta adæquatè, unde *Animal rationale* est adæquatè compositum ex corpore, & *Anima rationali*, quæ est essentia physica adæquata hominis. Est autem inadæquatè corpus, & est inadæquatè *Anima*, quia unumquodque ex his est essentia physica inadæquata hominis, idest pars essentiæ physicæ. Sed quia mentales ipsæ definitiones, quibus metaphysici, ac physici solent definire objecta, plerumque sunt diversæ, & dantur in ordine ad connotata diversa; idcirco essentia physica, & metaphysica solent apparere instar rerum diversarum, juxta antiquum morem appingendi rebus qualitates nostrorum actuum, sicut appingimus *Soli Eclipsim*, quam non ille, sed nos patimur.

2. Sed cautè adverte ante cætera omnia, & altè infideat menti, ne tertio quoque passu offendas ad æquivocationes. Hoc maximè differt *Logica Major* à reliquis facultatibus: quòd hæc plerumque agunt de rebus, prout sunt in se ipsis coram Deo: & quamvis interdum disputent rem aliquam, prout nobis apparentem per talem, aut talem cognitionem, ut contingit, quando disputatur objectum formale motivum talis, aut talis actus intellectus, aut voluntatis; attamen illæ disputationes sunt quidem reflexæ, ac præcisivæ, sed non sunt secundò intentionales. Hæc verò *Logica*, quam ex hac disputatione incipimus, & prosequemur in sequente, est tota reflexa, & secundò intentionalis. Quia neque in hac, neque in sequente disputatione agemus de rebus, prout sunt in se coram Deo, sed prout à nobis obscure, imperfectè, ac præcisivè cognoscuntur; & non quavis specie cognitionis, sed illà, quæ determinatè dicitur *secundò intentio*, idest qua natura aliqua fit universalis, Genus, Species, Differentia, Proprium, aut Accidens logicum; quoniam hic est totus scopus harum disputationum: nimirum explorare quid.

V

quidditatem, proprietates, conditiones naturarum, seu prædicatorum, non prout sunt in se ipsis coram Deo, sed prout sunt per nostras cognitiones, & ex vi earum denominantur *Universales, Genera, Species*; quoniam id est necessarium ad formandum bonas definitiones in alijs scientijs, verasque affirmationes, ac negationes in nostris discursibus. Quamobrem cave, ne, dum audies, *Homo, Animal, Vivens Rationale*, & similia in his disputationibus intelligas ista *primo intentionaliter*, idest, prout sunt in se coram Deo, sed debes illa intelligere *secundo intentionaliter*, & prout reflexè cognita per nos; & non quomodocumque; sed determinatè per tales, aut tales cognitiones, per quas illæ naturæ, seu prædicata fiunt, & constituantur universales, & Genera, aut Species &c. Ex oblivione, quippè hujus præadvertentiæ, in æquivocationes incidet, & laqueos.

3. Igitur universale, prout est materia hujus disputationis logicæ definitur ex Aristotele, *quod pluribus natum est inesse*, idest, Naturæ, Prædicatum, objectiva ratio, sive conceptus objectivus, qui cum aliquatenus sit unus, convenit multis. Universale est duplex; unum metaphysicum, alterum Logicum (duplex inquam, non verè, ac realiter, quia eadem natura, quæ est universalis metaphysicè, est universalis logicè, licet per distinctam cognitionem, ut explicabimus; sed duplex, quoad definitiones, & diversas considerationes metaphysicorum, & logicorum.) Universale metaphysicum est *Unum multiplex proximè aptum defini unice definitione*, sicut natura humana, quæ à parte rei est multiplex, cognita verò hac simplici apprehensione *Homo* capax est, ut tota definiatur hac unica definitione, *Animal rationale*; & vocatur universale metaphysicum, quia quod metaphysici quærunt in universali, & quod in eo considerant, est, quod tota illa natura sit capax, quæ definiatur unica definitione. Universale logicum est. *Unum multiplex proximè aptum prædicari de multis*. Sicut eadem humana natura capax est, ut sub hoc conceptu *Homo* prædicetur de multis, quia Petrus est Homo, & Joannes est Homo.

4. Dicta *Unitas*; & *Aptitudo*, sive capacitates; si sint objectivæ, radicales, & fundamentales, identificantur inter se, ac cum natura humana, &c. Quia hæc per se essentialiter est capax illius Unitatis, definibilitatis, ac prædicabilitatis. Undè existunt à parte rei, hoc est independenter prorsus à nostris cognitionibus. Sed hoc probat, universale radicaliter tantum, ac fundamentaliter dari à

par-

parte rei. Sin verò sint actuales, & formales consistunt in cognitionibus, de quibus cap. 3. Undè non dantur à parte rei, sed dependentè ab intellectu. Sed non eo modo, quo chimæra, & entia rationis existunt dependenter ab intellectu. Quoniam hæc idè dicuntur existere dependenter ab intellectu, quatenus dicuntur non habere aliud esse, quàm *cognosci*. Non ita Universale, cujus omnia constitutiva sunt entitates veræ, ac reales, licet unum sit actus intellectus, & propter hoc solum dicitur, non datur à parte rei. Denique ambarum definitionum genus est *Unum*, quo ambo hæc Universalia, seu potius universale in utraque illa consideratione, convenit cum singulari; Hoc namque etiam est unum. Cætera sunt differentia universalis à singulari. Quoniam licet hoc etiam consideratum reflexè, ac secundo intentionalitèr, idest, ut cognitum hac expressione, *singulare*, sit etiam multiplex; Veruntamen consideratum directè, ac prout est in se ipso, nequit esse multiplex, nam Petrus, v. g. nequit esse multiplex homo, sic individuus acervus tritici, licet possit subdividi in alios acervos, sed non in alios, quorum quilibet sit hic singularis acervus.

§. II.

5. **Q**uamvis ad essentiam physicam universalis sciendum est; quòd sicut essentia physica hominis coalescit ex duabus partibus, quarum una (corpus scilicet) quia indifferens ad constituendum, vel non constituendum hominem, vocatur materia; Altera verò, nempe anima rationalis, dicitur forma. Ita essentia physica universalis gemino constat constitutivo: Unum est natura illa, seu ratio, seu prædicatum, quod dicitur universale, quodque prædicatum, quia indifferens est, ut subeat, vel non subeat denominationem universalis, vocatur *materia*; Alterum est forma illa, aut quasi forma, idest cognitio, per quam natura determinatur, ut sit universalis. Sciendum est secundo. Hoc prædicatum, seu hæc natura, quæ dicitur universalis, debet habere tres qualitates. Prima est, quòd talis natura aliquatenus sit una, non quidem unitate formali, & actuali sibi intrinseca, alioquin nequirit esse multiplex, ut postea expendemus; sed unitate extrinseca, negativa, & accidentali consistente in eo, quod natura sub ea unitate, non appareat, ut multiplex: sic natura humana sub hac cognitione, *Homo*, est universalis, & una; non quidem positivè, sed

V 2

nega-

negativè, non unitate intrinseca, sed extrinseca: tota namque hæc Unitas consistit in eo, quòd hæc cognitio *Homo*, ita exprimat humanam naturam, ut non repræsentet clarè multiplicatam naturæ humanæ, sed quòd hæc cognitio non repræsentet clarè multiplicatam naturæ humanæ est quid extrinsecum ipsi naturæ, nec non est talem cognitionem esse unitatem purè negativam: ergo.

6. Requiritur secundò ad universale *Aptitudo, ut sit in multis*; Circà quam aptitudinem dico tria. 1. Est, naturam debere esse in multis per realem identitatem cum illis: quia omne, quòd verè prædicatur de multis, debet identificari realitèr cum illis multis. Sed omne universale verè prædicatur de suis proprijs inferioribus. Ergo. Sic *Album*, quòd est universale, licèt spectans ad prædicabile accidentis, verè identificatur cum suis proprijs inferioribus, nempe cum hoc albo, & cum illo albo, ut talibus, licèt enim, hæc prædicatio sit accidentalis, *Petrus est albus*; hæc autem: *Hoc album est album*, non minùs essentialis est, quàm hæc *Homo est Homo*. 2. Est, hanc identitatem universalis cum multis debere esse adæquatam; idest universale secundùm totam suam rationem formalem, identificatur cum quovis inferiore. Sic tota natura humana sumpta intensivè, seu, quòd idem est, sumpta secundùm suam definitionem, identificatur cum quovis homine: nam in Petro; v. g. reperitur tota definitio naturæ humanæ, scilicèt *Animal rationale* 3. Est. Hanc identitatem naturæ, cum suis inferioribus debere esse identitatem formalem, non quidem universalis, cum inferioribus, sed inferiorum cum ipso universali. Ratio est. Quodvis universale, etiamsi spectet ad prædicabile proprij, vel accidentis, est species respectu propriorum inferiorum; sed quodvis inferius identificatur formalitèr cum sua specie: ergo quodvis universale, debet esse tale, ut cum ipso identificentur formaliter propria inferiora. Requiritur tertio ad universale *multiplicitas*. Est dicere. Ut natura aliqua sit universalis, non sufficit, illam ut cumque fore unam, aptamque, ut cum multis identificetur, aliàs natura divina foret universalis; si quidem est una, aptaque, ut cum tribus Divinis Personis realitèr identificetur. Postulat ergo universale multiplicatam realem sui ipsius; sic homo est universalis; quia præter requisita jam exposita verificatur dari multos homines. Sic Deus non est universalis, quia licèt habeat cætera requisita, nihilominùs non verificatur dari, sed posse dari multos Deos. Et hæc circa essentiam physicam, & metaphysicam universalis.

§. III.

§. III.

7. **S**uper quibus multa rogabis. 1. An hæc multiplicitas universalis debeat esse secundùm totum, quòd dicit: an secundùm unam solam partem? v. g. Hoc prædicatum *album* est universale, & dicit duo, subjectum videlicet, atque albedinem: quaeritur ergo: An universalitas hujus prædicati possit utriusque multiplicatam? Respondeo negativè, namque solum possit multiplicatam illius, quòd dicit in recto. Probat. Casu, quo una sola albedo poneretur à Deo miraculosè in multis subjectis; hoc prædicatum foret universale, quandoquidem esset unum potens prædicari de multis, essentque *multa alba*. Vicissim casu, quo Deus omnes albedines poneret in unico subjecto, hoc prædicatum *album* non foret universale, quippè tunc non essent *multa alba*. Ergo quia multiplicitas necessaria ad universale, non debet esse multiplicitas formæ, seu illius, quòd universale dicit in obliquo, sed subjecti, quòd dicit in recto. Explicatur. Hic terminus *Persona Divina* est Universalis. Atqui solum multiplicatur id, quòd per hunc terminum significatur determinatè, & quasi in recto, nimirum ratio Personæ, & non multiplicatur id, quòd significatur quasi in obliquo, nimirum Divina Natura; Ergo ad universale, non exigitur multiplicitas illius, quòd dicitur in obliquo, sed dumtaxat illius, quòd significatur in recto.

8. Rogabis 2. An ut natura aliqua sit universalis, requirat multa inferiora, in quibus actu multiplicatur, vel potius contenta sit cum eo, quòd talia inferiora sint possibilea. Respondeo, sufficere hoc, & non requiri illud. Prob. Universale non est unum actu in multis: sed unum aptum esse in multis, seu predicari de multis; Ergo quotiès prædicatum fuerit unum in sensu dicto, & insuper aptum esse, aut prædicari de multis, toties est universale metaphysicum, ac logicum: At quotiès sua inferiora, in quibus multiplicatur, sunt possibilea, tametsi actu non existant, illud prædicatum in primis supponitur esse unum, idest cognosci cognitione non exprimente ipsius multiplicatam. Deindè ex se est aptum, ut sit, ac prædicetur de multis: quoniam licèt actu non possit prædicari verè de multis, quando hæc non existunt, hoc non tollit aptitudinem, seu capacitatem, ut de illis prædicetur, quia non tollit, quòd illa sint possibilea: ergo quotiès inferiora sunt possibilea,

lia, prædicatum illud potest esse universale. Hic discursus procedit, ut vides, sive prædicatum, sit essenziale, ut *Animal*, sive accidentale, ut *Album*; Nam licet hoc non possit verè prædicari de multis, quando nullum existit album; Verumtamen tunc etiam est *aptum*, seu *capax*, ut de multis prædicetur, sicut licet Homo nequeat sedere in sensu composito, quod stet, habet potentiam aptitudinem, seu capacitatem sedendi. Sic *Album* non potest prædicari de multis, quando nullum est album; At quando nullum est album, *capax*, seu *aptum* est, ut de multis prædicetur, quia quando nullum est album, stat, quod possibile sunt multa alba.

9. Respondebis, hanc esse capacitatem, sive aptitudinem *remotam*, de essentia verò universalis esse aptitudinem *proximam*, ut sit, ac prædicetur de multis. Contra: Omne unum, quod non est singulare, est universale: quia non datur medium, licet enim Collegium, Civitas, & similia videantur non esse singularia, cum includant multa individua, nec universalis, cum sint absque unitate cognitionis, verè tamen sunt singularia, quia tota hæc individua Roma; v. g. non potest dividi in multas æquales penitus Romas; At omne unum aptum *remotè*, ex parte objecti, ut sit in multis per sui multiplicationem, non est singulare ut patet, quia singulari sumpto primo intentionalitè repugnat sic multiplicari; Ergo omne unum aptum *remotè* ex parte objecti, ut sit in multis per sui multiplicationem est universale: Ergo ad hujus rationem non requiritur aptitudo *objectiva proxima*, sed sufficit aptitudo *remota*, ut sit, ac prædicetur de multis per sui multiplicationem in illis; Diximus utique in definitionibus *aptum proximè*, sed hæc aptitudo est intentionalis juxta dicenda postea.

10. Objicies. Non datur universale, quando deficit aliquod constitutivum physicum ipsius; sed multiplicitas est constitutivum physicum universalis: Ergo non datur universale, quando non datur multiplicitas. Sed quando inferiora sunt purè possibile, deficit à rebus multiplicitas naturæ; Ergo quando inferiora sunt purè possibile, non datur universale. Confirmatur. Ideò deficiente cognitione non datur universale, quia cognitio est constitutivum physicum universalis; sed etiam multiplicitas est constitutivum physicum ejusdem; Ergo si non datur multiplicitas, non datur universale. Ad objectionem distinguo majorem. Non datur physicè universale, quando deficit &c. concedo: non datur logicè, aut
meta-

metaphysicè, nego, & concessa minore, distinguo consequens eisdem terminis. Non dicimus dari *physicè* universale, quando deficit *physicè* natura, quæ universalis dicitur; sed dumtaxat asserimus, naturam, vel non existentem, vel non multiplicatam *physicè*, multiplicationis tamen *capacem*, hoc ipso fore universalem *logicè*, aut *metaphysicè*: quoniam hoc ipso, quod sit *capax* multiplicationis, est *apta*, ut sit, ac prædicetur de multis. Sic natura solis non est actu, & *physicè* multiplicata, quia verò multiplicationis est *capax*, ideò dicitur universalis. Ad confirmationem respondeo. Ratio, ob quam, deficiente cognitione, deficit universale, non est præcisè; quoniam cognitio est constitutivum universalis; sed quia hoc importat cognitionem, ut actu existentem; sic quamquam hoc concretam, *Objectum cognitum* importet objectum, & cognitionem, dicit hanc, ut existentem, secus illud: sic hoc concretum, *Dies hodiernus, ut prior die crastino*, importet diem hodiernum, & crastinum, sed solum hodiernum, ut actu existentem; cujus ratio nulla alia est, nisi quia hæc est communis acceptio terminorum.

11. Rogabis 3. An natura animalis, v. g. ita sit materia universalis, ut aliquomodo sit etiam forma? Respondeo negativè, si sermo sit de forma strictè sumpta. Probat. Illud solum est forma constitutiva universalis, quod alteram partem ex se differentem ad constituendum universale, determinat, ut hic, & nunc constituat universale (in hoc enim consistit analogia hujus formæ cum forma compositi substantialis.) Sed sola cognitio est, quæ alteram partem, scilicet naturam de se indifferentem ad constituendum universale determinat, ut hic, & nunc constituat universale: ergo sola cognitio est forma constitutiva universalis: ergo natura neutiquam. Probo minorem. Natura potest existere, quin actu sit universalis, namque fieri potest, ut existat, quin præcognoscatur eum precisione à differentiis: cæterum impossibile est, quod existat cognitio representans naturam multiplicationis capacem, & non representans clarè multiplicatam, quin natura illa denominetur universalis: ergo ex his duabus partibus universalis, *natura*, scilicet, & *cognitione*, sola natura est indifferens ad universalitatem, & sola cognitio est determinata ad eandem universalitatem. Quod explicatur exemplo horum concretorum. *Album, cognitum*. Potest sanè natura dici determinare universale; sed in sensu laxiore, *quatenus videlicet determinare idem sit, atque constituere*, non quatenus

nus determinare idem sit, atque removere indifferentiam alterius compartis.

12. Rogabis 4. An universalia sint corporea, sint spiritualia, sint in rebus, vel extra res? Respondeo universalia sumpta pro formali scilicet pro forma constitutiva universalis ferè semper esse spiritualia, separataque à rebus. Cognitio namque, quæ ferè semper est forma constitutiva universalis, semper est spiritualis, separataque à rebus objectivis, & residens in solo intellectu: De actu phantasias infra agemus. Cæterum universalia sumpta pro materiali, quandoque sunt spiritualia, quandoque materialia, quandoque separata à rebus, quandoque non separata, prout fuerit natura, quæ universalis dicitur.

CAPUT SECUNDUM.

Utrum detur Univerſale à parte rei?

13. **R**espondeo cum distinctione. A parte rei, hoc est independenter à nostris cognitionibus datur universale *fundamentaliter*; secùs *formaliter*. Item à parte rei datur universale sumptum primò intentionaliter; secùs sumptum secundò intentionaliter. Probo primam partem: dari à parte rei universale *fundamentaliter*, stat in eo, quòd natura humana, v. g. sit à parte rei multiplex, præbeatque à parte rei fundamentum, ut concipiatur ab intellectu instar unius; sed hoc ità contingit: Nam fundamentum, ut natura humana sic concipiatur ab intellectu, est similitudo, quæ versatur inter individua ipsius naturæ humanæ, hæc autem similitudo non est opus intellectus, sed à parte rei existens: ergo. Et in hoc sensu intelligendus est Scotus inquiring à parte rei dari universale in *potentia*. In hoc quoque sensu accipiendus est Eximius Doctor, qui docet dari à parte rei in natura humana unitatem quandam minorem numerali, hoc est minus propriam, quàm unitatem numericam. Nam hæc unitas, quam ille nuncupat minorem numerali, nuncupamus nos fundamentalem.

14. Probo secundam partem. Dari à parte rei, seu independenter ab intellectu universale formaliter staret in eo, quòd à parte rei daretur unitas actualis, & formalis naturæ humanæ, necnon ejusdem naturæ multiplicitas; sed quamquam hæc detur à parte rei,

rei, attamen nec datur, nec dari potest à parte rei unitas formalis, actualisque naturæ humanæ. Probat. Unitas actualis cujusque objecti importat constitutivè, aut connexivè carentiam multiplici-
catis *in ea linea, in qua est unitas*. Sic quia Petrus, v. g. est unus homo, neque dividitur, neque dividi potest in multos homines. Et ratio est, quia unum ex suo conceptu per omnes admissio est indivisum in se, & divisum ab alio, ut postea cap. ultimo expendetur: ergo si neque datur, neque dari potest carentia omnis multiplici-
tatis *in ratione naturæ humanæ*, fiet ut non detur, nec dari possit unitas actualis in ratione naturæ humanæ. At neque datur, nec dari potest carentia omnis multiplici-
tatis in ratione naturæ humanæ, nam hæc carentia consisteret in eo, quòd non essent possibiles multi homines, quòd absolutè repugnat: ergo nec datur, nec dari potest unitas actualis in ratione naturæ humanæ. Probo ultimam partem. Univerſale sumptum primò intentionaliter est universale secundum ea, quæ illi conveniunt à parte rei independenter à nostris cognitionibus, ut illi convenit esse capax multiplici-
tatis. Sumptum autem secundò intentionaliter est idem universale secundum illa, quæ ei conveniunt dependenter à certa quadam nostra cognitione; Sed est planum, quòd existit à parte rei secundum ea, quæ illi conveniunt à parte rei: Item, quòd non existit à parte rei, secundum ea, quæ illi conveniunt dependenter ab aliqua nostra cognitione: ergo est planum, quòd universale sumptum primò intentionaliter existit à parte rei, secùs secundò intentionaliter.

15. Respondebis primò contra secundam conclusionis: In Petro nec datur, nec dari potest multiplicitas naturæ humanæ: ergo falsum est, quòd non detur carentia multiplici-
tatis in natura humana. Non venit ad rem. Aliud est carentia multiplici-
tatis in natura humana, & aliud carentia multiplici-
tatis naturæ humanæ in Petro: hæc secunda carentia est necessaria; quoniam impossibile est Petrum esse multos homines, Illa prima carentia impossibilis est, quia impossibile est, quòd non sint possibiles multi homines; Cumque subjectum, de quo disputatur: An sit universale à parte rei, non sit Petrus, sed natura humana; idcirco carentia prædictæ multiplici-
tatis, neque datur, neque dari potest in subjecto, de quo disputatur; An sit à parte rei universale, quamvis detur in subjecto alio disparto.

16. Respondebis 2. Naturam humanam habere à parte rei unitatem transcendentalem, non solum fundamentaliter, verum etiam actuali-

actualiter. Sicut enim acervus tritici habet hanc unitatem, eo quod non possit dividi in multos acervos tritici sibi æquales ita complexum ex omnibus hominibus habet à parte rei actualiter, & formaliter unitatem transcendentalem, eo quod dividi nequeat in multa complexa sibi æqualia; Quocirca sicut actualis divisio, & multiplicatio acervi tritici non tollit ab eo unitatem actualem, & formalem, quæ transcendit cuncta entia, ita actualis divisio, multiplicitasque naturæ humanæ non tollet ab ea unitatem actualem, & transcendentalem. Contra. Aliud est unitas transcendentis impediens aggregatum ex omnibus hominibus dividi in multa aggregata sibi æqualia; Et aliud est unitas impediens, quod natura humana dividatur in multa, in quorum singulis reperitur tota ratio naturæ humanæ, ut talis. Illam primam non negamus dari, aut saltem posse dari à parte rei actualiter, & formaliter, sed solum negamus hanc secundam, & hæc secunda erat necessaria, ut natura humana foret à parte rei universalis.

17. Clarius. Vel loqueris de aggregato ex cunctis hominibus, ut tali, vel de natura humana ut tali? Si primum verum, est istud aggregatum esse à parte rei unum unitate transcendentali; At hoc aggregatum, ut tale non est à parte rei multiplex (proindeque nec universale) quia neque reperitur, neque reperiri potest in multis dictum aggregatum, ut tale. Si secundum verum est, quod natura humana, ut talis, hoc est, ut confuse cognita habet à parte rei multipliciter, at non habet à parte rei unitatem actualem, siquidem ratio naturæ humanæ, ut talis, scilicet definitio illius in multis reperitur: ergo nec natura humana, ut talis, est à parte rei universalis; quod si dixeris naturam humanam, ut talem habere à parte rei unitatem transcendentalem, quæ idem hoc nomine gaudet, quia ubivis reperitur, negabo suppositum, quippe ista phrasis *natura humana, ut talis* significat præcisionem naturæ ab inferioribus: cumque præcisio hæc dari non possit à parte rei, propterea dari non potest à parte rei natura humana, ut talis.

18. Respondebis 3. Quemadmodum natura est universalis per intellectum, licet non detur per intellectum multipliciter, cur similiter non est à parte rei universalis, licet non detur à parte rei unitas? Quarè hic efformatur discursus. Idem per nos datur universale dependenter ab intellectu, quia unum constitutum universale, scilicet unitas dependet ab intellectu; Sed alterum constitutum universale, scilicet multipliciter datur à parte rei: ergo
non

non est potior ratio, ut universale detur à parte rei, quàm ut detur dependenter ab intellectu. Respondeo; quodvis constitutum, est dependens ab eo, à quo dependet aliquod suum constitutum; ceterum non est independens ab eo, à quo independet aliquod suum constitutum; Sic quia Homo intrinsicè constituitur per animam, & hæc pendet essentialiter à decreto Divino executivo animæ, idem homo pendet essentialiter à decreto executivo ipsius animæ, & licet ipse homo constituatur per corpus, hocque sit independens à productione animæ, non ideo homo est independens à productione animæ.

19. In casu præsentis: Universale est quoddam totum ex multipliciter, & unitate coalescens: ergo dependentia alicujus ex his ab intellectu est regula legitima ad cognoscendam dependentiam ipsius universalis, independentia verò alicujus ex illis, non est argumentum ad probandum independentiam ipsius universalis: ergo eo ipso, quod unitas pendeat ab intellectu, universale ipsum pendet quoque ab intellectu, & non eo ipso, quod multipliciter independeat, independet ipsum universale. Similiter occurrit discursui aliorum agentium, universale posse dari à parte rei, quatenus datur prædicatum quod à parte rei sit unum, & ratione nostrâ multiplex, nimirum prædicatum entis in Petro repertum; occurrit inquam (aliis omissis) eadem regulâ, scilicet dependentia alicujus constitutivi est legitimum argumentum, ad probandum dependentiam constituti ob intimam connexionem constituti cum singulis suis constitutivis; Ceterum independentia alicujus constitutivi non est signum independentiæ ipsius constituti; ergo quamquam ponatur unitas independens ab intellectu, si alterum constitutum universale, videlicet multipliciter est dependens, fiet, quod universale ipsum erit dependens ab intellectu.

§. II.

20. Respondebis. 4. Dari à parte rei illud, quod est universale, est formalissimè dari à parte rei ipsum universale; quoniam universale, & illud, quod est universale sunt termini synonymi, sed à parte rei datur illud, quod est universale, quippe à parte rei datur natura humana, quæ universalis est; ergo. Confirmatur: quodvis concretum subit eam denominationem, quæ verificatur de illo, quod dicit in recto tale concretum, ut ex viore

Philosophia alibi ostendo. Sed de illo, quod hoc concretum *universale* dicit in recto, verificatur existere à parte rei, quoniam universale dicit in recto naturam, & hæc datur à parte rei: ergo. Speciosa fraus. Independentem ab intellectu existit illud, quod est cognitum: ergone independentem ab intellectu est cognitum? Respondeo ergo negando majorem. Verum namque est dari à parte rei illud, quod est universale, falsum tamen illud esse à parte rei universale, seu dari à parte rei universale. Ratio est: universale est totum quoddam resultans ex illo subjecto, quod est, atque dicitur universale; & ex forma per quam sic denominatur: ergo illud, quod est universale distinguitur realiter inadæquatè ab universali, ut tali: ergo fieri potest, quod detur à parte rei illud, quod est universale, quin detur à parte rei universale ut tale.

21. Confirmatio non urget, nam licet concreta subeant pleraque ex denominationibus, quæ verificantur de suis rectis, non tamen omnes, ut etiam suo loco notabamus. Sic rectum hujus concreti *Paries albus* non est accidentale, sed substantiale, & tamen prædictum concretum, ut tale est accidentale; Unde distinguenda est major confirmatio. Quod si quæsieris quasnam ex denominationibus, quæ verificantur de rectis, subeant concreta, & quasnam minimè subeant? Sufficiat dicere concreta non semper subire denominationem *independentiæ*, quæ verificatur de rectis ipsorum concretorum. Quia rectum, ut tale præcisè dicit rectum; Concretum verò, ut tale præter rectum importat obliquum, seu formam dominantem, proindeque concretum, ut tale, pendet essentialiter ab eo, à quo pependit forma, quamquam subjectum, seu rectum, ab illo sit *independens*. Cumque denominatio existendi à parte rei sit denominatio *independentiæ ab intellectu*, idcirco hæc denominatio non verificatur de universali, ut tali, quamquam verificetur de illo, quod universale importat in recto.

22. Respondebis 5. Unitas, & multiplicitas sunt prædicata universale: ergo reciprocam habent identitatem sicut prædicata cujusvis alius rei: ergo si datur à parte rei multiplicitas, etiam debet dari à parte rei unitas actualis; Sed multiplicitas datur à parte rei: ergo etiam unitas: ergo dantur à parte rei ambo constitutiva universale. Distinguo antecedens. Sunt prædicata physica universale, concedo antecedens, metaphysica, nego antecedens. Et ulterius nego primam consequentiam. Prædicata physica, seu potius partes physicae universale, non identificantur *mutuò*; alioquin

quia corpus, & anima, quæ sunt partes physicae hominis identificarentur inter se, dicimus ergo unitatem actualem, & multipliciter naturæ non esse prædicata metaphysica; Sed solum partes physicas universale, hoc quippe est concretum quoddam intentionale ex multiplicitate, & unitate coalitum. Quænam ergo sunt prædicata metaphysica universale? Respondeo esse unitatem intentionalem, aptitudinemque naturæ, ut definiatur unicâ definitione, si sit universale metaphysicum; Vel ut prædicetur de multis, si sit universale Logicum. Hæc autem unitas, & aptitudo intentionalis inter se identificantur, nam consistunt in simplici ipsa abstractione, vel in simplici comparatione, juxta postea dicenda; At ambo dantur dependentem ab intellectu: ergo. Si autem sint objectiva, & reales, identificantur cum naturâ ipsâ, quæ utique datur à parte rei; Sed faciunt, quod illa à parte rei sit universale fundamentaliter dumtaxat, & radicaliter, quod non negamus.

23. Objicies. Natura humana à parte rei est una in specie formali. Deinde à parte rei est multiplex: ergo à parte rei est universale. Probo primam partem antecedentis: Natura humana est à parte rei indivisa, & indivisibilis in multas species formales; ergo à parte rei est una in specie formali; nam eo modo, quo res aliqua non est multiplex, est una. Confirmatur. Petrus à parte rei est distinctus in specie formali ab equo, & à parte rei est ejusdem speciei formalis cum Joanne; ergo à parte rei datur species formalis; Sed hæc est universale; ergo. Ad objectionem nego primam partem antecedentis; quoniam natura humana solum est à parte rei una in specie fundamentali, quatenus à parte rei præbet fundamentum intellectui, ut ipsam confundat sub hoc conceptu specifico *Homo*. Ad probationem concessio antecedenti, nego consequentiam, cujus probatio aperte est fallax. Per te eo modo, quo res aliqua non est multiplex, est una; Sed Petrus non est à parte rei multiplex chymæra, multiplex Lapis &c. ergo Petrus est à parte rei una chymæra, unus Lapis?

24. Quamobrem ut ex eo, quod res aliqua non sit multiplex in aliqua ratione, legitime concludatur esse unam in ea ratione, opus est probare, vel supponere rem illam participem esse talis rationis. Sic si jam probavisses Petrum esse lapidem, & postea subjungeres illum non esse multiplicem lapidem, benè concluderes esse unum lapidem. Similiter in præsentiarum ut probes naturam humanam esse à parte rei unam in specie formali, sat non est probare illam non

non esse à parte rei multiplicem in specie formali, sed addere oportet illam à parte rei participare rationem speciei formalis; Verùm de hoc est quæstio, & hoc negatur à nobis. Ad confirmationem, nego antecedens, quippè nec Petrus, & equus sunt à parte rei diversæ speciei formalis, sed tantum fundamentalis, quatenus à parte rei præbent fundamentum, ut confundantur sub diversis conceptibus specificis: nec Petrus, & Joannes sunt à parte rei ejusdem speciei formalis, sed solum fundamentalis, quatenus à parte rei præbent fundamentum, ut confundantur sub eodem conceptu specifico.

25. Objicies 2. Natura humana est à parte rei capax, ut definiatur unica definitione; ergo à parte rei est una: Quandoquidem solum possunt definiri unica definitione illa, quæ sunt unum. Et hanc doctrinam innuere videtur Philosophus sæpè asserens prædicata universalia re ipsa habere unitatem. Nego consequentiam; Capacitas namque naturæ, ut definiatur unica definitione tantummodò probat naturam habere à parte rei, unitatem fundamentalem, non verò formalem, quia, ut aliqua definiatur unica definitione, sufficit, ut sua similitudine præbeant intellectui fundamentum, ad hoc, ut confundat illa sub unico conceptu, sub quo definit illa. Neque Philosophus, qui apertè contradicit in hoc puncto universalitatis à parte rei suo Magistro Platoni, nobis contrarius est; quapropter intelligi debet de unitate fundamentali, seu minore, quàm est unitas numeralis.

26. Objicies 3. Negatio, seu carentia omnium hominum est à parte rei una; præterea est à parte rei divisibilis in multas negationes, quarum una sit negatio Petri, v. g. alia Joannis &c. Ergo datur conceptus, qui sit à parte rei unus, & à parte rei multiplex, proindeque à parte rei universalis. Probatur antecedens, quoad primam partem. Si negatio omnium hominum non est à parte rei una, sequeretur nunc, & de præsentis dari infinitas negationes: quandoquidem nunc, & de præsentis deficiunt à rebus infiniti homines possibiles, quos Deus neque produxit, neque producturus est. Nego primam partem antecedentis, & probationis permitto sequelam minimè absurdam, si semel admittantur carentiæ à parte rerum; Philosophi namque negantes infinitum in actu, loquuntur de infinito rerum positivarum.

§. III.

27. **H**inc refutandæ sunt opiniones contrariæ; Plato dicitur censuisse, dari à parte rei naturas quasdam æternas, atque improductas (quas Ideas Platonis vocant) quæ quidem in se ipsis sunt unæ, capaces tamen multiplicationis, quatenus in tempore identificantur cum Petro, & cum Joanne distributione accommoda; Jure ne, an injuria dicatur hoc de Platone, expono in Physica speculativa disp. 3. num. 213. Cujuscumque sit hæc cogitatio, contradicit Theologiæ, atque Philosophiæ. Theologiæ quidem, quia juxta Concilium Lateranense. *Ab initio temporis Deus utramque ex nihilo condidit creaturam, spiritualem, scilicet, atque mundanam.* Sed natura humana, v. g. cum non sit Deus est creatura: ergo ab initio temporis Deus condidit illam ex nihilo. ergo falsum est illam esse æternam, atque improductam. Confirmatur juxta SS. PP. Quidquid ab æterno est, vel Deus est, vel nil est. Sed juxta Platonem hæc Idea, vel naturæ universales sunt ab æterno: ergo vel Deus, vel nihil sunt. Sed non Deus, ergo nihil.

Sub Inno.

28. Refragatur etiam Philosophiæ, quod sic ostenditur. Natura humana verè, & realiter identificatur cum Petro, sed si natura humana fuisset ab æterno, non identificaretur cum Petro. Probatur. Nil, quodd est realiter separabile ab alio potest unquam identificari cum illo alio (nam potissimum omnium signorum distinctionis realis, est realis separabilitas quoad entitatem, quod qui obstinatè negaverit, dicat quidquid voluerit;) sed si natura humana extitisset ab æterno, effet realiter separabilis quoad entitatem à Petro, siquidem Petrus non existit ab æterno; Ergo si natura humana extitisset ab æterno, non identificaretur cum Petro. Confirmatur. vel eadem simplex, atque indivisibilis natura humana, quæ est in Petro, est quoque in Joanne, vel diversa; Si primum, ergo Petrus, & Joannes, qui sunt extrema realiter diversa, identificantur cum eodem tertio simplici, atque indivisibili. En mysterium Trinitatis in creatis; si secundum: ergo natura humana non est à partè rei una, atque indivisa, sed multiplex, & divisa; ergo non est à parte rei universalis.

29. Hinc 2. Refutatur singularis quædam opinio P. Fonseca. Distinguit hic author tres status in natura humana v. g. Primum vocat

vocat statum præcedentiæ, in quo natura præcedit singularitatibus, sive differentiis individualibus. Secundum vocat statum contractionis, in quo natura contracta est ad differentias individuales, cum eisque identificata. Tertium vocat statum præcisionis, in quo natura mentaliter præscinditur à singularitatibus; Addit naturam in primo statu esse à parte rei universalem, in secundo esse singularem, & in tertio esse universalem per intellectum. Pulchra cogitatio, sed principiis Philosophicis adversa. Probatur. Nil, quod realiter identificatur cum alio, potest realiter præcedere illi alii; sed per te natura humana realiter identificatur cum singularitatibus, siquidem verè enunciatur de Petro, v.g. esse hominem; ergo nequit præcedere realiter singularitatibus; Ergo nequit esse universalis à parte rei. Major probatur. Nil realiter identificatum cum alio, etiamsi virtualiter, aut formaliter ex natura rei distinguatur ab illo, potest realiter existere in ullo tempore, absque illo alio sumpto quoad entitatem; At si realiter præcederet ad illud aliud, realiter existeret in aliquo tempore sine illo, ut patet; ergo,

30. Hinc 3. Refutatur Cajetanus asserens naturam non esse à parte rei universalem *positive*, eo quod non datur à parte rei talis unitas *positiva*; Cæterum esse à parte rei universalem *negative*, videlicet, quia natura, quæ est in Petro ex se non repugnat esse in Joanne. Sed contrà. Vel natura, quæ est in Petro est capax, ut simul sit in Joanne, vel tantum est capax, ut successivè sit in Joanne, idest sit modò in Petro, & postea in Joanne. Si primum, ecce mysterium Trinitatis, siquidem extrema realiter distincta, identificas cum eadem simplici natura; Si secundum, ecce identitatem variabilem decursu temporis, siquidem vis naturam, quæ hodiè est in Petro, idest, quæ hodiè identificatur cum Petro, posse cras esse in Joanne, idest identificari cum Joanne, non secus, ac si natura humana esset tunica quædam, quam exueret Petrus, & indueret Joannes; Propter hoc credunt aliqui mentem Cajetani non fuisse hanc, sed solum naturam, quæ est in Petro *ex se* idest cognitam cum præcisione à differentiis, nil importare clarè, & expressè, vi cuius repugnet identitati sui cum Joanne. Hæc positio vera est; coinciditque cum sententia asserente universale per intellectum.

CAPUT TERTIUM.

Qua ratione datur universale per intellectum?

31.



Universale dari dependenter ab intellectu facile probatur; Nam hoc consistit in eo, quod datur per intellectum ea forma, per quam natura redditur universalis; sed datur per intellectum ea forma. Probatur. Forma per quam natura redditur universalis est forma, per quam natura constituitur una, atque indivisa, non quidem à parte rei, nam hoc jam manet refutatum, sed mentaliter, atque apparenter, Atqui talis forma datur per intellectum, quia talis forma est hæc cognitio *Homo*; v.g. quæ cognitio datur quidem per intellectum, ergo. Attamen hæc super re multæ sunt quæstiunculæ. Quæres igitur primò. An natura constituatur universalis per cognitionem præscindentem objectivè naturam ab inferioribus, vel potius per cognitionem tantum formaliter præcisivam? Respondeo, quod per cognitionem tantum formaliter præcisivam, vel etiam per cognitionem præscindentem objectivè non in rigore scolastico, sed juxta communem modum loquendi: Quodd explicatum, atque probatum manet disputatione de identitatibus, ac distinctionibus.

32. Quæres 2. An universale fiat per operationem intellectus agentis, hoc est per speciem impressam, quam vocamus intelligibilem, eo quod immediatè deserviat (si fortè datur) ad primam cognitionem objecti? Respondeo negativè; Tum quia talis species non datur, ut probatur ad lib. de Anima; Tum quia juxta D. Thomam passim citatum, universale est unum *unitate cognitionis*; ergo illud, quod non fuerit cognitio, sed qualitas determinans ad cognitionem, nequit esse unitas naturæ universalis: sed illud, quod vocatur operatio intellectus agentis, sive species impressa intelligibilis non est cognitio, sed qualitas quædam ad cognitionem determinans; ergo.

33. Sed dices: Species impressa, seu operatio intellectus agentis repræsentat naturam, & non repræsentat illius condiciones individuantes: ergo constituit naturam unam, proindeque universalem. Confirmatur. Per hanc speciem impressam constituitur natura intelligibilis; Sed non intelligibilis ut multiplex, ergo

Y

in.

intelligibilis ut una. Nego primum antecedens; Quoniam sicut aliud est, quod applicatio ignis determinet ad comburendum; & aliud, quod applicatio ipsa comburat; Ita aliud est, quod species impressa determinet ad repræsentationem naturæ sine differentiis, & aliud, quod species ipsa repræsentet naturam sine differentiis. Primum est verum, quia species impressa est applicatio intentionalis ad cognoscendum; Hoc secundum est falsum, quoniam species impressa non est cognitio. Ad confirmationem concedo totum, sed nil contra nos: Nam licet natura per speciem dictam reddatur intelligibilis ut una; attamen non redditur actu intellecta, seu actu cognita, ut una, proindeque non redditur actu universalis, sed solum proximè apta ad universalitatem.

34. Objicies contra resolutionem prioris quæstiunculæ; si natura humana non præscinderetur objectivè ab inferioribus, sequeretur, quod conceptus objectivus universalium esset conceptus objectivus singularium (nam quod non præscinditur objectivè ab alio, est objectivè illud aliud) sed hoc est falsum. Probatur. Si conceptus objectivus universalium esset conceptus objectivus singularium, sequeretur intellectum non secus, ac sensus externos agnoscere singularia, quod contradicit Aristoteli, & D. Thomæ agentibus sensus esse de singularibus, intellectum verò de universalibus. Confirmatur. Si hæc cognitio *Homo* non præscinderet objectivè naturam à singularibus, attingeret singularia, sed singularia dividunt, ac multiplicat naturam, ergo hæc cognitio attingeret illa, quæ dividunt naturam: ergo hæc cognitio non redderet naturam unam.

35. Ad objectionem nego minorem; ad probationem concessa sequela, nego illam repugnare Aristoteli, & D. Thomæ: Nam apertum est me cognoscere intellectualiter non tantum naturam humanam in confuso, sed etiam hunc individuum, ac singularem hominem, ut distinctum ab illo non quidem immediatè; sed ratione diversorum externorum signorum. Porro quando Aristoteles ait intellectum agere de universalibus, sensum verò de singularibus, non negat intellectum agere quoque de singularibus, agit siquidem de Deo, qui singularis est; Sed tantum negat sensum agere de universalibus. Ad confirmationem distingo majorem: attingeret clarè, & expressè singularia, nego majorem; attingeret ita confusè singularia, ut ex vi talis cognitionis non posset intellectus reddere ullam rationem de illis, concedo majorem; Et concessa

cessa minore, distingo consequens eisdem terminis. Igitur, quod cognitio constituat naturam in esse unius, non consistit in eo, quod nullo prorsus modo attingat multiplicationem, sed divisionem naturæ, sed in eo, quod ex vi talis cognitionis solius nequeat intellectus discernere, sit, nec ne multiplicatio naturæ, & hac de causa vocatur unitas negativa.

36. Instabis. Collectio omnium hominum, ut substans huic cognitioni *Homo* includit differentias, licet confusè cognitas, ergo includit multiplicationem; ergo talis collectio non est una. Et confirmatur etiam hic terminus *Populus*, *Collegium* significat confusè multiplicatam, & tamen non constituunt suum objectum universale, ut etiam est certum: ergo quod hic terminus *Homo* significet confusè multiplicatam non sufficit ad hoc, ut naturam constituat universalem: ergo quia ulterius requiritur quod præscindat objectivè naturam ab inferioribus. Ad instantiam dato antecedente, & primo consequenti sub eisdem terminis sub quibus ponitur antecedens, distingo secundum consequens: non est una unitate objectiva, concedo consequentiam; Non est una unitate formali, nego consequentiam. Ad universale non exigitur unitas objectiva, seu quæ sit objectum cognitionis, sed sufficit unitas formalis consistens in ipsa cognitione attingente ex parte objecti multa, & non proponente clarè ullam multiplicatam; Sed quamquam collectio omnium hominum, ut repræsentata per hanc obscuram cognitionem *Homo*, re ipsa includat multiplicatam, nihilominus hæc dicta cognitio attingit ex parte objecti multa, & non proponit clarè, atque expressè ullam multiplicatam; ergo quamquam &c.

37. Ad confirmationem distingo majorem. Significat confusè multiplicatam, confusione simpliciter tali, nego majorem, confusione secundum quid concedo; Et concessa minore, vel nego consequentiam, vel distingo consequens eisdem terminis. Aliud est repræsentare confusè multiplicatam confusione simpliciter tali; & aliud confusione secundum quid tali. Primum consistit in eo, quod ex vi talis repræsentationis, neque possit intellectus sic dicere: *Datur hoc, & hoc individuum*, neque sic *Dantur multa quacumque illa fuerint*. Secundum consistit in eo, quod licet ex vi talis repræsentationis nequeat intellectus dicere sic: *Datur hoc, & hoc individuum*; possit tamen dicere sic: *Dantur multa*. Dicimus ergo hunc terminum *Homo* habere primam confusionem; hos autem terminos *Populus*, *Collegium* habere secundam præcisè: namque ex vi præcisè

horum terminorum, tamen intellectus nequeat dicere sic; hic dantur Petrus Joannes &c. potest tamen dicere: *hic dantur multi homines.*

§. II.

38. **Q**uæres 3. An natura fiat universalis per cognitionem terminatam ad unitatem aliquam objectivam, communitatiamque, quam sibi fingat intellectus pro cognoscenda natura universalis? Respondeo negativè; tum quia ad nil desideratur hæc unitas objectiva, ad quam ajunt adversarii terminari cognitionem constituentem naturam in esse universalis; tum quia, ut probatur ex professo ad libros de Anima, cognitio terminatur immediatè ad objecta insensata; tum quia aliud est, quod cognitio constituens naturam universalem, habeatur per speciem unitatis; Et aliud, quod repræsentet ex parte objecti talem unitatem, ut constat exemplo toties adducto Angeli, & juvenis, Patris Æterni, & Senis: Illud primum est verum, hoc secundum est falsum, ut etiam constat eisdem exemplis, quorum applicatione, ut sæpè inculcata supersedeo; Et alias cum omnis cognitio Dei, quam habemus, sit abstractiva, & per species alienas, omnis illa terminatur ad aliquem Deum fictum, ac chymæricum.

39. Sed dices si cognitio constitutiva universalis terminetur immediatè ad naturam, hæc erit in cognitione, quod est in se ipsa; Sed in se ipsa est multiplex: ergo etiam in cognitione erit multiplex, proindeque cognitio non constituet naturam universalem; Et confirmatur. Objectum ut cognitum dumtaxat habet id quod cognitio repræsentat: ergo si cognitio non repræsentat unitatem, objectum ut cognitum non habebit unitatem; & consequenter non erit universale. Refellitur utrumque argumentum in quavis cognitione, visioneque materiali. Si visio terminatur immediatè ad parietem, paries erit in visione, quod est in se ipso; Sed in se ipso non est visus, ergo nec in visione. Nego igitur majorem, quia natura in se ipsa non est cognita, & tamen per cognitionem est cognita: ergo quamquam cognitio terminetur immediatè ad naturam, aliquid habet natura in cognitione, seu potius, per cognitionem, quod non habet in se ipsa. Ad confirmationem nego similiter majorem, namque objectum ut cognitum habet esse cognitum, quin cognitio id repræsentet, quia non est reflexa, ergo objectum

ut

ut cognitum aliquid habet, quod cognitio non repræsentat.

40. Quæres 4. An supposito, quod cognitio constitutiva universalis non terminetur ad ullam unitatem objectivam, natura constituatur universalis per solam cognitionem præscindentem formaliter, quin ex hac cognitione resultet in natura ipsa aliqua unitas rationis? Respondeo affirmativè. Probatur; eo ipso, quod natura realiter multiplex ita proponatur per cognitionem, ut hæc cognitio neutiquam repræsentet clarè, & expressè multipliciter illius naturæ, ea natura erit mentaliter una, atque indivisa. Nam eo præcisè erit capax, ut tota illa definiatur unica definitione; Sed independentè à resultantia istius unitatis fictitiæ, fieri potest, quod natura realiter multiplex ita proponatur per cognitionem, ut hæc cognitio, neutiquam repræsentet clarè, & expressè multipliciter illius naturæ. Nam cum cognitio habeat per solam suam essentiam modum repræsentandi, quem semel habuerit (quidquid sit de objecto, quod semel repræsentat juxta illa, quæ proposui disp. 1. Dialecticæ: objectum quippe est distinctum à tendentia cognitionis) si semel non repræsentat clarè, & expressè multipliciter, habebit hoc per solam suam essentiam, proindeque independentè ab ista resultantia: ergo independentè ab ea potest natura esse mentaliter una, atque indivisa; ergo universalis.

41. Objicies 1. Unitas extrinseca consistens in sola cognitione, non sufficit, ut natura sit universalis: ergo alia unitas desideratur. Antecedens probatur. 1. Ea unitas non excludit multipliciter, imò potius multipliciter attingit, & repræsentat, 2. Ex nullo capite probatur eam unitatem sufficere ad universalitatem; Quoniam si ex aliquo, maximè ex eo, quod dicta cognitio in se sit una: Sed hoc non sufficit, quippè etiam hæc cognitio *Deus* in se est una; Et tamen non constituit universalem naturam Divinam: ergo. 3. Unitates, quibus homo, & equus sunt universales non distinguuntur in specie; At qui distinguerentur, si prædictæ unitates consisterent in his cognitionibus *Homo*, *Equus*: ergo prædictæ unitates non consistunt in his cognitionibus. Ad objectionem, nego antecedens ob rationem datam in nostra conclusione; Ad probationem distinguo illam, non excludit *positivè* multipliciter, concedo (at exclusio hæc non desideratur ad universalitatem) non excludit *negativè* multipliciter, nego, quippè exclusio hæc stat in eo, quod cognitio *Homo*, v. g. non proponat clarè ullam multipliciter; Sed hoc revera contingit: ergo. Hæc autem exclusio

merè

merè negativa sufficit ad universalitatem; quam unam possibilem agnoscimus, scilicet, merè negativam.

42. Ad 2. nego assumptum, & probationis majorem. Caput enim, ex quò probatur hanc cognitionem *Homo* esse unitatem, sufficientem ad universalitatem, non est, quia hæc cognitio fit in se una, sed quia attingit naturam realiter multiplicem; quin clarè proponat ullam multiplicitem in illa natura, quod non contingit huic cognitioni *Deus*, quandoquidem non attingit naturam realiter multiplicem. Ad 3. Distinguo majorem. Sunt ejusdem speciei logicæ, concedo, physicæ nego, & eisdem terminis distincta minore, nego consequentiam. Unitates, quibus *Homo*, & *equus* sunt universales, sunt ejusdem speciei logicæ, nam utraque proponit objectum, quod de suis inferioribus prædicatur tamquam tota essentia metaphysica; At verò non sunt ejusdem speciei physicæ, quia prædictæ unitates, seu cognitiones intrinsecè respiciunt saltem conditionatè juxta locum *Dialecticæ* citatum nuper, naturam humanam, & equinam, quæ notabiliter distinguuntur inter se.

43. Instabis. Universale debet esse unum unitate positiva: ergo forma constituens naturam universalem, debet repræsentare illam, ut unam: ergo debet repræsentare aliquam unitatem objectivam. Confirmatur. Ideo per nos hæc cognitio *homo* non constituit naturam mentaliter multiplicem, quia non repræsentat multiplicitem naturæ: ergo si neque repræsentat unitatem naturæ, non constituit illam mentaliter unam: ergo debet repræsentare unitatem naturæ, ut constituat illam mentaliter unam.

44. Nego antecedens. Nam licèt unitas universalis debeat esse in se ipsa quid positivum, & non merum nihil, attamen necessarium non est, quod sit unitas positiva, quatenùs positivè neget multiplicitem naturæ (alioquin esset unitas falsa, aut chymera) sufficit ergo, quod sit unitas negativa, præcisivaque quatenùs non repræsentet clarè multiplicitem, nam eo ipso, quod id contingat, natura erit mentaliter una, atque mentalitèr indivisa, capaxque subindè, ut definiatur per unicam definitionem. Ad confirmationem, datis præmissis, nego consequentiam. Disparitas est diversa terminorum acceptio; Multiplicitas sonat quid positivum, quapropter ut dicatur natura esse mentaliter multiplex, opus est, quod cognitio expressè repræsentet multiplicitem; at verò unitas frequentius accipitur negativè; Unde ad hoc ut natura absolutè dicatur una mentaliter, sufficit, quod cognitio illam repræsentans, non proponat clarè, ac expressè multiplicitem.

§. III.

§. III.

45. **Q**uæres 5. Qui possint, & qui non possint facere universale? Respondetur. Deus non potest; quia nulla cognitio imperfecta potest reperiri in Deo: sed omnis cognitio formans universale est imperfecta, quippè est obscura, & præcisivè exprimens quandam naturam capacem quidem multiplicationis, sed non exprimens hanc capacitatem, cum non exprimat illa inferiora in quibus multiplicatur, aut multiplicari potest eadem natura, siquidem in hac non expressione stat, quod sit unitas illius naturæ; Ergo nulla cognitio formans universale potest reperiri in Deo. Quocirca verum est, quod Deus cognoscit nostras imperfectas cognitiones, quæ faciunt universale, sed cognitione, quæ utpotè divina, & comprehensiva exprimit illam cognitionem, & objectum illius, & capacitatem illi essentialem, ut multiplicetur. Verum item est, quod aliqua divina cognitio reflexè cognita à nobis cognitione obscura, & præscindente illam ab eo, quod habet à parte rei, potest nobis apparere, ut præcisiva, seù non exprimens totum, quod est essentialè in objecto, & consequenter, ut non exprimens totum, quod à parte rei exprimit: Sed hoc probat divinam cognitionem, ut à nobis imperfectè cognitam, posse facere universale, at non probat illam verè, prout est in se, facere universale.

46. 2. Neque Bruta possunt facere universale per actum sensuum externorum, quia licèt per hujusmodi actus multoties percipiuntur multa confusè, ac per modum unius; hoc utcumque intellectum non sufficit ad faciendum universale: sed opus est, quod multa percipiuntur per modum unius, quatenùs percipiatur res, quæ ut talis, ac secundum totam suam rationem intensivam sit communis multis per sui multiplicationem, sicut est communis natura humana; v. g. sub hoc conceptu *Homo*, natura Animalis sub hoc conceptu *Animal*, &c. sed hujusmodi perceptio, non potest fieri per sensum externum; Tùm quia sensus est de singularibus solis; tùm quia illa confusa multitudo, quæ percipi solet per sensus, licèt posset dividi in minores alias multitudines; non tamen in multitudines, quarum unicuique competat tota illa determinata, quæ percipitur per sensum, &c. Rursùs neque per actum phantasiæ possunt bruta facere universale, quia licèt hæc soleat esse vivax in multis brutis, non habemus fundamentum ad dicendum exten-

di

di ad plura, quàm percipiuntur per sensus, ergo brutorum phantasia non cognoscit id, quod per sensus non percipiunt, neque alio altiore modo, quàm illo, quo per sensus percipiunt; At universale non percipitur per sensus, ut nuper dicebamus, neque modus, quo sensus percipiunt objecta, est factivus universalium; Ergo neque est factiva universalium phantasia brutorum.

47. Aliter philosophandum est de humana phantasia, sive potentia imaginativa; quoniam licet quoad vivacitatem exprimendi, quod exprimit, soleat superari à phantasia aliquorum brutorum, sicut etiam potentia visiva, auditiva, &c. Veruntamen, quoad alios modos exprimendi objecta, longè superat illam. Etenim inter somniantium sola potentia imaginativa, sed phantasia operatur saltem ordinariè, & quamvis multoties labamur in errores, multoties etiam ita ordinatè, ac rationabiliter imaginamur somniantes, ut longè superet ille modus modum, quem habent bruta etiam sagacissima. v. g. Elephas, & Simia, quando enim hæc condiderunt versus, aut methodicam orationem habuerunt? Ergo aliquis actus humanæ phantasiæ potest exprimere naturam ex se capacem multiplicationis, quin capacitatem hanc exprimat. Ergo potest facere universale, quod etiam tunc erit unum unitate cognitionis, quoniam actus etiam phantasiæ est cognitio, quamvis non spiritualis; siquidem dubitari non potest, quod inter somniantium cognoscamus multa benè, vel malè, ordinatè, vel inordinatè.

48. 3. Angeli possunt facere universale, non solum quoad res supernaturales (quas utique, nec comprehendunt, nec simpliciter cognoscunt solis suis viribus, tametsi unus illorum Chorus, nempe Cherubini dicantur *plenitudo scientiæ*, nempe naturalis; undè agnoscere possunt prædicatum aliquod supernaturale verè multiplex, quin supernè adjuventur ad cognoscendum illius multiplicabilitatem, & consequenter cognitione illa facient universale.) Rursus non solum, quoad res naturales, quæ sint secreta cordis (quæ etiam non penetrant Angeli, cum scriptum sit de Deo: *tu enim solus nosti corda filiorum hominum*, Denique non solum, quoad res naturales, quæ sunt actiones externæ, sed liberæ futuræ absolutè, aut conditionatè, quia hæc quoque soli Deo sunt notæ independenter ab aliena revelatione juxta celebre illud Isaïæ pactum: *Annunciate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dii estis vos*. Et rursus instar characteris Divinitatis proponit; *Ventura, & quæ futura sunt annuntient eis*.

2. Paral.
cap. 6.

Isai. 41.
& 44.

49. Verùm etiam, quoad res illas naturales, quas naturaliter comprehendunt, ac intuentur; Tametsi enim repugnet, quod eadem cognitio sit intuitiva, aut comprehensiva, & simul sit obscura, & præcisiva, ut necessarium est ad faciendum universale; at non repugnat, quod in eodem instanti concurrant in eodem intellectu creato respectu ejusdem objecti duæ cognitiones, quarum una sit intuitiva, imò & comprehensiva naturæ *A.* & altera sit obscura, & præcisiva circa eandem naturam *A.* & consequenter eam constituat universale; tùm quia concurrere possunt duæ cognitiones, quarum una sit absoluta, altera conditionata; Et duæ, quarum una sit determinata, altera disjunctiva; Et duæ, quarum una sit fides, & altera scientia; Et duæ, quarum una sit fides Divina, & altera fides humana: ergo sicut hæc differentiæ non opponuntur invicem, quamvis opponantur aliæ, v. g. esse affirmativam, & esse negativam, esse veram, & esse falsam &c. ita nec opponuntur illæ, quoad simultaneam existentiam in eodem intellectu creato, & respectu ejusdem objecti, nempe esse comprehensivam, & esse præcisivam.

50. Tùm quia homo, quem paulò minùs ab Angelis constituit *Deus* potest facere universale circa hæc paucula accidentia, quæ intuitivè cognoscit, v. g. circa colores, circa sapes, circa sonitus &c. Cur non Angelus? Non solum homo, quando est homo, & vivit, verùm etiam quando jam non est homo, idest quando mortuus est potest facere universale, nempe Anima separata à corpore (sicut passim dicimus S. Petrus, S. Paulus &c. facit hoc, aut illud miraculum, cum tamen non sint in rerum natura tales homines, sed Anima S. Petri, Anima S. Pauli &c.) quoniam humanæ Animæ separata à corporibus, sive sint beatæ, sive purgantes, sive damnatæ cognoscunt: Siquidem nec moriuntur, nec amittunt, sed potius acuum vivacitatem cognoscitivam; inde non est cur ipsis repugnet cognitio representans naturam capacem multiplicationis, illam præscindens, seu quod idem est abstrahens negativè à suis inferioribus, quoniam hæc abstractio, seu præcisio mentalis negativa, nil aliud est à parte rerum, quàm cognitio ita obscurè, ac imperfectè proponens naturam, quæ in se à parte rei est multiplicabilis, ut ex vi præcisè ipsius cognitionis nequeat intellectus etiam perspicax dicere; *Hæc natura est capax multiplicationis*, quamvis hoc certò noverit, & sciat, & comprehendat ex vi aliorum principiorum, seu cognitionum &c.

§. IV.

51. **S**ed qua specie cognitionum facit univrsale humanus intellectus? Etenim omnes nostræ cogitationes in tres classes rediguntur; quoniam vel sunt mera *apprehensio*, vel *judicium*, vel *discursus*. Apprehensio est cognitio, qua ita cognoscimus objectum, ut nil prorsus affirmemus, vel negemus directè, vel indirectè formaliter, aut virtualiter de illo, aut circa illud; Et solet esse duplex, una, quæ vocatur simplex apprehensio, ut *Homo*; Et hæc quando exprimit naturam ex se capacem multiplicationis, ut hæc eadem apprehensio *Homo*, vocatur etiam *simplex abstractio*, quia exprimens naturam, & nil penitus dicens de inferioribus exercitè abstractit, seu præscindit naturam ab illis, abstractione utique, ac præcisione merè negativa consistente unicè in silentio alto de illis; Altera vocatur apprehensio composita, v. g. *Animal rationale*.

52. Hæc item duplex, una, quæ implicitè, aut æquivalenter est *judicium*, & dissonat suo objecto, v. g. *Homo irrationalis*, *Deus Peccator*, *objectum incognoscibile* &c. Altera, quæ nec consonat, nec dissonat suo objecto, quia nec implicitè, nec æquivalenter est *judicium*, v. g. *Sol*, & *Luna*, *A*, & *B*. præscindendo ab eo, quod existant, aut non existant in rebus, sint, nec ne possibilia. Utravis solet esse duplex: una vocatur simplex comparatio, nempe quando apprehendentes, seu cognoscentes *A*, & *B*. examinamus, inquiremus, perpendimus; An *A*. sit *B*. & unum conferimus cum altero suspendentes interea affirmationem, & negationem. Sicut Judex ante sententiam hanc absolutam. *Hic est reus*; vel: *Hic non est reus*: Examinat, inquit, explorat, an ille patrauerit tale crimen. *Judicium* est cognitio, qua aliquid de aliquo affirmamus, aut negamus. *Discursus* est mentalis ille transitus, quo ex una veritate, aut falsitate præcognita movemur ad alium assensum, vel dissensum. Cùm hæc ita sint; per quam ex his cognitionum speciebus fit univrsale?

53. Respondeo, quod attinet ad *Judicium*, quod etiam solet vocari *comparatio composita*, capite sequente resolvemus; An natura perseveret univrsalis in actuali prædicatione, idest in *judicio*, quo prædicatum aliè univrsale affirmatur, aut negatur. Quod attinet ad *discursum*, hic sumptus materialiter pro termino, à quo, & ad quem, nil aliud est, quàm antecedens, seu præmissæ ex quibus movetur

vetur intellectus, & conclusio ad quam moveatur; Cumque hæc omnia sint *judicia* modo affirmativa, modò negativa, dicendum est de *discursu* in hac acceptione idem, quod de actuali prædicatione mox dicemus. *Discursus* autem sumptus formaliter pro *motione* actuali intellectus ex uno assensu ad alterum, nil aliud est à parte rei, quàm vel reflexio conclusionis ipsius supra præmissas. Vel actio productiva conclusionis essentialiter annexa virtuti motivæ, seu persuasivæ identificatæ cum præmissis ipsis.

54. Illa reflexio non distinguitur à conclusione reflectente, unde dicendum est de illa idem, quod de hac. Illa verò actio productiva conclusionis, si non distinguitur ab hac, ut multi putant, faciet, vel non faciet univrsale, prout faciat, vel non faciat actualis illa prædicatione, quæ est conclusio formalis. Sin distinguitur, ut alii putant, non est cognitio, non est expressio, non est representatio objecti, sed actio physica, qua producitur cognitio; Unde non est capax faciendi per se formaliter immediatè univrsale.

55. Denique quod attinet ad *apprehensionem* dicimus: Univrsale metaphysicum, idest juxta considerationem metaphysicorum, constituitur per simplicem apprehensionem negativè abstractentem, sive præscindentem naturam à suis inferioribus, v. g. per hanc *Homo*, & perseverat in apprehensione, quæ vocatur simplex comparatio. Univrsale autem logicum, seu juxta logicorum considerationem, non constituitur per solam simplicem illam apprehensionem, & abstractionem, sed per simplicem comparisonem. Probatur prima pars. Quod metaphysici considerant in univrsali, quodque in illo tractant, & perpendunt, est unitas, itaut omnia inferiora illius univrsalis, definibilia sint una definitione: ergo per illam cognitionem constituitur univrsale juxta illorum considerationem, per quam natura, seu prædicatum ex se capax multiplicationis, constituitur unum ea specie unitatis actualis, & formalis, cujus est capax; At per simplicem apprehensionem negativè præscindentem naturam ab inferioribus, illa constituitur una, unitate cujus est capax.

56. Probatur: Non est capax alius unitatis actualis, & formalis (ut excludamus unitatem fundamentalem dumtaxat, quæ consistit in similitudine reciproca omnium individuorum illius naturæ, & hoc ipso formaliter imbibit naturæ illius multipliciter) nisi *negative*, ut toties inculcarum, consistentis in eo, quod appareat natura illa, & nulla penitus appareat ejusdem multipliciter; quoniam

hoc ipso tota illa natura, & non apparet multiplex, & apparet capax, quo definiatur unica definitione, quæ aliundè utique est quærenda, ut definiatur tota natura humana sub hac apprehensione *Homo*, hac unica definitione *Animal rationale*; Et hæc est unitas, quam metaphysicus requirit in universali, nempe capacitas, ut definiatur unica definitione, quin ullatenus appareat multiplicitas, ut in his terminis *Civitas*, *Collegium* &c. ergo id per quod apparet natura humana, v. g. & per quod nulla penitus apparet ipsius multiplicitas, etiam si hæc aliundè sit nota, est id per quod natura humana est una unitate illa actuali, & formali, cujus est capax; At per illam simplicem apprehensionem *Homo* negativè præscindentem naturam humanam à suis inferioribus, apparet natura ipsa humana ut patet: deinde per illam nulla penitus apparet multiplicitas ipsius; quoniam licet sciamus possibles esse multos Homines; attamen ex vi præcisè hujus apprehensionis *Homo* nequit intellectus adhuc sagax, & terminorum conscius dicere, esse possibles multos Homines: ergo?

57. Objicies. Nil per quod natura æquè constituitur multiplex, ac una, est id per quod constituitur una: sed per illam simplicem apprehensionem æquè constituitur multiplex, ac una. Quoniam idè per nos constituitur una, quia per illam non apparet multiplex realiter; Unde infertur, quod constituitur una negativè; At neque per illam apparet esse una realiter, unde potest eadem ratione inferri, quod constituitur multiplex negativè; ergo per illam apprehensionem æquè constituitur multiplex, nempe negativè, ac una. Solutum est supra. Nego minorem. Ad probationem distinguo majorem: idè præcisè nego: ideo, & quia pluralitas sonat quid positivum, unitas verò potius quid negativum, concedo, & concessa prima parte minoris, nego secundam.

58. Per dictam simplicem apprehensionem *Homo* tam non apparet natura humana positivè una, quam non apparet multiplex positivè. Sed hoc idem est esse negativè unam, cum sit implicatio, seu saltem abusus terminorum, dici negativè multiplex; quia multiplicitas ex propriis terminis est quid positivum, quippe quæ est pluralitas; unitas verò ex propriis terminis innuit potius negationem, aut saltem capacitatem negationis pluralitatis. Unde sicut loquentes de homine, qui in alia providentiâ, nec haberet gratiam, nec peccatum, dicemus propriè: *Hic est iustus negativè*, nempe non peccator; impropriè autem. *Hic est Peccator negativè*, nempe

nempe non iustus. Ità impropriè, & sola contendendi gratia dicitur de natura humana sub illa apprehensione; *Hæc natura est negativè multiplex*; propriè autem; *Hæc natura est negativè una*. Cujus ultima ratio est usus ipse terminorum, contra quem si cavillari delectat, loquere prout volueris.

59. Probatur 2. Pars responsionis, videlicet naturam perseverare universalem metaphysicè in simplici comparatione. Quoties natura humana ità apparet una, & capax, quæ definiatur unica definitione, ut neutiquam appareat multiplex, perseverat universalis, juxta considerationem metaphysicam, si talis fuerit per cognitionem aliam primam: At per simplicem comparationem: v. g. *Homo convenit nè huic, & illi, & illi individuo?* Natura humana, ità apparet una, & capax, quæ definiatur unica definitione, ut neutiquam appareat multiplex: quia per dictam cognitionem, nondum judicat intellectus naturam esse multiplicem, sicut Judex, nondum judicat Petrum esse reum quando inquit, & explorat an patriverit, necnè delictum.

60. Deinde natura erat universalis metaphysicè per simplicem abstractionem, ut nuper dicebamus, quæ simplex abstractio est prior ad simplicem comparationem, quoniam ordinarius ordo, & modus procedendi est prius cognoscere in abstracto naturam, deinde comparare illam cum inferioribus, seu inquirere conveniat, necnè huic, aut illi de quibus fuerit controversia, & demùm judicare, convenire, aut judicare, non convenire. Ergo natura, quæ constituitur universalis metaphysicè per simplicem abstractionem, perseverat universalis metaphysicè in simplici comparatione.

61. Demùm, quod universale logicum non constituatur per simplicem abstractionem solam, sed per comparationem simplicem, quod erat ultimum membrum responsionis, probatur: Universale logicum est unum proximè aptum prædicari de multis, ut dicimus sæpè, quia hoc est, quod Logici maximè considerant, & attendunt in universali, nimirum proximam aptitudinem intentionalem, (nam objectiva, & radicalis, quæ est fundamentum illius, ad illam spectat facultatem, cujus est disputare essentiam, & quidditatem illius naturæ,) ut natura prædicetur, aut negetur de multis. Ergo natura humana; v. g. non constituitur universalis logicè per illam solam cognitionem, per quam constituitur una intentionaliter, sed per illam, per quam constituitur proximè apta intentionaliter ut affirmativè, aut negativè de multis enuntietur; At natura

tura humana per simplicem abstractionem constituitur intentionaliter una, non autem proximè apta, ut sic enuntietur de multis, nam juxta seriem, & ordinem actuum nuper dictum inter illam, & actualem prædicationem de multis, mediat simplex comparatio, id est examen illud, & inquisitio: conveniat, nec nè multis natura illa? Inter simplicem verò comparisonem, & actualem enuntiationem de multis nullus alius actus intellectus mediat, siquidem post examen non solum inceptum, sed conclusum, immediatè sequitur sententia. Ergo per hanc simplicem comparisonem, non verò per illam simplicem abstractionem constituitur natura logicè universalis, & maximè cum in illa perseveret mentaliter una, & universalis metaphysicè, ut paulò ante dicebamus.

CAPUT QUARTUM.

Utrum natura maneat universalis in actuali prædicatione.

62.



Upposito, quod natura constituatur universalis metaphysicè per simplicem abstractionem, quaeritur modò, non utrum, constituatur universalis per actualem prædicationem, sed utrum ibi perseveret universalis metaphysicè; v. g. an natura Animalis perseveret universalis metaphysicè in hoc actu: *Omnis homo est Animal*. Dicimus metaphysicè, quia universalitas logica stat in eo, quod natura sit proximè de multis prædicabilis; in actuali autem prædicatione non est proximè prædicabilis, quod verbum innuere solet carentiam actus, aut præcisionem ab illo, sed actu prædicata; ergo in actuali prædicatione jam non est universalis logicè. Sit conclusio in genere. Nulla actualis prædicatio, in qua immediatè afficitur quantitate singulari terminus aliquis communis conservat universalitatem naturæ significatæ per illum terminum. Idem dicendum, si terminus ille communis immediatè afficiatur signo universali, aut particulari affirmativo, aut negativo; secùs tamen si mediatè solummodò afficiatur aliquo ex dictis signis. Denique natura potest perseverare universalis in actuali prædicatione, per quam actu prædicatur de uno vel de multis inferioribus; v. g. Natura humana perseverat universalis metaphysicè respectu omnium suorum inferiorum in hac prædicatione *Petrus est homo*. Et natura animalis in hac *Omnis homo est Animal*.

63. Prius-

63. Priusquam autem probationem hujus doctrinæ aggrediamur, quatuor notare oportet. Primum est illud quod sæpissimè diximus; forma constitutiva universalis, (nempè cognitio) intrinsecè constituitur per duo prædicata unum positivum, videlicet *attingere naturam capacem multiplicationis*, alterum negativum, scilicet *non proponere clarè, ac expressè illius naturæ multiplicatam* adhuc generalem. Quocirca quemadmodum eo præcisè, quod intelligatur hæc duo prædicata *Animal rationale* intelligitur homo; & eo præcisè quod alterum ex illis non intelligatur, non intelligitur homo, eo quòd tota essentia metaphysica hominis consistat in illis duobus prædicatis tantum; Ità eo præcisè, quod intelligatur aliquam cognitionem habere hæc duo prædicata, unum positivum, scilicet *attingere naturam ex se capacem multiplicationis*, & alterum negativum videlicet; *Non proponere clarè, & expressè multiplicatam adhuc generalem* sicut Collegium, Civitas &c. Eo inquam præcisè, quod intelligatur habere hæc duo prædicata, intelligitur talem cognitionem esse formam constitutivam universalis, & eo præcisè, quod deficiat alterum ex his duobus, ea cognitio non erit forma constitutiva universalis.

64. Et quidem requiri primum prædicatum attingendi naturam re ipsa capacem multiplicationis constat ex cap. 1. Nam ut natura aliqua sit universalis, est necessarium, quod possit prædicari de multis; itaut in illis multiplicetur (alioquin natura Divina foret universalis;) ergo requiritur, quod sit capax multiplicationis. Sed cognitio constitutiva universalis debet attingere naturam, quam constituit universalem: ergo debet attingere naturam capacem multiplicationis. Præterea requiritur etiam alterum prædicatum negativum non attingendi clarè ejusdem naturæ multiplicatam adhuc in confuso, & generalem; Quoniam ut natura sit universalis, necessariò requiritur aliqua unitas; ergo vel unitas objectiva realis, vel unitas objectiva ficta, vel unitas mentalis. Non prima, aut secunda, ut probatum est cap. antecedenti: ergo requiritur unitas mentalis.

65. Tunc sic: ergo vel unitas mentalis positiva, vel dumtaxat negativa; Sed non unitas mentalis positiva, quæ vel signatè per suam tendentiam, vel exercitè per suamet entitatem excludat multiplicationem, ut liquidò constat ex supra dictis: ergo de primo ad ultimum requiritur unitas mentalis negativa consistens in eo, quòd cognitio non repræsentet clarè, & expressè multiplicationem

na.

naturæ adhuc generalem, & in confuso, ut *Populus, Collegium &c.* Et hæc quidem ita requiritur, ut etiam sufficiat ad hoc, ut natura aliàs multiplex sit universalis. Quoniam ut sæpè dictum est, eo ipso, quod cognitio talis naturæ sit, constituit naturam, quam attingit definibilem unica definitione; ergo est cognitio, sive conceptus univocus respectu illius, & constituit illam in esse unius, proindeque universalem.

66. Secundum est unitas, atque multiplicitas realis naturæ, non est legitima regula ad cognoscendum, an actus attingens eam naturam, proponat, vel non proponat clarè illius naturæ multiplicationem. Fieri namque potest, ut natura sit à parte rei multiplex. Et tamen, quod cognitio non proponat clarè, ac expressè illius naturæ multiplicatam, ut patet in hac cognitione *Homo*, quæ abs dubio non proponit clarè multiplicatam naturæ humanæ, cum tamen hæc natura sit à parte rei multiplex. Similiter fieri potest, ut natura sit à parte rei incapax multiplicationis. Et nihilominus, quod cognitio clarè, ac expressè proponat hanc multiplicationem, ut patet in hac falsa cognitione; *Omnis Deus est omnipotens*, quæ citra dubium representat clarè, ac expressè multiplicationem naturæ Divinæ (nam idcirco est cognitio falsa) cum tamen hæc multiplicatio sit impossibilis: ergo quod natura aliqua sit, vel non sit à parte rei multiplex, item, quod hoc sit nobis evidens, non est legitima regula ad discernendum, quando aliqua quædam cognitio proponit, vel non proponit clarè illius naturæ multiplicationem.

67. Tertium est universalitas, atque singularitas subjecti actualis prædicationis non refunditur in prædicatum. Fieri namque potest, ut subjectum sit multiplex; Et tamen, quod prædicatum sit prorsus singulare, ut patet in hac prædicatione vera. *Omnis Persona Divina est Deus*, cujus subjectum est multiplex, siquidem dantur tres Personæ Divinæ realiter distinctæ, & prædicatum est prorsus singulare, nam unus tantum est Deus. E converso fieri potest, ut subjectum sit prorsus singulare, & tamen quod prædicatum sit multiplex, ut patet in his actibus. *Deus est Persona Divina, Petrus est aliquis homo*, ergo unitas, atque multiplicitas subjecti non refunditur ad prædicatum.

68. Quartum. Non esse confundendam actualem prædicationem verbalem cum mentali, quæ æquivocatio est facillima, nam eisdem verbis explicantur ambo, & est perniciofa hæc æquivocatio. Conclusio, & reliqua, quæ dicemus non procedunt de verbali, sed

de

de mentali; Cum enim certum sit, verba significare ad placitum, quod certum non est de cognitionibus (sic necne juxta disp. 1. Dialecticæ verum, à quo præscindo) & rursus placitum hominum plerumque sit, verbis significare suis rem determinatam in propositionibus, quas proferunt inter disputandum; idcirco propositiones verbales plerumque non significant in actuali prædicatione, nisi illud dumtaxat, quod enuntiatur de subjecto; Huic distinctioni insistere semper inter respondendum objectionibus, ne æquivocatio subrepat.

§. I I.

69. **H**is positis. Dico 1. Nulla actualis prædicatione, in qua immediatè afficitur quantitate singulari terminus alioquin communis, conservat universalitatem naturæ significatæ per illum terminum. Dissentit unus, vel alter recentior. Claritatis gratia loquamur de hac prædicatione. *Petrus est hic homo*. Nulla tendentia significans objectum prorsus singulare, constituit, aut conservat illius objecti universalitatem (de conceptu namque formæ constituentis, aut conservantis universalitatem naturæ est significare objectum capax multiplicationis, ut nuper diximus ex cap. 1. Objectum autem prorsus singulare est incapax multiplicationis) sed dicta actualis prædicatione significat naturam humanam prorsus singularem: nam hæc est acceptio illius termini *Hic homo*: ergo prædicta actualis prædicatione, neque constituit, neque conservat universalitatem naturæ humanæ. Quod si dixeris prædictum terminum *Hic homo* significare multiplicatam, eo quod de singulis hominibus dici possit *Hic homo*, nam dum loquimur de Petro, dicimus *Petrus est hic homo*, & similiter dum loquimur de Joanne.

70. Si inquam id dixeris; Respondeo istud fore verum, si sermo esset de prædicto termino reflexè, ac secundò intentionaliter sumpto, scilicet de illo sumpto directè, ac primo intentionaliter, ut in præsentibus sumimus illum: quemadmodum enim hi termini *unum, singulare, individuum* sumpti directè, ac primò intentionaliter, non sunt universales, quia sic sumpti significant rem incapacem multiplicationis, sumpti verò reflexè, ac secundò intentionaliter, sunt universales, quia cum sint multa una, multa singularia, multa individua, omnia illa confunduntur exercitè per illos terminos, per quos insuper nulla apparet multiplicitas; Ita, & propter eandem

A a

ra -

rationem, contingit idem in hoc termino *Hic homo*, qui sumptus directè, non est universalis; est verò sumptus reflexè, ac secundò intentionaliter.

71. Sed objicies. Hæc prædicatio *Petrus est hic homo* immediatè afficit quantitate singulari illum terminum *Homo*; Et tamen constituit universalem naturam humanam. Probatur: in primis est actus per quem apparet tota ratio formalis, atque intensiva hominis, quæ sanè capax est multiplici- tatis (nam apparet ratio naturæ humanæ, quæ est in Petro; Et in hoc, sicut in quovis alio individuo est tota ratio formalis, atque intensiva hominis) deindè nulla apparet multiplicitas, ut est certum; ergo. Confirmatur. Hic indivisibilis actus conditionalis: *Si homo est animal, hic homo est animal* constituit universalem naturam humanam (nam hic actus, quatenus sic tendens: *si homo est Animal* attingit rationem hominis convenientem multis, deindeque non exprimit clarè multiplici- tatem hujus rationis.) Sed hic actus immediatè afficit quantitate singulari terminum *homo*, ut patet: ergo.

72. Ad objectionem nego secundam partem antecedentis; Ad probationem respondeo. Verum est, quod per actum istum apparet tota, sed non omnis ratio formalis, atque intensiva hominis, idest *Animal, & rationale*, in quibus duobus stat esse hominem. Ceterum ratio hæc utpotè immediatè singularizata est incapax multiplicationis, undè non est universalis, ut supra ostendimus. Ad confirmationem nè respondeas, prædictum actum conditionalem, ex parte *hypothese* constituit naturam universalem; secùs ex parte *conditionati*. Ne, inquam, id dixeris; Nam cum supponamus prædictum actum esse prorsùs simplicem, atque indivisibilem, non datur in ipso una pars, quæ sit hypothetis, seu conditio mentalis, & alia, quæ sit conditionatum mentale.

73. Respondeo igitur istum actum in geminum ferri objectum, unum est tota natura humana (& hanc constituit universalem, & hanc non afficit quantitate singulari) altera est natura hujus indivi- duum hominis, & hanc non constituit universalem, & hanc immediatè afficit quantitate singulari: ergo numquam probatur eum actum constituit universalem illud idem objectum, cujus terminum mentalem immediatè afficit quantitate singulari. Quod si dixeris præfatam prædicationem conditionalem constituit quoque universalem rationem naturæ humanæ convenientem huic individuo homini (quam quidem immediatè afficit quantitate singulari) eo quòd

con-

constituat universalem rationem naturæ humanæ convenientem omnibus hominibus, proindeque convenientem huic individuo homini.

74. Respondeo, prædictum actum constituit universalem rationem hominis convenientem huic individuo confusam cum cæteris; non verò discretam à cæteris; Et eam à cæteris discretam, non autem cum cæteris confusam, afficit quantitate singulari. Hanc conclusionem intellige 1. de *hic Homo* quando est actus verbalis, quia hoc est placitum hominum, significare scilicet illis verbis rem singularem, & individuum. Intellige 2. etiam quando est actus intellectus, quo mente signamus unum singularem, & individuum hominem; Sed ne intelligas dictam conclusionem, quando est actus mentalis compositus ex duabus apprehensionibus, quia *Homo* per accidentalem sui conjunctionem cum altera non amittit suam significationem. Nec intelligas illam, quando licèt sit unicus actus indivisibilis, non utimur illo ad significandum unicum individuum, sed abstractè, vel ad alios fines. Vide quæ dicemus infra.

75. Dico 2. Nulla actualis prædicatio immediatè afficiens quantitate, seu signo universali, vel particulari affirmativo, vel negativo aliquem terminum, constituit universalem naturam significatam per illum terminum: secùs dicendum, si signa fuerint modalia. Probo primam partem, & claritatis gratia loquamur de prædicationibus, in quibus sùnt hæ tendentiæ *Omnis Homo, Nullus Homo, Aliquis Homo*. Nullus actus clarè, & expressè significans multiplici- tatem naturæ humanæ, constituit illam universalem, ob discursum factum à num. 44. Sed omnis prædicatio, in qua reperitur aliqua ex dictis tendentiis clarè, & expressè significat multiplici- tatem naturæ humanæ. Siquidem ex vi præcisè cujuslibet ex illis, potest intellectus colligere dari, vel esse possibiles multos homines, quemadmodum ex vi præcisè cujuslibet ex his tendentiis: *Omnis Deus; Nullus Deus; Aliquis Deus* posset intellectus colligere multiplici- tatem naturæ Divinæ, atque idcirco, quævis ex his tribus tendentiis dissona est suo objecto: ergo. Secunda pars hujus conclusionis est certa. Signa quippè modalia. *Neceffe, Impossibile, Contingens*, non significant clarè multiplici- tatem illius objecti, cujus expressionem immediatè afficiunt (aliàs falsum esset. *Neceffe est Deum esse bonum*;) ergo si afficiunt mentalem terminum, cujus objectum à parte rei est multiplex, non officiunt universalitati illius termini.

§. III.

76. **O**bjic. ex P. Herrera. Omnis actus sic tendens, *Omnis homo est homo* constituit universalem naturam humanam; At omnis actus sic tendens immediatè afficit signo universali terminum *Homo* significantem naturam humanam: ergo aliquis actus immediatè afficiens signo universali aliquem terminum, potest constituere universalem naturam significatam per eum terminum. Major probatur. Omnis actus immediatè attingens cuncta individua humana, ad modum *unius* constituit universalem naturam humanam (ed quòd sit actus tangens rationem multis competentem, & multipliciter non exprimat) sed omnis actus dictæ tendentiæ, attingit cuncta individua humana, ut est certum. Deinde tangit illa ad modum unius. Probatur hæc secunda pars. Omnis actus tangens idem objectum per modum duplicis objecti; potest illud tangere tum per modum *unius*, tum etiam per modum multiplicis; Quoniam si objectum apparet ut geminum, scilicet, ut subjectum, atque prædicatum, potest quatenus subjectum apparere per modum *multiplicis*, & quatenus prædicatum apparere per modum *unius*; At omnis actus tendentiæ jam dictæ tangit totam naturam humanam per modum duplicis objecti; cum tangat illam tum instar subjecti *Omnis homo*, tum instar prædicati *Est homo*: ergo licet prædictus actus attingat totam naturam humanam per modum *multiplicis*, potest quoque attingere illam per modum unius.

77. Confirmatur 1. Afirmatio vaga, seu disjunctiva non constituitur in esse talis per carentiam affirmationis determinatæ (namque idem prorsus actus potest esse afirmatio vaga, atque simul determinata respectu ejusdem objecti, v.g. *Petrus, qui est homo, est, vel Petrus, vel Joannes*) solum itaque dicit modum positivum tendendi respondentem huic termino, *Vel*: ergo similiter tendentiæ adunativa omnium individuorum, non dicit carentiam expressivæ multipliciter, sed modum tendendi positivum representantem illa individua instar unius, & compatibilem in eodem actu, cum tendentiæ expressivæ multipliciter; ergo hunc actum *Omnis homo est homo* significare expressè multipliciter est insufficientis titulus, ne constituat naturam universalem. Confirmatur 2. Quamquam actus prædictus ex parte subjecti clarè significet multipliciter; attamen ex parte prædicati non significat illam clarè: ergo saltem

ex

ex parte prædicati constituet naturam universalem.

78. Et potest confirmari 3. Tota unitas requisita, & sufficiens ad universalitatem consistit in eo, quod ita appareat natura, ut appareat capax definiendi unica definitione. Sed ita apparet, quamquam appareat multiplex: ergo, quamquam appareat natura ut multiplex, potest habere unitatem sufficientem ut sit universalis. Major videtur certa, nam ut conceptus aliquis sit univocus (proindeque, ut sit unitas mentalis sui objecti) non aliud requiritur quam, ut suum objectum aliàs multiplex reddat definibile unica definitione formali. Jam minor probatur. Eo ipso, quod individua appareant similia in specie, apparent definibilia unica definitione formali, quocirca natura tota apparet capax, ut definiatur unica definitione; Sed quamquam natura appareat multiplex, possunt individua apparere similia in specie, ut patet: ergo.

79. Ob duas priores rationes, retractavit hic Author sententiam, quam olim suis Discipulis tradiderat. Sed immeritò. Ad objectionem, nego majorem, si sermo sit de illa prædicatione consistente in actu intellectus simplicis, atque indivisibili. Ad probationem distinguo majorem: Ad modum *Unius* unitate positivè excludente à se ipsa multipliciter formalem, concedo majorem, alia unitate nego majorem, & distinguo secundam partem minoris. Tangit omnia individua ad modum unius unitate positivè excludente multipliciter formalem in se ipsa, nego (quippe ista prædicatione formaliter, & expressè multipliciter naturam, proindeque ista prædicatione non est unitas positivè excludens in se ipsa multipliciter formalem.) Unitate alia, concedo minorem, & nego consequentiam.

80. Ad probationem, vel distinguo majorem terminis jam datis, vel nego illam. Igitur ut tendentiæ aliqua naturam constituat universalem, sat non est, quod utrumque attingat multa per modum unius; Aliàs cum etiam hi termini *Collegium, Populus* aliquomodo attingant per modum unius multa individua, sequeretur, quod constituerent universale suum objectum; Requiritur ergo, quod attingat cuncta individua per modum unius unitate positivè excludente à se ipsa multipliciter formalem, hoc est unitate non representandi clarè ullam multipliciter; Cujus ratio est, quam supra diximus num. 64. quæque hic repetenda est.

81. Ad confirmationem nego consequentiam. Disparitas est. Tendentiæ disjunctivæ, non constituitur per exclusionem tendentiæ

tæ

tia determinata, ut bene probat; Cæterum tendentia constitutiva naturæ in esse universalis intrinsecè constituitur per carentiam repræsentationis claræ multiplici- tatis, quippè intrinsecè constituitur per id, quod sit unitas naturæ, & aliæ unitates distinctæ à carentia repræsentationis multiplici- tatis, vel sunt impossibiles, vel insufficientes, vel impertinentes, ut constat ex illo numero 64. Ad 2. nego suppositum antecedentis, nam cum in hac quæstione, ut jam monui, loquamur de actuali prædicatione, quæ sit actus simplex ac indivisibilis, non datur locus, ut ista prædicatione significet multiplici- tatem *ex parte* subjecti, & non *ex parte* prædicati, scilicèt quia partes non habet. Ad 3. nego majorem. Quoniam, ut tota natura appareat capax, ut definiatur unica definitione, sufficit, quod individua illius appareant similia in specie: Rursus, quod appareant similia in specie tantùm, probat unitatem fundamentalem, non verò unitatem formalem, quæ indispensabiliter desideratur ad universale; Ergo quòd tota natura appareat definibilis unica definitione requiritur quidem;

82. Sed non sufficit ad hoc, ut habeat unitatem requisitam ad universale. Siquidem etiam apparent definibilia definitione unica individua illa, quæ constituunt Populum, Collegium, Senatum, Regnum, Civitatem, quia hæc non constituuntur ex heterogeneis intrinsecè individuis, puta homines, & canes; sed ex homogeneis. Et tamen hi conceptus non constituunt naturam humanam universalem. Ad probationem nego illam: verum est, quod conceptus univocus qua talis proponit naturam definibilem unica definitione; ast non eo ipso, quod proponat naturam sic definibilem est conceptus univocus, ut patet in nuper dictis, quia ulterius desideratur, quod non repræsentet adhuc in communi multiplici- tatem naturæ. Unde signanter diximus num. 55. metaphysicum considerare in universali unitatem, *ita ut omnia inferiora illius &c.* quia nec quævis unitas, nec quævis definibilitas per unicam definitionem sufficit. Sed unitas quæ sit hæc definibilitas. Unitas stat in eo quod nec confusè appareat multitudo. Definibilitas in eo quod non appareat diversitas essentialis: Potest autem non apparere hæc, & apparere illa, ut patet in his terminis, Collegium, Civitas, Populus, &c.

§. IV.

83. **D**ico 3. Quod prædicta signa universalis, vel particula- ria immediatè afficiunt subjectum alicujus prædicationis, non impedit universalitatem prædicati, si hoc aliàs capax fuerit universalitatis. Et loquamur de aliqua ex his prædicationibus. *Omnis homo est Animal, Aliquis Homo est Animal, Nullus Lapis est Animal.* Argumentor sic: Eatenus præfata signa immediatè cadentia supra subjectum impedirent universalitatem prædicati, quatenus ex se, atque essentia sua significarent saltè in communi multiplici- tatem illius prædicati, loquimur enim juxta communem sententiam docentem actibus intellectus essentialè esse significare, quod significant. Sed non significant. Probatur. Si prædicta signa mentalia (de his est sermo) ex se, atque essentia sua significarent multiplici- tatem prædicati, significarent illam verè, aut sal- tès in quacumque prædicatione, in qua afficerent immediatè subjectum. Sed non contingit hoc. Probatur. In his prædicationibus. *Omnis persona Divina est Deus; Nullus Lapis est Deus,* immediatè afficiunt prædicta signa subjectum, & tamen non significant adhuc in communi multiplici- tatem prædicati; Aliis prædictæ prædicationes essent falsæ, eò quòd in illis multiplicaretur formalitèr Deus; Ergo.

84. Explicatur, Si prædicta signa mentalia haberent ex se si- gnificare saltè in commune multiplici- tatem termini, supra quem immediatè cadunt, nequirent salva veritate cadere mediatè supra terminum prorsùs singularem; sed possunt, ut constat exemplo nuper producto; Ergo. Major est certa; Nam idèd non possunt salva veritate cadere immediatè supra terminum omninò singularem, quia ex se habent juxta communem illam sententiam significare, saltè in communi multiplici- tatem termini, supra quem immediatè cadunt; ideoque nequimus verè dicere: *Omnis Deus est Omnipotens, Nullus Deus est Omnipotens.* Ergo si &c.

85. Et hinc refellitur prima solutio, quam possunt adhibere contrarii, videlicèt prædicta signa significare multiplici- tatem termini, supra quem mediatè cadunt, si ille terminus fuerit multiplici- tationis capax; Secùs si incapax. Cumque hic terminus *Animal* sit capax multiplicationis; secùs hic terminus *Deus*, ideo dicta signa significant multiplici- tatem, quando mediatè afficiunt hunc termi-

terminum *Animal*, sedis quando mediatè afficiunt hunc terminum *Deus*. Refellitur, inquam, tum quia, ut supra dictum est, quod subiectum sit, vel non sit capax multiplicationis, non est legitima regula ad cognoscendum, an propositio significet, vel non significet expressè multipliciter in illo objecto; tum quia, si prædicta signa mentalia haberent ex se significare expressè multipliciter illius termini, supra quem mediatè cadunt, illam significarent, etiam si terminus ille foret multipliciter incapax: quemadmodum illam significant in termino, supra quem immediatè cadunt, tametsi terminus hic sit multipliciter incapax, ut nuper vidimus, & ideo significatio evadit falsa.


86. Respondebis 2. Hanc prædicationem *Nullus Lapis est Animal* distribuere prædicatum, eò quòd juxta principia dialecticæ, negatio distribuatur quidquid post se invenit distributionis capax; Ergo hæc prædicatio significat expressè multipliciter prædicati, proindeque non constituit illud universale. Sed contra. Aliud est, quod hæc prædicatio distribuatur formaliter, & expressè prædicatum, aliud autem, quod ipsum distribuatur objectivè, sed æquivalenter, quoad veritatem. Si contingeret primum, non constitueret prædicatum universale; Cæterum non contingit, neque tu id probas, imò probatu difficile est: Nam cum modus tendendi hujus prædicationis, *Nullus Lapis est Animal*, sit prorsus æqualis modo tendendi hujus alius, *Nullus Lapis est Deus*, si hæc secunda non distribuatur formaliter, & expressè ex se prædicatum, cur illa prima? Contingit ergo secundum, sed non impedit universalitatem prædicati, siquidem non præstat, quod ea prædicatio significet quoad nos multipliciter naturæ Animalis.

87. Respondebis 3. Ex vi solius conversæ potest intellectus, devenire inconvertentem; at convertens hujus propositionis *Nullus Lapis est Animal*, debet esse hæc *Nullum Animal est Lapis*, ut constat ex dialectica: Ergo ex vi præcisè illius propositionis, potest intellectus devenire in hanc. Sed hæc clarè, & expressè proponit multipliciter naturæ Animalis; Ergo ex vi præcisè illius primæ potest intellectus devenire in cognitionem expressam multipliciter. Respondeo antecedens esse falsum. Quoniam ut intellectus rectè convertat aliquam propositionem, opus est novisse suppositiones, ampliationes, singularitatem &c. prædicati, quod habeat propositio conversa (alioquin ex conversa vera deducet convertentem falsam. Si enim hanc propositionem: *Nullus Lapis est Deus* intellectus

lectus convertere sic *Nullus Deus est Lapis*, aut sic *Aliquis Deus non est Lapis*, conversa foret vera, & convertens falsa.) Atqui ex vi solius conversæ non semper agnoscit intellectus suppositiones, amplitudinem, singularitatem &c. prædicati; Ergo non semper ex vi solius conversæ, potest intellectus devenire in convertentem. Quod si dixeris legitimam convertentem hujus propositionis, *Nullus Lapis est Animal* esse hanc. *Nil quod fuerit Animal est Lapis*: quemadmodum legitima convertens hujus propositionis *Nullus Lapis est Deus*, est hæc: *Nil quod est Deus est Lapis*, si inquam id dixeris transeat, sed non infertur assumptum: quippè ista convertens non significat clarè, & expressè multipliciter naturæ Animalis & sicut nec altera multipliciter naturæ divinæ.

CAPUT QUINTUM.

Princeps conclusio cum objectionibus.

88.  Arum, vel nihil est difficultatis in prædicationibus, quarum subiectum, & prædicatum sunt termini æquales, nullo signo quantitativo affecti, v. g. *Homo est visibilis*. Planum namque videtur per has prædicationes constitui universales naturas significatas per subiectum, atque prædicatum; Siquidem id generis prædicationes, attingunt rationes objectivas à parte rei capaces multiplicationis, ut ponimus, & aliunde non proponunt clarè, & expressè multipliciter harum rationum; Tota ergo difficultas devolvitur ad prædicationes in quibus prædicatum aliàs universale affirmatur de duobus, vel tribus inferioribus significatis per proprios conceptus, v. g. *Petrus est homo, Homo, & Equus sunt Animal. Omnis Homo est Animal*.

89. Sit nostra conclusio absolutè affirmativa, scilicet in his prædicationibus naturam Animalis perseverare universalem simpliciter respectu omnium suorum inferiorum. Probatur. Omnis conceptus attingens rationem objectivam Animalis à parte rei convenientem omnibus Animalibus, & ulterius non proponens clarè, ac expressè multipliciter naturæ Animalis, constituit universalem simpliciter respectu omnium inferiorum naturæ Animalis. In his quippè solis duobus prædicatis consistit tota essentia formæ constitutivæ universalis, sicut in his solis duobus *Animal rationale* fiat

tota essentia hominis ut supra dictum. Sed hæc prædicatio *Omnis Homo est Animal* (idem de cæteris) in primis attingit rationem Animalis omnibus, & singulis Animalibus convenientem: deinde non proponit *expressè*, ac *clarè* multiplicatam naturæ Animalis; Ergo. Tota difficultas est in utraque parte hujus minoris.

90. Probo primam. Quoties aliquis terminus ex se significat cunctas species, atque individua Animalium, perseverat in hac ampla significatione, ni detur speciale impedimentum. Sed hic terminus mentalis *Animal* ex se significat cunctas species, atque individua Animalis. (Juxta communioem illam opinionem docentem, essentialè esse actibus intellectus significare quod significant: Juxta quam sententiam adversariorum loquor in præsentia.) Præterea in hac prædicatione; *Omnis Homo est Animal* nullum datur speciale impedimentum hujus amplæ significationis. Probatur. Si aliquod daretur impedimentum maximè, quia sequeretur fore, ut hæc prædicatio dicta affirmaret de Hominibus cunctas species, atque individua Animalium, proindeque esset prædicatio falsa. (Hic fundamento innituntur præcipuè Adversarii.) Sed hoc nullum est. Probatur. Hæc prædicatio, *Omnis Homo est aliquod Animal* est prædicatio vera, & tamen attingit, affirmatque de singulis Hominibus cunctas species, atque individua Animalium, siquidem per omnia illa vagatur; Ergo stat benè, quod actualis prædicatio aliquo modo affirmet de singulis Hominibus cunctas species, atque individua animalium, & tamen, quod sit vera illa prædicatio.

91. Et ratio est. Aliud est affirmare de singulis Hominibus cunctas species, atque individua Animalium sumpta distributivè, vel copulativè; & aliud affirmare illa sumpta disjunctivè, vel indefinitè. Si de singulis hominibus affirmaret cuncta Animalia sumpta distributivè, sed copulativè falsa esset prædicatio, namque affirmaret singulos Homines identificari cum hoc Animali, & cum hoc Animali &c. sed identificari cum complexo ex omnibus Animalibus; Cæterùm prædicatio, quæ dumtaxat affirmat singulos Homines identificari cum omnibus Animalibus sumptis disjunctivè, non est falsa, quia dumtaxat enunciat singulos Homines identificari, cum hoc Animali, vel cum hoc &c. Quod verum est: similiter prædicatio, quæ tantum enunciat singulos Homines identificari cum singulis animalibus sumptis indefinitè, non est falsa. Quoniam præcisè enunciat singulos Homines participare rationem objectivam

signi-

significatam per hunc conceptum *Animal*. Quod quidem verum est. Dicimus ergo hanc prædicationem. *Omnis Homo est Animal*, attingere, affirmareque de singulis Hominibus omnia Animalia, non quidem distributivè, sive copulativè, sed indefinitè sumpta; ergo dicta prædicatio non est falsa, tametsi attingat cuncta animalia.

92. Urgetur. Casu, quo hæc prædicatio constaret apprehensionibus distinctis (ut de facto contingere multi credunt cum P. Izquierdo, & saltem possibile esse abs jure negabitur) hæc prædicatio foret vera; sed in eo casu illa apprehensio *Animal*, quæ poneretur ex parte prædicati attingeret cuncta animalia. Siquidem attingeret illa, quando talis apprehensio foret à cæteris apprehensionibus separata, & ob accidentalem conjunctionem sui cum illis nequit amittere suam, quæ essentialis supponitur à vobis, significationem; ergo stat benè, quod prædicatio dicta attingat cuncta Animalia, & tamen sit vera; ergo si unicum impedimentum, aut saltem præcipuum, ne in hac prædicatione *Omnis homo est Animal* attingantur omnes species, atque individua animalium, est, quia inde sequeretur hanc prædicationem fore falsam, cum hoc non sequatur, restat nullum esse impedimentum amplæ hujus significationis, quam ex se habet terminus *Animal*.

93. Urgetur 2. Veritas hujus prædicationis, *Omnis homo est Animal* est metaphysicè connexa cum veritate alius prædicationis affirmantis omnem hominem esse animal, & simul tangentis ex parte objecti cunctas species, atque individua animalis; ergo veritas hujus prædicationis non est impedimentum, ne per ipsam tangantur cunctæ species, atque individua Animalium. Probatur antecedens veritas dictæ prædicationis est metaphysicè connexa cum veritate hujus *Omnis homo est aliquod Animal* (nam ut verè supponit P. Izq. à termino singulari benè arguitur ad disjunctivum: quamobrem etiam si animal significatum per dictam prædicationem foret Animal singulare, benè argueretur sic *Omnis homo est Animal*; ergo *omnis homo est aliquod Animal*.) Sed hæc prædicatio, *Omnis homo est aliquod Animal* vera est, atque attingit cunctas species, atque individua animalium, ut est certum: ergo veritas hujus prædicationis *Omnis homo est Animal* connectitur cum veritate alius propositionis affirmantis, *Omnem hominem esse Animal*, & attingentis cunctas species, atque individua animalium: ergo quod ipsa sit vera non est impedimentum &c. Et hæc de prima parte minoris illius syllogismi positi num. 89.


94. Probo jam secundam partem, scilicet hanc prædicationem: *Omnis homo est Animal* non repræsentare expressè multiplicatam naturam Animalis. Modus tendendi hujus prædicationis. *Omnis homo est Animal* est prorsus similis, atque æqualis modo tendendi hujus. *Omnis Persona Divina est Deus*, ut per se patet. Sed hæc secunda non habet per suam essentiam repræsentare clarè, & expressè multiplicatam Dei, sed tantummodò eorum quæ sunt Deus; ergo neque prima prædicatione habet per suam essentiam repræsentare clarè multiplicatam animalis, sed tantum eorum, quæ sunt animal, nempe hominum; ergo non repræsentat re vera talem multiplicatam, quivis namque actus habet juxta adversarios per suam essentiam significare, quod significat. Neque dicas rem logicam, & humilem non debere explicari Mysterio sublimi Trinitatis; quoniam licet istud sit verum de explicatione *ponente in re humili, & logica totam arduitatem illius Mysterii*. Est falsum de explicatione id non faciente. Et talis est nostra: quis enim dicat, sequi duo realiter identificata cum eodem tertio non identificari realiter inter se, ex eo quòd hæc prædicatione, *Omnis homo est Animal* non debeat per solam suam essentiam significare expressè multiplicatam naturam animalis? ex præcisione cognitionis nostræ sequiturne quippiam in objectis?

95. Neque venit ad rem responsio recurrendi ad incapacitatem multiplicationis, quam habet natura Divina, secus natura animalis. Nam, ut supra dictum est, multiplicitas, atque immultiplicitas objecti non est legitima regula ad cognoscendum, quando actus intellectus significat, vel non significat expressè multiplicatam, ut constat exemplis ibidem adductis. Dices 2. Ex vi præcisè harum tendentiarum. *Omnis persona Divina est Deus. Pater & Verbum sunt Deus* eliceret intellectus multiplicatam naturam divinam, nisi per fidem cohiberetur: ergo etiam ex vi præcisè hujus tendentiæ. *Omnis homo est Animal*, & hujus *Homo*, & *Equus sunt animal* deprehenderet intellectus multiplicatam naturam animalis, nisi per fidem cohiberetur; Sed non cohibetur, ut est certum: ergo ex vi præcisè harum tendentiarum deprehendet intellectus multiplicatam animalium; ergo quia hæc tendentiæ per se præcisè proponunt clarè, & expressè multiplicatam naturam animalis.

96. Nego antecedens si loquamur, ut in præsentem loquimur de intellectu jam sciente esse possibilem in genere distinctionem virtualem, aut formalem ex natura rei: tum quia ex vi præcisè antecedentem,

cedentis, quod omninò præcindit à multiplicitate naturæ Divinæ nequit intellectus colligere hanc multiplicatam, tametsi per fidem non cohiberetur; At istæ tendentiæ omninò præcindunt à multiplicitate naturæ Divinæ, cum omninò præcendant ab eo, quòd natura Divina distinguatur, vel non distinguatur virtualiter, sive alio æquivalente modo ab eis, cum quibus identificatur: ergo. Tum quia vel dicis istas tendentias per se præcisè, atque essentia sua significare mediatè, aut immediatè multiplicatam naturam divinam: vel dicis illas per se præcisè, ac secundum suam essentiam inspectas præcindere à significando multiplicatam clarè, & expressè; Si primum, sequuntur duo absurda, unum est, istos modos tendendi essentiam suam esse falsos, siquidem essentiam suam significabunt clarè, & expressè multiplicatam naturam divinam: Alterum est, fidem docere veritates contra essentiam, & naturam rerum, siquidem fides docet, istos modos tendendi esse veros, & non significare ullatenus multiplicatam naturam divinam, quod censet contrarium naturam eorundem.

97. Si propterea eligas secundum membrum dilemmatis, quod sanè verum est: sic argumentor: ergo ex istis tendentiis præcisè, ut talibus, malè deduceret intellectus conscius, esse possibilem alterutram illam distinctionem, multiplicatam naturam divinam, etiam si per fidem non flecteretur in oppositum. Quippè malè ratiocinatur mens humana, quoties deducit aliquem conceptum ex antecedenti, quod per se præcindit à significando mediatè, & immediatè ipsum conceptum. Igitur sicut ex eo præcisè, quod Petrus sit ens, malè concluditur determinatè esse ens creatum, quamvis aliundè sit evidens, esse ens creatum, scilicet, quia ens præcisè est indifferens ad creatum, & increatum. Ita ex eo præcisè quod natura aliqua communicetur pluribus, malè concluditur determinatè, illam esse multiplicem, quamvis aliundè sit evidens, illam esse multiplicem, scilicet quia hoc, quod est *communicari multis* est ratione nostra indifferens ad communicationem sine sui multiplicitate (ut convenit naturæ divinæ) & ad communicationem per sui multiplicatam, ut à parte rei accidit in creatis. Sed hoc aliundè, quàm ex mera illa tendentia, est nobis notum.



§. II.

98. **J**am ratio mihi à priori est. Nulla tendentia formaliter præscindens à multiplicitate naturæ Animalis, significat clarè, & expressè talem multiplicitatem. Sed hæ tendentiæ. *Omnis Homo est Animal, Homo, & Equus sunt Animal* formaliter præscindunt à multiplicitate naturæ animalis, licèt proponant ipsam, ut identificatam cum multis. Probat. Omnis tendentia ita proponens naturam aliquam, ut identificatam cum multis, ut omninò præscindat ab eo, quod natura illa distinguatur virtualiter (idem de distinctione formali ex natura rei) vel non distinguatur virtualiter at illis multis, omninò præscindit à multiplicitate illius naturæ saltem respectu intellectus scientis in genere possibilitatem, & energiam ejus distinctionis. Sed dictæ tendentiæ ita proponunt naturam animalis identificatam cum multis, ut omninò præscindant ab eo, quod illa distinguatur virtualiter, vel non distinguatur virtualiter ab illis multis, quandoquidem ex vi præcisè harum tendentiarum, nequit intellectus assequi, an natura animalis distinguatur, vel non distinguatur virtualiter ab hominibus; Ex hoc quippè antecedente *Omnis homo est Animal*, nisi aliud adjungatur, ineptè argueremus animal distingui, aut animal non distingui virtualiter ab hominibus; ergo.

99. Probo majorem. Omnis tendentia præscindens ab eo, quo posito, natura non esset multiplex, & quo ablato natura esset multiplex, præscindit ab eo, quod natura sit multiplex, vel non sit multiplex. Sic quia albedo est forma, qua posita in pariete, paries est albus, & quâ ablata paries non est albus, idèd quicumque actus præsciderit ab eo, quod detur, vel non detur albedo in pariete, præscindit ab eo, quod paries sit albus, vel non sit albus. Sed distinctio virtualis (idem respectivè dic de aliis similibus distinctionibus) inter naturam, & subjecta, quibus communicatur natura, est illud, quo posito, natura non esset multiplex (ut contingit in divinis, ubi natura non est multiplex, licet identificata cum multis, eo titulo, quod distinguatur virtualiter ab illis multis) & quo ablato, natura esset multiplex, ut realiter contingit in creatis, ubi natura animalis, v. g. est realiter multiplex, quia ita identificatur cum multis, ut ab illis non distinguatur virtualiter; ergo omnis actus ita proponens naturam identificatam

cum

cum multis, ut præscindat ab eo, quod talis natura distinguatur, vel non distinguatur virtualiter, vel alio simili modo, ab illis multis, præscindit ab eo, quod natura sit, vel non sit multiplex, quamvis illa à parte rei sit multiplex, & aliundè hoc evidenter sciatur.

100. Explicatur. Naturam aliquam esse à parte rei multiplicem non stat præcisè in eo, quod natura illa à parte rei identificetur cum multis (alioquin natura divina, quæ à parte rei identificatur cum multis, esset à parte rei multiplex,) sed ulterius dicit, quod natura illa non distinguatur virtualiter, vel alio simili modo ab illis multis: si enim virtualiter distingueretur, non esset à parte rei multiplex, licèt à parte rei identificaretur cum multis; ergo naturam aliquam esse mentaliter, sed ratione nostra multiplicem, non stat præcisè in eo, quod natura illa clarè appareat identificata cum multis, sed ulterius addit, quod appareat, ut non distincta virtualiter ab illis multis. Ergo actus ille, per quem, licèt natura appareat identificata cum multis, nihilominus non appareat ut distincta virtualiter verbi gratia ab eis multis est actus, per quem non apparet ut multiplex; Sed tales sunt illæ prædicationes, *Omnis Homo est Animal, &c.* Ergo, &c.

101. Respondebis I. Nos falsum assumpsisse medium. Nam fieri potest, ut cognitio præscindat omninò à distinctione virtuali naturæ cum suis inferioribus, & nihilominus repræsentet clarè, & expressè multiplicitatem illius naturæ, ut videri potest in hac prædicatione. *Omnis Homo est aliquod Animal.* Respondeo. Verum est posse id contingere, quando terminus mentalis significans illam naturam immediatè afficiatur signo distributivo, aut disjunctivo; Cæterum quando hoc non contingit, & solum probatur actualem prædicationem repræsentare expressè multiplicitatem naturæ ex eo quod proponat illam naturam identificatam cum multis, si præscindatur à distinctione virtuali inter naturam, & illa multa non concluditur illam prædicationem repræsentare clarè multiplicationem illius naturæ. Et hoc contingit impræsentiarum. Solum potest probari hanc prædicationem: *Omnis Homo est Animal*, repræsentare clarè multiplicitatem naturæ animalis, ex eo quod clarè proponat hanc naturam identificatam cum multis. Hinc advenit nostra ratio à priori, scilicet ex hoc capite non bene probari assumptum, siquidem dicta prædicatione omninò præscindit ab eo, quod natura Animalis distinguatur, vel

non

non distinguatur virtualiter ab eis multis, quibuscum identificatur.

102. Respondebis 2. Præfata prædicatio clarè repræsentat multipliciter eorum, qui sunt Animal; eò quòd repræsentet multipliciter hominum. Cur igitur non repræsentat clarè, & expressè multipliciter Animalium? Respondeo. A parte rei datur multipliciter eorum, qui sunt Deus. Cur ergo non datur à parte rei multipliciter Deorum? Sanè non ab aliam causam, nisi quia datur distinctio virtualis, aut alia æquivalens, quam malueris, inter Deum, & Personas, quæ sunt Deus; atque idcirco licèt à parte rei detur multipliciter eorum, qui sunt Deus, non tamen datur multipliciter Deorum. Similiter in ordine apparentiæ, sive repræsentationis; Verum est dictam prædicationem expressè repræsentare multipliciter eorum, qui sunt Animal, quia tamen prorsus præscindit in suo modo tendendi ab eo, quòd detur, vel non detur distinctio virtualis inter naturam Animalis, & illos qui sunt Animal; idèò præscindit ab eo, quòd natura Animalis sit, vel non sit multiplex. Præscindit inquam respectu intellectus jam scientis in genere possibilitatem distinctionis dictæ.

103. Respondebis 3. De conceptu formæ constituentis naturam universalem est abstrahere, sèu præscindere naturam à suis inferioribus; Ergo cognitio, quæ non abstrahit, sed potius contrahit naturam ad sua inferiora, nequit esse forma constitutiva universalis; At dicta prædicatio non abstrahit, sed potius contrahit naturam ad inferiora; Ergo. Respondeo. De conceptu formæ constituentis universale solummodò sunt duo prædicata, quæ toties inculcavimus, nempe unum positivum, scilicèt attingere naturam à parte rei multiplicem, alterum negativum, nempe non proponere clarè, & expressè illius naturæ multipliciter, nam hoc ipso, quòd non proponat clarè hanc multipliciter, constituit mentaliter unam illam naturam, capaceque definiti unica definitione in sensu explicato supra. Ergo quæcumque alia prædicata adsint, vel desint, modo hoc duo perseverent non obstant, quominus cognitio sit forma constitutiva universalis. Dicimus ergo dictam prædicationem contrahere quidem naturam ad sua inferiora, attamen non proponere clarè, & expressè multipliciter ob rationem supra datam. In forma distinguendæ sunt propositiones. Est præscindere naturam à suis inferioribus præcisione attingente rationem à parte rei multiplicem, & non proponere clarè talem multipliciter,

tem, concedo: alia præcisione nego. Et similiter explicandum est illud de contractione, de qua postea.

104. Respondebis 4. Cum homo sit formaliter Animal rationale, necesse est, quòd ex vi præcisè hujus prædicationis *Omnis homo est Animal*, possit intellectus sic dicere: Hic homo est Animal, & hic homo est animal &c. Undè potest intellectus sic ultra progredi: *Hoc Animal rationale est Animal, & hoc Animal rationale est Animal, &c.* Ecce jam multipliciter naturæ Animalis; Ergo ex vi præcisè hujus tendentiæ prædictæ, potest intellectus deprehendere multipliciter naturæ animalis; Jam monui disputationem præsentem, sicut disputationem de identitate, ac distinctione formali, non procedere de rebus, prout sunt in seipsis, sed esse reflexas, procedereque de rebus prout apperentibus per actus intellectus, & quidem non per quoscumque, sed per tales, & tales, de quibus fuerit sermo, v. g. Non disputamus, an natura Animalis sit à parte rei multiplex? Neque an multipliciter hæc sit evidens? sed præcisè, an sit evidens ex vi præcisè hujus prædicationis: *Omnis homo est Animal.*

105. Hoc notato dico: Aliud est, quòd homo sit formaliter Animal formalitate stante in sola prædicta prædicatione. & aliud est, quòd sit formaliter Animal, formalitate alibi stante. Hoc secundum est verum, illud primum est falsum. Nam licèt certum atque evidens sit, hominem esse formaliter Animal, non tamen est certum, atque evidens ex vi præcisè hujus tendentiæ; *Omnis homo est Animal*: Quoniam, qui ex vi præcisè hujus prædicationis argueret hominem esse formaliter Animal, malè argueret; Ergo licèt ex vi dictæ prædicationis possit intellectus sic inferre: *Hic homo est Animal, & hic homo est Animal*; at vero ex vi præcisè dictæ prædicationis, non potest intellectus sic inferre: *Hoc Animal rationale est Animal, & hoc Animal rationale est Animal*, sed tantum ex vi dictæ prædicationis, & aliorum principiorum, ex quibus didicimus Hominem esse formaliter Animal.

106. Respondeo 2. Quòd licèt homo esset formaliter Animal, & hoc ex vi præcisè dictæ prædicationis, nihilominus ex illa sola non posset intellectus, conscius possibilitatis in genere distinctionis virtualis, aut formalis ex natura rei sic deducere: *Hoc Animal rationale est Animal, & hoc Animal rationale est Animal*, sed sic; hoc, quòd est animal rationale est animal &c. Ecquodnam est discrimen inter utrumque discursum? Ingens, quòd facillimè explicatur. Persona Divina sub hoc conceptu adæquato *Persona Divina* est formaliter

maliter Deus, & tamen ex vi hujus prædicationis: *Omnis Persona Divina est omnipotens*, non valet intellectus sic descendere. *Hic Deus est omnipotens, & hic Deus est omnipotens*, alioquin descensus foret falsus, quippè qui expressè multiplicaret Deitatem.


107. Solum ergo ex ea prædicatione potest intellectus sic descendere. *Hæc Persona, quæ est Deus, est omnipotens, & hæc Persona, quæ est Deus, est omnipotens, &c.* Cujus ratio est; Quoniam licet Persona Divina sub hoc conceptu sit formalissimè Deus; Attamen sub hoc solo conceptu non multiplicat formaliter Deitatem: nam quamquam sub hoc conceptu proponat identitatem sui cum Deo; nihilominus sub hoc conceptu non reiicit distinctionem virtuales sui à Deo. Idem in præsentī. Transeat hominem sub hoc conceptu *Omnis Homo est Animal* esse formaliter Animal rationale; attamen sub hoc conceptu non multiplicat formaliter naturam Animalis, nimirum quia sub hoc conceptu non reiicit distinctionem virtuales sui à natura Animalis; Ergo ex vi præcisè hujus prædicationis, non potest intellectus facere descensum objectum, sed solum descensum à nobis expositum. Denique respondebis, quod jam supra rejectum est, nimirum hunc recursum ad excelsum Trinitatis mysterium non decere logicos. Sed jam distinxī inter recursum, sive explicationem ponentem in re logica arduitatem illius mysterii: & non ponentem. Primum non decet: at non facimus primum. Secundum est quod facimus. Et non est cur dedecet. 1. Quia ex fide didicit non pauca lumen naturale, & ex illo eodem mysterio novimus, quo sensu sint metaphysica principia illa. *Quæ sunt eadem unitertio. Quæ repugnant uni tertio.* Item quo modo fieri debeant conversiones logicæ, ut notavi disp. 2. Dialecticæ. 2. Quia illud esse mysterium, non tollit, quod sit verum. Unum autem verum utile est ad explicandum aliud verum.

3. Quia in præsentī non dicimus, quod est; sed quod *apparet, aut non apparet*. Absurdum autem non est, quod ex vi præcisè unius nostri actus *appareat*, aut non *appareat* aliquid quod est in Deo.



CAPUT SEXTUM.

Duc Classes objectionum.

108.  Ardo totius doctrinæ hucusque productæ super duas veritates versatur. Altera est actuales prædicationes, quarum hætenus meminimus, tangere ex parte objecti naturam omnibus convenientem. Altera est, easdem prædicationes non proponere clarè, & expressè ejusdem naturæ multiplicatam; Idcirco argumenta contraria in duos redigam ordines, alterum eorum, quæ intendunt per actuales prædicationes non tangi naturam re ipsa convenientem omnibus omnino inferioribus: alterum eorum, quæ suadent actuales prædicationes supra scriptas repræsentare clarè, & formaliter multiplicatam naturæ. Objicies ergo 1. tum ex P. Izquierdo, tum ex RR. Omne judicium eam solam naturam attingit ex parte objecti, quam prædicat de subjecto; At judicium hoc *Petrus est Homo* non prædicat de Petro naturam aliorum hominum, sed præcisè naturam humanam singularem existentem in ipso Petro, ergo hoc judicium non attingit ex parte objecti naturam aliorum hominum, & similiter ea prædicatio: *Omnis homo est Animal*, non attingit ex parte objecti naturam omnium Animalium; sed eam solam, quæ est in hominibus.

109. Major multifariam probatur. 1. Ex D. Thoma sic agente: *Homo, qui prædicatur de Sorte idem est cum Sorte, & qui prædicatur de Platone. idem est cum Platone, cum prædicatum insit subjecto;* Quod addit esse verum, licet *Homo non prædicetur de Sorte, secundum quod est particularis*; Id est: licet homo non prædicetur affectus termino *hic*. At hoc est falsum, si judicium prædictum non prædicaret de Petro solam naturam ipsius Petri: Nam si aliorum quoque hominum naturas prædicaret de Petro, fieret, quod prædicaret de Petro illud quod non est Petrus, siquidem hic non est natura aliorum Hominum. Ergo. 2. Nullum judicium singularizans mentaliter, etsi non expressè ex parte actus, naturam, constituit hanc universalem, proindeque non tangit naturas cæterorum hominum; At prædictum judicium est id generis: Nam hoc pacto rectè explicatur modus, quo per actuales prædicationes, natura

Disp. 17.
Pbari nu-
mer. 81.

Opust. 56.

quæ prius erat confusa contrahatur ad inferiora unicuique tribuendo quod suum est; ergo.

110. 3. Judicium eam solam naturam prædicat de Petro, quam per apprehensionem simplicem comparativam, præviãque ad judicium agnovit intellectus Petro convenire; At præviã ad judicium prædictum agnovit intellectus convenire Petro solam naturam singularem. Agnovit quippè Petrum, ut talem, aliàs de Petro ut tali nil prædicaret; Petrus autem ut talis formaliter exprimit solam suam naturam singularem, nam Petrus idem est formaliter, atque hic Homo. Ergo. 4. Sequitur, quod etiam per definitionem Hominis *Animal rationale*, constitueretur universalis natura animalis; Item natura humana per hoc judicium: *Hic homo est homo*.

111. Hoc argumentum, cui multum fidunt contrarii, duo manifestè falsa probare videtur, Primum est hoc judicium *Petrus est Homo*, idem respectivè de istis aliis, fore falsum in hypothesi, quod ex apprehensionibus realitè distinctis coalesceret; Nam per vos, ut judicium sit verum, opus est affirmare de subjecto illam solam naturam, quæ identificatur cum illo; At judicium hoc in hypothesi dicta aliquomodo affirmat de Petro non solam naturam identificatam cum illo, verum etiam omnes alias naturas humanas; Nam affirmat de Petro illud, quod significatur per terminum *Homo*. Et per eum significantur omnes naturæ humanæ, siquidem per eum significaretur, si talis apprehensio foret separata ab aliis duabus, & ob accidentalem conjunctionem sui cum aliis duabus apprehensionibus, nequit amittere suam significationem, utpotè sibi essentialem, juxta sententiam adversariorum, longè probabilius dicentium, omnem actum intellectus per suam essentialitatem habere significare id quod significat, de qua re egimus disp. 1. Dialectico. Ergo.

112. Porro præfatum judicium, quamquam ex tribus apprehensionibus compactum, verum est, nempe quoniam de Petro non affirmaret omnes naturas humanas distributivè, aut copulativè acceptas, sed dumtaxat indefinitè acceptas modo explicato capite antecedenti. Idem dicimus in præsentis de isto judicio, licèt simplex sit, atque indivisibile. Secundum, quod probat objectio, est. Hoc judicium. *Petrus est aliquis Homo*, fore quoque falsum cum non affirmet de Petro solam naturam ipsi intimam, sed etiam omnes alias humanitates, Quod ergo vos dixeritis de hoc judicio æquivalenter

valenter disjunctivo, dicam ego de judicio indefinito respectu naturæ humanæ, qualis est hoc *Petrus est homo*.

113. Ad objectionem concedo illam totam si procedat de prædicationibus verbalibus, juxta quartum notatum numero 68. *fin.* de mentalibus, nego minorem, sed potius distinguo illam. Non prædicat de Petro naturas aliorum Hominum *distributivè*, sed *copulativè* acceptas, concedo minorem, quippè esset judicium falsum, *indefinitè*, sed modo æquivalenti disjunctioni suppositas; nego. Ad probationem quidquid sit, num opusculis omnibus D. Thomæ certa omninò fides debeat, ob rationem Eminentissimi P. Bellarmini, respondeo, textum illum non esse canonem universalem Sancti illius Doctoris, siquidem voluntas potest injungere intellectui judicium, quod sit verum, & non prædicet de Sorte eum solum hominem, qui est in Sorte; hoc nempe judicium: *Sortes est aliquis homo*. Sed esto verbis illis præscribi regulam universalem, distinguo majorem. Homo, qui prædicatur de Sorte idem est cum Sorte, eo modo quo prædicatur de illo, concedo majorem; diverso modo, nego majorem, & nego quoque minorem. Hujus probationi respondeo; si illud judicium prædicaret de Petro aliorum hominum naturas distributivè, aut collectivè suppositas, (quod minimè dico,) esset falsa sententia Divi Thomæ; secus si prædicat de Petro aliorum naturas indefinitè acceptas; Nam Petrus identificatur cum aliorum hominum naturis indefinitè, atque disjunctivè suppositis ob rationem datam numero 91. Recognosce illam.

114. Ad secundam probationem; Nego minorem; Ad probationem dico. Per actuales prædicationes, in quibus natura supponitur indefinitè (qualis est ista) non contrahi clarè naturas ad inferiora, ita ut cuique inferiori tribuatur præcisè quod suum est. Quod etiam contingit in prædicationibus, in quibus natura supponitur particulariter, vel disjunctivè. Contrahitur autem natura ad inferiora cuique tribuendo, quod suum est per actuales prædicationes expressè, ac immediatè singularizantes naturam, v. g. per hanc *Petrus est hic homo*. Tertiæ probationis, neque major, neque minor sunt firmæ, proindeque potes alterutram negare; Non major. Quoniam supposito, quod per simplicem comparisonem agnoscat intellectus, Petro convenire singularem humanitatem; Valet nihilominus prorumpere in comparisonem compositam tangentem omnes humanitates, easque aliquo modo affirmantem

Bellarmin.
de Script.
Eccles. in
S. Thoma.

de Petro, v. g. in hanc *Petrus est aliquis homo*: ergo similiter potest intellectus prorumpere in prædicationem affirmantem de Petro omnes humanitates indefinitè suppositas.

115. Non *minor*; quia etiam per simplicem comparationem noscit intellectus Petro convenire posse omnes humanitates indefinitè acceptas; quia noscit posse de Petro affirmari rationem hominis abstractè, ac in confuso, quin exprimat illa determinata humanitas, cum qua identificatur; ergo potest intellectus prodire in iudicium affirmans indefinitè naturas aliorum hominum. Ad quartam respondeo per illam definitionem, si verbalis sit, attingi solam naturam animalis identificati cum homine; quia hæc est institutio illorum verborum. Si sit mentalis, & per illam mente signemus hominem solum, & in hoc solo mentem figamus, dicimus idem: Cumque hoc contingat, quando hominem solum definimus, hac de causa quando est definitio, plerumque non attingit naturam communem omnibus animalibus, quia in solam naturam humanam oculos mentis figimus tunc.

116. Si verò mentali ea tendentia *Animal rationale* utamur abstractè, præscindentes ab eo, quod sit hominis definitio, cum ex vi ipsius præcisè, abstrahendo ab aliis principiis evidentibus, non appareat quodnam ex eis duobus sit genus, quodnam differentia, quodnam contrahat, quodnam contrahatur, inde est quod illa præcisè ut talis, atque præscindendo ab aliis principiis aliunde notis, non est definitio quoad intellectum non habentem aliud lumen. Et consequenter præcisè, ut talis attingit naturam omnium animalium, sicut attingeret, casu quo ex duabus distinctis realiter apprehensionibus coalesceret, & est cognitio realiter distincta ab altera similis prorsus tendentiæ, qua utimur ad hominem definiendum. Oportet namque fateri cognitionum nostrarum inopiam, paulò minorem, quàm verborum: unde sicut verbis habentibus eundem sonum solemus uti ad significandum res valde diversas; ita cognitionibus habentibus eundem mentalem sonum, seu tendentiam; Et tunc ex speciebus, vel aliis principiis determinantibus ad cognitionem, indagandum est objectum, quod per suammet essentiam significant tales, aut tales cognitiones.

117. Illud autem iudicium: *hic homo est homo*, habet duo objecta, ut jam advertimus numero 73. unum est individua natura huius hominis, alterum natura humana indefinitè sumpta; Hanc, & non illam constituit universalem, ut contingeret, si coalesceret

ex apprehensionibus realiter distinctis, quæ profectò non amitterent suam significationem, quæ ipsis essentialis supponitur, ob accidentalem inter se conjunctionem.

§. II.

118. Instabis. Hoc iudicium. *Petrus est hic homo*, non tangit naturam cæterorum hominum, eo quòd *ly hic* coarctat amplitudinem prædicati. At etiam subjectum huius prædicationis, quam vocamus indefinitam *Petrus est homo* coarctat amplitudinem prædicati; ergo hæc prædicatio non attingit naturas cæterorum hominum. Nego minorem ob rationem jam datam, ubi diximus amplitudinem, atque singularitatem subjecti, non esse aptam regulam, ut taxemus amplitudinem, seu singularitatem prædicati: Instabis 2. Etiam is actus *Petrus est hic homo* æquivalet quoad veritatem huic prædicationi vaganti per cunctos homines. *Petrus est hic homo*, vel *hic homo* &c. Et tamen ille non tangit naturas omnium hominum: ergo quod hic actus, quem censemus indefinitum *Petrus est homo* æquivalet prædicationi disjunctivæ, non probat eum tangere naturas omnium hominum. Concedo totum. Etenim æquivalentiam prædicationis indefinitæ cum disjunctiva non adduxi probaturus positivè illam tangere omnes humanitates, sed ostendendi causa impedimentum per adversarios constructum collabi. Idè enim autumant illi hanc prædicationem *Petrus est homo* non tangere naturas aliorum hominum, quia esset falsa; quibus nos reponimus prædicationem disjunctivam, quæ vera est, quamvis naturas aliorum attingat.

119. Instabis 3. Omne iudicium affirmativum habens modum tendendi non disjunctivum, sed determinatum, indispensabiliter, poscit ad sui veritatem, quod prædicatum secundum totum, quod dicit in recto, identificetur cum subjecto; Nam hoc est, quod per id generis iudicia affirmantur. At hæc prædicatio *Petrus est homo* est iudicium affirmativum habens modum tendendi non disjunctivum; sed determinatum; ergo ad sui veritatem indispensabiliter poscit, quod prædicatum secundum totum, quod dicit in recto identificetur cum subjecto, sed hoc non evenit juxta nostram sententiam, siquidem censemus prædicatum dictæ prædicationis esse omnes homines, & non contingit, quod omnes homines identificentur cum Petro; ergo. Retorquetur hoc argumentum in hypothesi, quod

prædicta prædicatio componatur ex apprehensionibus distinctis: quandoquidem tunc habet modum tendendi, non disjunctivum, sed determinatum, & tangit ex parte prædicati cunctos homines ob rationem sæpè prolatam, & tamen est prædicatio vera.

120. Respondeo 1. Eam prædicationem habere modum tendendi disjunctivum, non quidem *formaliter* (siquidem non constat copula, *vel*) sed *æquivalenter*. Quoniam ly *Homo* habet suppositionem indefinitam, & cum aliundè sit in materia contingente, eo quòd licet Petro sit essenziale esse hominem, *homini* tamen, ut sic in specie non est essenziale esse Petrum; idcirco æquivalet suppositioni disjunctivæ; Quapropter non poscit ad sui veritatem, quod totum prædicatum identificetur cum subjecto, ut constat in hac propositione habente quoque modum tendendi disjunctivum, non formaliter, sed æquivalenter *Petrus est aliquis Homo*.

121. Respondeo 2. Totum quod ista prædicatio significat per prædicatum mentale, identificatur cum subjecto, eo modo, quo per istam prædicationem enunciat. Nam per istam prædicationem tantum enunciantur de Petro cuncti homines indefinitè suppositi; At cuncti homines indefinitè suppositi identificantur cum Petro: quoniam sicut dicere cunctos homines disjunctivè acceptos identificari cum Petro, nil aliud est quàm dicere, *Petrum esse hunc hominem, vel hunc hominem &c.* ità dicere cunctos homines indefinitè suppositos identificari cum Petro, nil aliud est, quàm dicere, *Petrum participem esse rationis significatæ per hunc conceptum Homo*; Quod sanè verum est; Et hoc de prima objectionum classe conantium probare actuales prædicationes non attingere naturam re ipsa convenientem multis. Perpendamus eas, quæ hoc assumpto prætermisso intendunt suadere actuales prædicationes dictas significare, clarè, ac expressè multiplicatam naturam.

122. Objicies 2. Nulla tendentia formaliter exprimens differentias alicujus naturæ, constituit illam universalem metaphysicè; At cognitiones id generis. *Omnis homo est animal: Homo, & Equus sunt Animal* formaliter exprimunt differentias naturæ Animalis, ut patet; ergo. Majorem probant. 1. Adversarii crebris auctoritatibus Aristotelis, & D. Thomæ. Probant 2. Nulla tendentia formaliter multiplicans naturam constituit ipsam universalem metaphysicè; At omnis tendentia formaliter exprimens differentias naturæ formaliter multiplicat naturam, quippè juxta

com-

communem mortalium apprehensionem differentia formaliter, ut tales formaliter dividunt, ac multiplicant naturam: ergo nulla tendentia &c. Respondeo cognitio bifariam potest exprimere clarè differentias. Primò exprimendo illas formaliter, ut dividentes naturam illam, nimirum significando non modò, ut identificatas cum natura, verùm etiam, ut repellentes omnem distinctionem, virtualement inter se ipsas, & naturam, quod fiet per has, aut similes tendentias. *Omnis homo est absque ulla distinctione virtuali, ac formali ex natura rei Animal. Petrus, & Joannes sunt homines distincti*. Secundò. Potest cognitio clarè exprimere differentias, sed *materialiter* tales exprimendo nimirum illas identificari cum natura, præscindendo tamen ab eo, quòd naturam dividant, aut multiplicent.

123. Quod fieri posse constat ex hoc judicio *Pater, & filius sunt Deus*: quod quidem exprimit Paternitatem, & filiationem, quæ sunt differentia, aut quasi inter Patrem, & Filium, ut identificatas cum natura Divina: & tamen non significat illas, ut multiplicantes, ac dividentes naturam Divinam; Nam si hoc modo illas significaret per solam suam essentiam, haberet illas significare hoc modo, proindeque per solam suam essentiam, esset judicium falsum. Constat item ex nostra ratione à priori, juxta quam potest cognitio repræsentare differentias, ut identificatas cum natura, præscindendo tamen ab eo, quòd distinguantur, vel non distinguantur virtualiter à natura; quapropter præscindendo ab eo, quòd natura sit, vel non sit multiplex. Dicimus igitur, quod objectæ prædicationes proponunt clarè, ac expressè differentias naturæ animalis *materialiter* sumptas, hoc est præcisè, ut identificatas cum natura animalis; non verò formaliter sumptas, hoc est, ut dividentes naturam animalis.

124. Ad primam probationem majoris respondeo, Aristotelem, & D. Thomam locutos fuisse de differentiis formaliter, ut talibus, non de differentiis materialiter acceptis: quia quemadmodum ad hoc, ut natura aliqua sit à parte rei multiplex, sat non est, quod natura illa à parte rei identificetur cum multis (cujus testis est natura Divina) sed ulterius desideratur, quod natura illa, nec virtualiter, nec ex natura rei formaliter distinguatur ab illis multis. Ità ad hoc, ut natura aliqua *appareat* multiplex, non sufficit, quod appareat identificata cum multis, sed præterea requiritur, quod *appareat* incapax distinctionis virtualis ab illis multis; ergo quan-

D d

do

do D. Thomas statuit differentias multiplicare naturam, non locutus fuit de differentiis materialiter sumptis, idest de differentiis, ut præcisè identificatis cum natura.

125. Ad secundam nego minorem cum sua falsa probatione, quoniam Paternitas, filiatio, spiratioque passiva sunt differentiae formales Divinarum Personarum; Et tamen nec realiter, nec formaliter per iudicium verum dividunt naturam Divinam, ergo immeritò censet esse legem prorsus universalem istam apprehensionem: Et ratio est ea, cui sæpè institimus. Eo ipso, quod actus præscindat ab eo, quòd differentiae distinguantur, vel non distinguantur virtualiter à natura, præscindet ab eo, quòd multiplicent, vel non multiplicent naturam, ut jam explicatum, ac probatum est. Sed quamquam actus proponat differentias formaliter, ut identificatas cum natura, fieri potest, ut præscindat ab eo, quòd differentiae illae distinguantur, vel non distinguantur virtualiter à natura; Ergo quamquam &c.

126. Porrò lex Philosophorum suffragiis sancita est, differentias absolutè loquendo, atque in sensu directo dividere, multiplicareque naturam. Ceterum non est inconcussum dogma illas multiplicare *formaliter, clarè, ac expressè* naturam per quoscunque actus per quos apparuerint, ut identificatae cum natura, nisi fiat recursus ad incapacitatem distinctionis virtualis, quæ quidem incapacitas non constat nobis ex vi præcisè prædicationum, de quibus haec tenens: Si malueris dicito, differentias multiplicare naturam, vel realiter, vel virtualiter: idest ex vi solius cognitionis affirmantis identitatem inter naturam, & differentias posse intellectum deducere illam naturam esse multiplicem realiter, vel virtualiter. Hæc autem virtualis multiplicitas apparens non opponitur cum eo, quòd natura strictè, & verè appareat instar unius: quemadmodum naturam Divinam re ipsa esse virtualiter multiplicem hoc est cum multis identificatam non opponitur cum eo, quòd re ipsa sit à parte rei una.

127. Instabis primo. Quoties apparent Homo, & Equus sub propriis conceptibus, apparent formaliter, ut multiplicantes naturam animalis. At per hanc prædicationem *Homo, & Equus sunt Animal* apparent Homo, & Equus sub propriis conceptibus: ergo. Major probatur. 1. Quoties Homo, & Equus apparent, ut animalia distincta, apparent, ut multiplicantes naturam animalis; At quoties apparent sub propriis conceptibus, apparent,

ut

ut animalia distincta; Nam homo sub hoc conceptu apparet, ut animal distinctum ab equo, & equus sub hoc conceptu apparet, ut animal distinctum ab homine; ergo quoties &c. Probatur 2. eadem major. Homo, & Equus non tantum sunt formaliter distincti, ut Pater, & Filius in divinis, verum etiam sunt formaliter animalia distincta; ergo per aliquem conceptum apparent, ut distincti in ratione animalis; At per nullum melius, quam per hunc *Homo, Equus*: ergo quoties homo, & equus apparent per dictos conceptus, apparent, ut distincti in ratione animalis.

128. Ad instantiam nego majorem, quoniam per hunc conceptum *Pater, & Filius sunt Deus* apparent hæc duæ Personæ sub propriis conceptibus Paternitatis, ac filiationis, quin propterea appareant, ut dividentes, ac multiplicantes Deitatem, idest quin appareant, ut distinctæ in ratione Deitatis; ergo similiter, quamquam per istam prædicationem appareant Homo, & Equus sub propriis conceptibus, non continuo sequitur eos per istos solos conceptus apparere, ut distinctos in ratione animalis, proindeque non sequitur eos apparere, ut multiplicantes naturam animalis.

129. Ratio utriusque est, quam non semel dedimus: nempe ambas prædicationes, ita repræsentare subjecta inter se distincta, identificari cum prædicato, ut omnino præscindant à distinctione, & non distinctione virtuali, undè sequitur, quod etiam præscindant à multiplicitate prædicati. Ad primam probationem, nego majorem, cujus probatio, æquivocatione laborat. Etenim tria hic distinguere oportet. Aliud namque est, quod homo, & equus sint formaliter distincta (& hoc est verum, nam alter est formaliter rationalis, & alter est formaliter irrationalis) item aliud est, quod sint formaliter distincti in ratione animalis, seu sint formaliter animalia distincta, *attentis aliis principiis* (& hoc quoque verum est) nam quisquis, vel perfunctoriè metaphysicam tetigerit, sciet rem creatam simplicem, atque indivisibilem non posse identificari cum extremis realiter distinctis.

130. Ex quo principio deducet, prædicatum identificatum extremis realiter distinctis esse prædicatum multiplex: cumque ex alia parte agnoscat intellectus hominem, & equum esse mutuo distinctos: indè est, quod intellectus argumentabitur animal, quod identificatur cum homine, & equo non esse unum, atque idem, sed multiplex; unde tandem colliget hominem, & equum non modo esse distinctos, verum etiam esse distinctos in ratione

animalis. Aliud demùm est, quod homo, & equus sint formaliter distincti in ratione animalis, *attentis præcisè* his duobus conceptibus *Homo Equus*, & hoc est falsum. Quoniam hi duo conceptus per se præcisè, atque seclusis aliis notitiis dumtaxat proponunt hominem, & equum ut distinctos; Et hoc, quod est esse distinctos præcisè ut tale, non inducit eos esse distinctos in ratione animalis.

131. Quemadmodum Patrem, & Filium esse distinctos, non probat per se præcisè eos distinctos in ratione Deitatis; nempe quia Patrem, & Filium esse à parte rei distinctos, componitur à parte rei cum eo, quòd ita identificentur cum Deitate, ut virtualiter distinguantur ab eadem. Idem contingit in ordine mentali, siue apparenti per cognitiones; Quocirca probatio illius minoris distinguenda est sic. Homo sub hoc conceptu simul cum aliis notitiis est animal distinctum ab equo; Concedo (sed hoc nobis non officit utpotè loquentibus de præfatis prædicationibus præcisè, ut talibus) sub hoc conceptu *Homo* præcisè, ut tali nego. Nam sicut Pater Æternus sub hoc conceptu præcisè, ut tali apparet, ut distinctus à Filio, sed non ut Deus distinctus: Ità homo sub hoc conceptu apparet quidem, ut distinctus ab Equo, sed non ut distinctus in Animalitate, hoc enim ex aliis principiis apparet nobis.

132. Ad secundam distinguo antecedens. Sunt formaliter Animalia distincta attentis his conceptibus *Homo Equus*, simul cum aliis notitiis concedo: attentis præcisè his duobus conceptibus, & ab omnibus aliis præscindendo, nego antecedens ob sæpè dicta, & concessa prima consequentia, nego minorem subjunctam: Nam proculdubio multò clariùs apparebunt esse Animalia distincta, seu esse distinctos in ratione Animalis per hunc actum *Homo, & Equus sunt Animalia*. Et hinc corroboratur nostrum assumptum. Casu, quo intellectus apprehenderet Hominem, & Equum esse idem, atque simplex Animal, posset sic dicere *Homo, & Equus sunt Animal*, & non posset sic dicere *Homo, & Equus sunt Animalia*: ergo signum est hanc secundam prædicationem, secus illam primam representare clarè, & expressè multiplicatam Homnis, & Equi in ratione Animalis.

133. Instabis 2. Ergo Homo, & Equus inspecti secundum suos conceptus metaphysicos, permittunt esse idem mutuo absolute, ac in omni ratione. Nego consequentiam (quia ex suis concepti-

ptibus alter est rationalis, alter est irrationalis, proindeque ex suis conceptibus metaphysicis distinctionem reciprocam important) permittunt esse idem in ratione Animalis, sub distinguo permittunt absolute, omnibusque pensatis, nego: quia evidens prorsus est nobis ob alia principia, illos non esse idem in ratione animalis. Permittunt attentis his Solis conceptibus *Homo, Equus* sine alio lumine concedo. Quoniam sicut Pater Æternus, & Filius licet ex suis conceptibus non permittant esse idem absolute, & in omni ratione, permittunt verò esse idem in ratione deitatis. Ità Homo, & Equus ex suis conceptibus, non patiuntur esse idem absolute, & in omni ratione; patiuntur tamen ex solis, ac præcisè suis conceptibus, nisi uberius lumen adsit, esse idem in ratione animalis, nempe quia soli ipsorum conceptus, utpotè non proponentes capacitatem, aut incapacitatem distinctionis virtualis, præscindunt ab eo, quòd multiplicetur, vel non multiplicetur natura animalis.

134. Neque dixeris Homo ex solo suo conceptu est Animal: item ex solo suo conceptu est distinctus ab Equo: ergo ex solo suo conceptu est Animal distinctus ab Equo. Ne inquam id dixeris: pari namque captione illaqueantur Tyrones, dum eis sic illudunt. Avis illa est Mater: item est tua; ergo est Mater tua. Concessis utrisque præmissis, neganda est utraque consequentia. Nam cum termini conjuncti diversum longè reddant sensum, & habeant suppositionem, ac termini divisi: ex eo quod veri sint dum dividuntur, sophisticè arguitur veros quoque fore dum conjunguntur; Unde licet verum sit Patrem Æternum esse Deum, item esse distinctum à Filio, falsum tamen est esse Deum distinctum à Filio.

§. III.

135. **O**bjicies 3. Nullus actus vi cuius præcisè potest intellectus prudenter judicare naturam Animalis esse multiplicem, constituit hanc naturam universalem metaphysicè (omnis namque actus id generis exprimit formaliter multiplicatam, proindeque, non est unitas formalis negativa) sed ex vi præcisè horum actuum. *Homo, & Equus sunt Animal; Omnis Homo est Animal* potest intellectus prudenter judicare naturam Animalis esse multiplicem. Probatur. Omnis actus per quem apparet stare fundamentum multiplicatis, & nullum omninò apparet fundamentum.

mentum pro parte contraria est actus vi cuius præcisè potest intellectus prudenter judicare eam multipliciter existere; sed per hos actus apparet stare fundamentum multipliciter naturæ Animalis (siquidem apparet illa identificata cum multis,) & nullum apparet fundamentum pro parte contraria, quippe ex vi præcisè eorum actuum non apparet distinctio virtualis inter subjectum, ac prædicatum: ergo. Nego minorem, ad probationem nego quoque minorem, quippe non apparet stare fundamentum multipliciter, quando non apparet unum constitutum essentialiter multipliciter. Sed per istas prædicationes non apparet unum constitutum multipliciter, quamquam apparet alterum. Probat. Multiplicitas naturæ duo dicit essentialiter, unum est identitas saltem possibilis illius naturæ cum multis, alterum est incapacitas, ut ea natura distinguatur virtualiter ab eis multis. Sed quamvis per istas prædicationes appareat identitas naturæ Animalis cum multis, nihilominus non apparet in capacitas distinctionis virtualis. Ergo.

136. Objicies 4. Stando soli lumini naturali res simplex, atque indivisibilis, nequit identificari cum extremis realiter distinctis, (tùm quia aliàs mysterium Trinitatis non foret supra lumen naturale; tùm quia nisi intellectus se ipsum captivaret in obsequium fidei tenacissimè crederet essentiam Divinam esse triplicem, eo ipso, quod crederet illam identificari cum tribus Personis realiter distinctis;) Ergo attento solo lumine naturali, simul ac noverit intellectus naturam identificari cum multis, agnoscat quoque naturam esse multiplicem. Sed per has prædicationes dictas agnoscat intellectus naturam Animalis identificari cum multis; Ergo per illas agnoscat quoque illam esse multiplicem. Distinguo antecedens. Stando soli lumini naturali res simplex nequit *ob impotentiam positivam* identificari cum extremis distinctis, nego antecedens. nequit *ob impotentiam purè negativam, sed negativam*, concedo antecedens, nego quoque primam consequentiam, ex qua cætera pendent.

137. Explicatur. Quod res simplex nequiret *ob impotentiam positivam* identificari cum multis stando lumini naturali consisteret in eo, quod lumen naturale metaphysicè evidens, per se præcisè panderet positivam metaphysicam repugnantiam in eo, quod res simplex, ac indivisibilis identificaretur cum extremis realiter distinctis. Cumque hoc non contingat, alioquin Trinitas foret non tantùm supra, verum etiam contra lumen naturale, idcirco negamus

mus

mus rem simplicem nequire ob impotentiam positivam identificari; cum multis stando lumini naturali. Cæterùm quia lumen idem naturale præcindendo, à principiis nostræ fidei non assequitur quo pacto res simplex possit identificari cum extremis distinctis. aliàs Mysterium Trinitatis non foret supra lumen naturale, idè concedimus rem simplicem nequire ob impotentiam negativam, sive præcisivam identificari cum extremis distinctis; Undè solummodo infertur, quod ex vi præcisè dictarum prædicationum, neque potest intellectus conscius possibilitatis in genere distinctionis virtualis inferre naturam Animalis esse multiplicem, neque potest inferre esse unam. Prima probatio antecedens nulla est, ut explicatum manet. Ad secundam distinguo illam: tenacissimè crederet naturam Divinam esse triplicem, *ed quod actus proponens illam identificatam cum tribus Personis per se, & natura sua proponat illam, ut triplicem*, nego (alioquin actus ille foret per se, & natura sua falsus) èd quod intellectus deciperetur, ut plerumque accidit, & semel deceptus magna adhæsiōne assentiretur, concedo. Hinc autem cave nec inferas intellectum, sine ulla notitia prædictarum distinctionum aliunde habita, posse judicare, aut suspicari mysterium Trinitatis: quia, ut toties inculcavi loquor de intellectu aliunde, (puta ex lumine fidei) conscio de possibilitate in genere, atque energia distinctionis virtualis. Undè subsistit has prædicationes non exprimere clarè, atque formaliter per se præcisè ac ex sola sua essentia multipliciter: nam aliàs eam exprimerent in omni casu possibili, & consequenter sive intellectus esset conscius, sive non de illis distinctionibus.


138. Objicies demùm ex doctis RR. Omnis conceptus constituens naturam humanam universalem respectu Petri v. g. debet habere hæc tria. Confundere naturam Petri cum cæteris hominibus, non discernere illam ab his, & proponere illam indifferentem ad Petrum, nec non cum aptitudine, ut de eo affirmetur; quod liquidò constat ex hac apprehensione *Homo*, quæ abs dubio constituit naturam humanam universalem respectu omnium hominum, & habet tres condiciones expositas; Ergo nulla tendentia carens, his conditionibus constituit universalem, respectu Petri, naturam humanam. Sed hæc prædicatio. *Petrus est Homo*, caret his conditionibus. Nam primò per hanc prædicationem non confunditur, sed potius exprimitur formaliter natura Petri, ut talis: Secundò per eam prædicationem dividitur natura humana, quoniam ad Petrum contrahitur,

tur,

tur, & non ad cæteros Homines: tertio in ea prædicatione non perseverat natura indifferens ad alios, sed actu determinata ad ipsum.

139. Respondeo. Debet habere has tres condiciones, confusione, non discretionem, propositionem (idem dicito de similibus terminis) tangente ex parte objecti cunctos homines, & non explicante clarè naturam esse multiplicem, concedo antecedens; quippè ut sæpè dictum est, hæc sola duo prædicata sunt de conceptu formæ constituentis naturam universalem. Confusione, non discretionem, propositionem alius generis, nego. Ista autem prædicatio de qua loqueris attingit ex parte objecti cunctos Homines, & non explicat clarè multipliciter naturam humanam, ut probatum est.


140. Quod si dixeris hæc non probari naturam permanere universalem respectu Petri in præfata prædicatione. Respondeo. Naturam constitui simpliciter universalem stat in eo; quòd actus re vera attingat cuncta inferiora illius naturæ, & neutiquam exprimat clarè naturam illam esse multiplicem. E converso actum aliquem non constituere naturam universalem, dumtaxat potest provenire ex eo, quòd non tangat cuncta inferiora, vel ex eo, quòd multipliciter repræsentet. Hoc in genere. Tunc sic. Ergo actum aliquem non constituere naturam universalem respectu Petri stabit in eo, quòd vel non attinget naturam Petri, vel explicet aliquam multipliciter, sed neutrum ex his duobus contingit in hac prædicatione: *Petrus est Homo*, quandoquidem attingitur natura Petri, & hæc affectio, ut ita dicam non est in causa, ut exprimat multipliciter naturam humanam. Ergo. Sin verò istis terminis: *Natura non constituitur universalis respectu Petri*, solum significes prædictam prædicationem significare clarè differentiam individualem Petri, & quasi exercitè dividi, separarique à cæteris differentiis individualibus, eo quòd illa explicetur, & non aliam, annuam tibi. Cæterum cum apparentia istius differentie illibata relinquat ea duo prædicata constitutiva formæ universalitatis, idcirco reor apparentiam istius differentie non opponi cum eo, quòd dicta prædicatio constituat naturam humanam universalem, adhuc respectu Petri.



CAPUT

CAPUT SEPTIMUM.

De divisione, ac generalitate universalis.

141.  Uæ hic occurrunt quæstiones. 1. An divisio universalis in quinque prædicabilia, de quibus Disp. seq. fit adæquata, itaut universalis nec sint plura, nec pauciora quam quinque. 2. An universale sit genus respectu eorundem quinque prædicabilium. Utrique quæstioni respondemus affirmativè, & probatur prima pars. Omne quòd prædicatur de alio tanquam superius, & universale respectu illius, vel prædicatur essentialiter, vel extra essentialiter. Si primum, vel tanquam tota essentia, ut de Petro prædicatur animal rationale, & sic erit *species*; vel tanquam pars materialis essentiae, ut de homine prædicatur animal, & sic erit *genus*, vel tanquam pars formalis, ut de Equo prædicatur hinnibile, & sic erit *differentia*. Si secundum. Vel prædicatur extra essentialiter, sed necessariò, ut de Petro prædicatur risibile, & sic erit *proprium*, vel extra essentialiter, & contingenter, ut prædicatur album, & sic erit *accidens*. Ergo omne, quòd prædicatur de alio tanquam superius, & universale respectu illius, est vel *species*, vel *genus*, vel *differentia*, vel *proprium*, vel *accidens*. Ergo divisio universalis in hæc quinque prædicabilia est adæquata, itaut universalis nec sint plura, nec pauciora quam quinque.

142. Objicies. Sicut in essentia physica hominis v.g. non solum est pars materialis, & pars formalis, sed etiam unio physica utriusque; ita in essentia metaphysica hominis non solum est pars materialis *Animal*, & pars formalis *rationale*, sed etiam unio metaphysica utriusque, nimirum horum duorum prædicatorum identitas realis, quæ neque est formaliter tota essentia metaphysica, neque pars materialis, neque formalis, sicut unio physica neque est tota essentia physica hominis, neque materia, neque forma. Ergo divisio quam fecimus, non est adæquata, & plena. Confirmatur. Singulare non est ullum ex illis quinque prædicabilibus, sed omnibus eis oppositum, & tamen singulare est etiam universale, ut mox dicemus; Ergo datur aliquod universale, quòd non sit ullum ex eis quinque prædicabilibus. Ergo prædicabilia sunt plura quam quinque. 2. Animal rationale prædicatur de *Homine* tanquam tota essentia, idest tota definitio. Risibile prædicatur

E e

de

de homine etiam extra essentiam necessario, & tamen neque Animal rationale est species respectu hominis, neque risibile est proprium respectu ejusdem, quia de ratione speciei, atque proprii est esse universale respectu suorum, & neutrum ex illis duobus prædicatis est universale, sed superius respectu hominis (siquidem valent ad convertentiam cum ipso) licet sint superiora, & universalia respectu cujusque hominis in singulari. Ergo aliquid prædicatur de alio tanquam tota essentia, aut extra essentiam necessario, & tamen neque est species, neque proprium: Ergo ultra hæc sunt alia prædicabilia, tanquam tota essentia, aut extra essentiam necessario. 3. Tametsi universale immediatè dividat in ea quinque prædicabilia; hæc tamen multifariam subdividuntur, ut infra dicemus. Nam genus potest esse supremum, ut *Ens*, medium, ut *Vivens*, & infimum, ut *Animal*. Idem de specie; Idem de differentia, quæ potest esse propria, & propriissima, item specifica, & individualis. Ergo absolutè loquendo prædicabilia sunt plura quam quinque: & quidem in consideratione logica, nam logici expendunt, & tractant hæc omnia.

143. Quarto: Omne prædicabile, quod simul fuerit genus, ac species, est prædicabile distinctum ab eo, quod dumtaxat sit genus, & ab eo quod dumtaxat sit species. At datur aliquod prædicabile, quod simul sit genus, & species. Nam hic conceptus *Homo*, est species, ut omnes fatentur, & insuper est genus, quoniam cum essentia hominis consistat in eo quod sit Animal discursivum; v. g. ut quatuor; possibilis est multitudo creaturarum, quæ sint essentialiter animalia discursiva ut fex, & multitudo aliarum, quæ sint essentialiter animalia discursiva tantum ut duo; sed hæc distinguuntur in specie, sicut etiam distinguitur Homo, & Angelus: Ergo possibiles sunt homines specie distincti; Ergo hic conceptus *Homo*, illis omnibus conveniens, est conceptus genericus etiam. 5. Idem prædicabile; v. g. Animal est genus respectu hominis, & Equi, & est species respectu hujus, & illius animalis, præcisè ut talium, quoniam tota essentia huius animalis, præcisè ut talis est esse vivens sensibile; & similiter de reliquis prædicabilibus, quæ sunt species, aut differentia, aut proprium, aut accidens respectu unorum, & simul est unumquodque species respectu propriorum inferiorum, v. g. Risibile respectu *hujus risibilis*, album respectu *hujus albi*: Ergo prædicabilia sunt plura quam quinque.

144. Ad objectionem nego consequentiam. Vel enim loque-

ris

ris in sensu reali, ac directo de individua illa identitate inter prædicata animalis, & rationalis, quæ sunt in Petro, & hæc certè non est prædicabilis de multis; vel de identitate specifica inter prædicata hominis specificè considerati, & hæc respectu hominis sic considerati, non prædicatur tanquam superior, & universalis, sed tanquam æqualis de æquali, quia neque specifica illa identitas latius patet quam homo, neque hic latius quam illa: vel demùm de identitate in genere; & sic est species respectu hujus, & illius identitatis præcisè ut talium; est autem genus, & pars materialis respectu identitatis prædicatorum hominis: quia hic abstractus conceptus *identitas* est communis, & univocus ad identitatem prædicatorum hominis, atque identitatem prædicatorum Equi, & est genus respectu hominis in specie, quia identitas sub hoc conceptu est indifferens ut sit identitas humana, vel Equina, in qua indifferentia (mentali utique, & merè apparente) stat quod sit aliqua pars materialis essentia humanæ; Ergo non producis quidquam, quod cum sit prædicabile instar superioris, & universalis, non prædicatur instar generis, aut speciei &c.

145. Ad primam confirmationem dist. majorem, singulare consideratum directè, ac prout est in se à parte rei, concedo majorem, (sed hoc modo non est universale) consideratum reflexè, ac prout apparet sub hoc conceptu *singulare*; nego majorem, quia sub illo conceptu est species respectu hujus, & illius singularis præcisè ut talium, & est genus respectu Petri, & respectu hujus chartæ, nam cum hæc duo distinguantur specie, Petrus est singularis, & hæc charta est etiam singularis. Ad secundam: concessio antecedente, & prima consequentia dissimulata, dist. secundum consequens. Ultra hæc sunt alia prædicabilia universalis, & superiora: nego, æqualia concedo consequentiam. Non diximus omne prædicabile de alio esse genus, aut speciem &c. respectu illius; sed omne prædicabile de alio tanquam superius, & universale respectu illius. Quo circa benè probatur ratione ista, non omne utcumque prædicabile de alio, esse respectu, ejusdem genus aut speciem &c. licet tale debeat esse respectu aliorum. Ast non benè probatur, non omne prædicabile de alio, tanquam universale respectu ejusdem, non esse speciem; aut genus &c. respectu illius.

146. Ad tertiam distingo consequens. Sunt plura quam quinque in alia consideratione logica, concedo: in præsentī, nego consequentiam. Non negamus istam multiplicatam prædicabili-

E c 2

lium;

lium; sed est multiplicitas purè materialis, & quasi physica respectu rei præsentis, quia in præsentiarum solum quærimus: an sit præter illos quinque, alius modus, quo prædicatum superius, & universale prædicetur de inferiore? At quamvis detur ista multiplicitas generum, etiam in consideratione logica, nempe superius, medium, & infimum, omnia tamen prædicantur de differentibus specie instar partis materialis essentiæ metaphysicæ illorum, ut constat, & idem respectivè de specie, differentia, &c. Ergo quamvis detur ista multiplicitas, est materialis quo ad rem præsentem, & non multiplicat modum prædicationis, qui proprius est generis, speciei, &c. Ergo ista multiplicitas non facit, quod sint plures, quam quinque modi, quibus universale prædicatur de illo, respectu cujus est universale. Illud autem de differentia individuali non venit ad rem: quoniam de illa philosophandum est, sicut paulò ante philosophabamur de singulari; nempe illam sumptam directè, ac primo intentionaliter non prædicari instar universalis; sumptam verò reflexè, ac secundò intentionaliter esse speciem, aut genus prout fuerint illa inferiora de quibus prædicatur.

147. Similiter ad quartam, cujus distinguo majorem; est prædicabile distinctum materialiter in ordine ad rem præsentem, concedo; distinctum formaliter in ordine ad rem præsentem: nego majorem, quoniam prædicari de unis tanquam pars materialis, sive genus, & de aliis tanquam tota essentiæ, sive species non addit novum, aut specialem modum prædicandi supra illud, quod dumtaxat prædicatur tanquam genus, aut dumtaxat tanquam species, quia nec illud *dumtaxat*, neque oppositum *non dumtaxat* multiplicat modos prædicandi de inferioribus: & permissa minori cum sua probatione; nego præsentem consequentiam. Similiter ad quintam, cujus antecedente concessio, distinguo consequens, sunt plura materialiter quoad rem præsentem; concedo, sunt plura formaliter quatenus multiplicatur modus prædicandi de inferioribus, nego consequentiam.

148. Probatur responsio affirmativa quæstionis secundæ; nimirum universale esse genus respectu quinque prædicabilium, sicut animal est genus respectu omnium specierum animalium: Etenim genus, ut dicemus disp. 3. est prædicabile de multis tanquam pars materialis illorum, id est tanquam quid quod apparet indifferens, ut prædicetur de illo, aut de hoc distinctis in specie, vel physica, vel logica. Analogia quippe generis cum materia prima

stat

stat in eo, quod sicut hæc physicè à parte rei est indifferens, ut jam cum forma terræ v. g. jam cum forma arboris, jam cum forma fructus, jam cum forma animalis constituat composita substantia distincta in specie; ita genus est mentaliter apparet, ac ratione nostra indifferens, ut jam de hoc, jam de illo prædicetur distinctis quo ad speciem saltè logicam, atque idcirco propter hanc analogiam satis imperfectam, vocatur pars materialis essentiæ.

149. Ergo omne quod ita prædicatur de multis differentibus saltem quoad speciem logicam, ut appareat indifferens ad hoc, ut jam de uno, jam de altero prædicetur est genus respectu illorum. At universale sub hoc conceptu, sive expressione, *universale* apparet nobis indifferens, ut prædicetur de quinque prædicabilibus, quoniam *genus* est universale; *differentia* est universale; *species* est universale &c. unde possumus prædicare universale jam de uno, jam de alio ex quinque prædicabilibus. Deinde hæc tametsi non semper distinguuntur specie physica, quandoquidem est certum quod homo, animal, rationale, risibile non distinguuntur realiter inter se, cum homo sit realiter animal, rationale, & risibile; verumtamen distinguuntur specie logica, nempe quoad modum prædicandi, quoniam modus, quo prædicatur genus, scilicet tanquam *pars materialis* essentiæ est notabiliter diversus à modo, quo prædicatur species, v. g. nimirum tanquam *tota essentiæ*: ergo universale sub hoc conceptu est genus ad quinque prædicabilia, non quidem ratione distinctionis horum, quoad speciem physicam, sed quoad speciem logicam.

150. Objicies famosum argumentum. Si universale effet genus ad quinque prædicabilia, illud contineretur sub genere in communi, quoniam sicut omne animal continetur sub *animal* in genere, & omnis color sub *color* in genere, ita omne genus contineretur sub genere in communi; At si universale contineretur sub genere in communi sequerentur quatuor absurda. Primum quod omnia, & singula quinque prædicabilia intelligendo etiam ipsam genus in communi, comprehenderentur sub genere in communi. Omne namque comprehensum sub uno, comprehenso sub altero, comprehenditur sub illo altero. At omnia, & singula quinque prædicabilia (unde & ipsum genus in communi) comprehenduntur sub *universali*: ergo omnia, & singula comprehenduntur sub genere in communi, si universale comprehenditur sub illo: ergo species v. g. est genus, & differentia est genus &c. Secundum quod genus

effet

esset inferius sua specie. Universale quippe esset genus respectu generis in communi, & hoc foret species quædam respectu *universalis*: ergo si contineretur sub illo, esset inferius respectu suæ speciei. 3. Quod genus in communi esset inferius uno suo individuo: quippè universale esset unum quoddam genus individuum, sicut animal, color &c. At genus in communi, quippè quod esset quædam species respectu *universalis*, esset inferius respectu *universalis*: ergo esset inferius uno suo individuo. 4. Quod idem, & respectu ejusdem, & sub eadem expressione foret superius, & inferius, idest latius pateret, ac minus pateret. Universale namque sub hac expressione, sive secunda intentione, *universale* esset superius respectu generis in communi, quandoquidem sub illa prædicatur de genere in communi, de specie, & de differentia &c. & sub illa eadem foret inferius, nam sub illa est genus juxta nos, & omne genus, ut tale est inferius genere in communi.

151. Resp. nego majorem objectionis, & distingo probationem, omne genus, si sermo etiam sit de genere *universalissimo* complectente omnia genera, omnes species, omnes differentias &c. nego, si sermo sit de genere non ita *universalissimo*, concedo; cumque illa quatuor absurda eliciantur ex eo, quod universale contineatur sub genere in communi, & hoc sit falsum, quia universale est genus non utcumque, sicut alia, sed genus illud *universalissimum* quod complectitur omnia genera, omnes species, omnes differentias &c. idcirco cessante origine cessant illa absurda. Explicatur. Prædicatum *A.* contineri sub *B.* sive quod idem est, esse inferius respectu *B.* stat unicè in eo, quod non extendatur ad omnia, ad quæ extenditur *B.* cum tamen *B.* conveniat ipsi *A.* & viceversa prædicatum *B.* continere sub se *A.* esseque superius respectu illius, nil est aliud, quam quod *B.* conveniat *A.* ipsi & insuper multis aliis.

152. Ob hanc rationem Petrus continetur sub hoc prædicato *animal* estque inferius respectu illius, quoniam non extenditur ad omnia, ad quæ extenditur animal, siquidem animal convenit equo, cani &c. quibus non convenit esse Petrum; animal autem convenit Petro, siquidem Petrus est animal; & pariter animal est superius respectu Petri, ipsumque sub se continet, quia animal convenit, seu verè affirmatur de Petro, & de multis aliis, v.g. de equo, de Leone &c. Atqui inter genus in communi, & quodcumque aliud genus, quod non sit illud *universalissimum* complectens omnia

omnia genera, species, ac differentias, contingit hoc, secus inter genus in communi, & hoc *universalissimum*: ergo licèt illa alia genera contineantur sub genere in communi, & hoc sit superius ad illa omnia, non tamen ad genus *universalissimum*: ergo absurda illa quatuor, quæ ex opposito deducebantur, non sunt contra nos.


153. Probatur minor. Genus *Animal*, v. g. cum verè sit genus; non tamen est genus *color*, nec genus *Præsentia*, nec genus *Actio* &c. ad quæ extenditur genus in communi, quia hæc omnia sunt genera, & pariter genus in communi convenit generi *animal*, ut patet, ac multis aliis nempe generi, *color*, generi *Præsentia* &c. ergo inter genus in communi, & genus *animal* (& consequenter quodcumque aliud genus quod non sit illud *universalissimum*) contingit quod genus *Animal* non extendatur ad omnia, ad quæ extenditur genus in communi, hoc verò conveniat, seu verè affirmetur de illo, & insuper de multis aliis. Non ita de genere, hoc *universale*, quod est omnium *universalissimum* in linea secundæ intentionis (in sensu quippè primò intentionali, ens, verum, bonum, aliquid, unum, res, & si sunt alia transcendentia, sunt omnium *universalissima*) quoniam licèt sit genus, omnia quæ sunt genera, & ipsum genus in communi sunt eo ipso *universalia*, & non omnia, quæ sunt *universalia* sunt genera, aut genus in communi, quandoquidem species, differentia, proprium, & accidens, sunt *universalia*, & non sunt genera, nec genus in communi: ergo licet *universale* sit genus non est inferius respectu generis in communi, nec sub illo continetur, quin potius genus in communi continetur sub illo, quia ita est individuum quoddam genus, ut simul complectatur omnia genera species, differentias &c.

154. Sic complexum ex omnibus profus creaturis (non dico *simul existentibus*, quia impossibile est quod omnes simul existant, sed partim existentibus, partim possibilibus) in primis est creatura, quia nec est Deus, nec chymæra, nam licet imbibat partes essentialiter oppositas, hoc non tollit quod sit complexum possibile, sicut prioritas diei hodierni ad crastinum imbibit ambos dies, essentialiter incapaces, ut simul existant, & tamen ea prioritas est quid possibile; Idem dico de mutatione entis naturalis; Idem de justificatione peccatoris, & de omnibus totis, quæ dicuntur successiva. Deinde cum sit *unum* complexum incapax multiplicari in alia

æqualia complexa, est individuum quoddam, & tamen non includitur intra complexum ipsum ex omnibus creaturis, neque est inferius, neque pars illius, quoniam neque est pars sui ipsius, neque inferius ad se ipsum. Nempè quia licet hoc complexum includat intra se, tanquam partem, omnem illam creaturam individuum, quæ non includit omnem creaturam possibilem, non includit, nec includere potest tanquam partem, individuum illam creaturam, quæ est complexum ex omnibus prorsus creaturis. Idem respectivè in præsentì. Genus in communi imbibit intra se, seu infra se, omnia illa genera, quæ in sphaera secundæ intentionis, non sunt omnium universalissima; aut neque intra, neque infra se continet genus illud individuum, quod complectitur omnia prorsus genera, omnes species, omnes differentias &c. ut probavimus paulò ante ex definitione hujus superioritatis, ac inferioritatis. At *universale* est hoc genus individuum, & simul universalissimum: ergo genus in communi non continet intra, aut infra se *universale*. At totus nervus istius objectionis, & absurdorum stat in eo, quòd universale comprehendatur sub genere in communi: ergo isto nervo rescisso, cætera cadunt.

CAPUT OCTAVUM.

De Individuo, seu singulari tum primò, tum secundò intentionaliter inspecto.

155.  Num sumptum genericè est *Indivisum in se, & divisum à quolibet alio*, hoc est, quod neque habet partes innitas, neque habet unionem cum alio ejusdem rationis cum ipso. Per priora verba sufficienter explicatur natura unius, nam quæcumque res aliqua esset physicè unita alteri ejusdem rationis cum ipsa, posset nihilominus esse una. Sic quamquam anima Petri miraculosè uniretur animæ Joannis, nihilominus esset una: ergo sufficienter explicatur natura unius per illa priora verba, *Indivisum in se*, sunt tamen aliquatenus necessaria secunda verba, scilicet *divisum à quolibet alio* ad exponendam naturam unius, prout unum constituit numerum, quia non numeramus, ut benè advertit Philosophus, nisi illa quæ sunt mutuo divisa. Unum multifariam dividitur: aliud namque est unum unitate *simplicitatis* videli-

delicet quod nullas re ipsa habet partes, v. g. Deus, Angelica substantia distincta à personalitate &c. aliudque est unum unitate *compositionis*, nempè illud, quod resultat ex partibus distinctis, & aliquomodo unitis, v. g. homo.

156. Unum unitate compositionis est duplex, aliud est unum unitate *compositionis physica* (& est illud quod resultat ex partibus physicè unitis, ut homo,) aliud est unum unitate compositionis moralis, & est illud quod resultat ex partibus non physicè, sed ratione alicujus specialis relationis unitis, sic Hispania est unum regnum, quia resultat ex populis unitis non physicè, sed ratione subjectionis eidem Regi. 3. Unum unitate compositionis physica est duplex: aliud quippè vocatur unum per se, & est illud quod resultat ex subiecto, & forma substantialibus, ut homo; aliud dicitur unum accidentale, & est illud quod resultat ex aliqua parte accidentali, ut album. Suevit etiam vocari unum per accidens illud, quod resultat ex partibus nullum ordinem specialem habentibus inter se, v. g. acervus lapidum.

157. Unum transcendente, idest quod convenit omnibus, & singulis possibilibus sic definitur. *Indistinctum in se, & distinctum ab alio*. Nullum quippè est possibile ens, cui non competat esse indistinctum in se (hoc est non distingui à se ipso) & esse distinctum ab alio: unde occurritur objectiunculæ, desumptæ ex eo, quòd Petrus, v. g. habeat in se ipso aliquam distinctionem, quandoquidem essentialiter constat partibus realiter distinctis. Occurritur, inquam, nam Petrus licet habeat in se distinctionem, qua una pars ipsius distinguatur ab altera, attamen non habet distinctionem, qua Petrus ipse distinguatur à se ipso. Hinc quod à parte rei est multiplex, v. g. populus, exercitus: Item *genus, differentia, species*: Item *universale*, cum sit indistinctum in se, & distinctum ab alio, sequitur benè quod sit etiam unum, & individuum, & singulare, sed in diversa ratione ab ea, in qua est multiplex; est enim multiplex *quoad partes, seu individua*, quibus constat; sed unum in ratione *populi, generis, universalis &c.* quia in ea ratione non distinguitur à se ipso, & distinguitur ab alio. Quatuor itaque tractandæ sunt hic quæstiones.

158. Rogabis primo an unitas distinguatur ab uno? Respondeo cum distinctione. Unitas simplicitatis non distinguitur ab uno: neque unitas transcendentalis: Unitas autem compositionis distinguitur realiter inadæquatè ab uno. Probo primam partem. Unitas

simplicitatis, v. g. animæ rationalis consistit formaliter, & immediatè in eo, quòd anima rationalis nullis constat partibus. Sed anima rationalis per solam suam essentiam habet nullis constare partibus, quia per solam suam essentiam est simplex, ac indivisibilis: ergo unitas simplicitatis in anima rationali, v. g. consistit formaliter, & immediatè in essentia ipsius animæ, Idem ob eandem rationem dicendum est de cæteris unis unitate simplicitatis. Probo 2. partem. Unitas transcendentalis consistit formaliter, & immediatè in eo, quòd Petrus v. g. seu acervus tritici non distinguatur à se ipso, distinguaturque à quolibet alio. Sed Petrus (idem dicendum de omnibus) per solam suam essentiam habet non distinguui à se ipso, distinguique ab aliis: ergo Petrus per solam suam essentiam est unus unitate transcendentali: ergo unitas transcendentalis non distinguitur à suo uno.

159. Hinc inferitur in Petro unitatem transcendentalem, unitatem numericam, differentiam individualem, singularitatem, identitatem prædicatorum Petri inter se ipsa, & cum Petro, & demum Petreitatem, esse quidem voces diversas, sed unam dumtaxat rem significare. Nam hæc omnia consistunt in ea sola forma, aut quasi forma, vi cuius Petrus est Petrus, & non aliud diversum à Petro. Sed sola essentia Petri est id vi cuius formaliter, & immediatè Petrus est Petrus, & non aliud diversum à Petro: ergo hæc omnia consistunt in sola essentia Petri. Neque dicas in Petro dari multas unitates, videlicet unitatem materiæ, unitatem formæ &c. & unam solam identitatem: unde sequi videtur unitatem Petri, ipsiusque identitatem esse res diversas. Neque inquam id dixeris: quoniam vel loqueris de unitate adæquata Petri, vi cuius Petrus est unus homo: vel de unitate inadæquata, hoc est de unitate suarum partium.

160. Si primum: una sola unitas datur in Petro, sicut una sola identitas secum ipso. Si secundum, verum est quod in Petro dantur multæ unitates inadæquatæ, aut etiam dantur multæ identitates inadæquatæ, videlicet identitas materiæ secum ipsa, identitas formæ secum ipsa; ergo in eodem sensu, in quo est verum dari in Petro multas unitates, est quoque verum dari multas identitates, & in eodem sensu, in quo est verum dari in Petro unicam solum identitatem, est quoque verum dari unicam solum unitatem. Probo tertiam partem. Unitas compositionis consistit formaliter, & immediatè in unione partium componentium illud totum quòd

di

dicitur unum (nam consistit in ipsa compositione, & hæc compositio nil aliud est, quam dicta unio) sed unio partium distinguitur realiter inadæquatè ab ipso toto, quod dicitur unum. Probatur: distinguui realiter inadæquatè ab eo toto consistit in eo, quòd talis unio includatur in eo toto, licet non ipsa sola; Atqui hoc ita contingit, quandoquidem omne totum essentialiter claudit unionem suarum partium, & præter hanc unionem claudit ipsas partes: ergo. Si autem illa voce *unitas compositionis* intelligatur ea forma, aut quasi forma, vi cuius formaliter immediatè totum hoc compositum *homo* est hoc compositum, & distinguitur à quolibet alio: tunc unitas compositionis identificatur adæquatè cum ipso uno, quoniam hoc compositum, *homo*, per solam suam essentiam habet esse hoc compositum, & non esse aliud, v. g. *Arbor*, *lapis* &c.

§. II.

161. **R**ogabis 2. An ille conceptus datus. *Indistinctum in se, & distinctum ab alio*, sit conceptus univocus, universalis, & genericus respectu omnium unorum, seu individuum? In primis hic conceptus, neque convenit chymære in genere, neque chymære in specie, neque chymære in individuo. Nam, quovis ex his modis inspecta, tandem est chymæra, idest complexio ex duobus contradictoriis, ut contradictoriis: ergo quovis ex illis modis est, & simul non est indistincta in se, & distincta ab alio; & quidem huiusmodi recursus ad chymæras, tum hic, tum alibi in Philosophia, & Theologia supponit falsum, quia supponit esse cognoscibile ab intellectu aliquid quod in se sit chymæra, & propterea disturbat omnes disputationes, quia cogit loqui de chymæris, vocibus eisdem, quibus loquimur de realitatibus; unde æquivocationes, & fallaciæ nascuntur. Negandum igitur est suppositum illarum captionum, in quibus sit recursus ad chymæram obnubilandi ergo veritatem, nisi fiat recursus in sensu sæpè alias exposito.

162. Præterea illa particula *distinctum ab alio*, neque superfluit, neque reddit frivolum hunc sensum, *distinctum ab eo, quòd distinguitur ab ipso*, tamen enim *esse alium* sit realiter, ac formaliter idem, ac *esse distinctum ab illo indistincto in se*; nihilominus dicere distinctum ab alio, non est dicere, distinctum ab eo, quòd est indistinctum in se; quemadmodum licet esse hominem sit realiter, &

formaliter esse animal rationale, dicere, hanc entitatem esse hominem, quia est animal rationale, non est dicere, esse hominem quia est homo, siquidem illud primum est philosophari, & hoc secundum est negari. Denique pretermisimus illud à quolibet alio, quamvis multi utantur illo verbo. Nam cum *quilibet* apertè significet multipliciter, unde fit quod non potest dici sine falsitate *quilibet Deus*, si verbum illud ingeritur definitioni dictæ, hoc jam sufficeret sophistis ad cavillandum illum conceptum non esse univocum, eo quod apertè significet multipliciter. Nam si sensus est, ut aliqui dicunt, indistinctum in se, & distinctum à quolibet alio, sive individuo reali, sive chymærico. Ecce jam duo individua realia. Unum illud *indistinctum in se*. Alterum illud, *sive individuo reali*: ergo per illum conceptum apparebit multipliciter unorum, seu individuorum realium. Sufficit itaque ille conceptus, quem dedimus, indistinctum in se, & distinctum ab alio.

163. De quo dicimus esse univocum, universalem, ac genericum respectu omnium unorum, & individuorum realium, sive possibilem, primò intentionaliter sumptorum. Unde habetur quod ab individuis, seu singularibus sumptis primò intentionaliter potest abstrahi ratio communis, & univoca conveniens illis non solum *qua hominibus*, v. g. *qua equis* &c. sed *qua individuis*. Probatur. Primo. Omnia una, omnia singularia, omnia individua definiuntur per unicam definitionem nuper datam: ergo omnia conveniunt univocè. Hanc rationem magis explicabimus infra cap. de Relatione. 2. Omnis conceptus attingens rationem re ipsa multiplicabilem in subjectis specie physica distinctis, & non exprimens eorundem multipliciter, sed ita præscindens ab illa, ut ex vi præcisè illius conceptus, nequeamus discernere illam multipliciter, est conceptus univocus, universalis, & genericus respectu illorum. Nam, ut sæpè diximus, tota quidditas conceptus univoci stat in his duobus uno positivo, scilicet attingere, seu exprimere rationem re ipsa multiplicabilem: altero negativo, scilicet non exprimere multipliciter. Actualis est prædictus conceptus. Probatur. Imprimis attingit rationem re ipsa multiplicabilem in subjectis specie physica distinctis. Attingit namque rationem *indistinctionis* à se ipso, & *distinctionis* ab alio, quæ ratio est multiplicabilis in subjectis specie physica distinctis, siquidem illa convenit Petro, & convenit huic chartæ, & convenit huic calamo, quorum quodvis est indistin-

ctum

ctum ab alio: & insuper hæc omnia invicem distinguuntur specie physica ut constat: Ergo. Quamobrem sicut hic conceptus *Animal* est genericus, quia licet, homo, & Equus non distinguantur specie logica, distinguuntur specie physica. Ita conceptus prædictus, quia unus homo, una charta, unus calamus licet non distinguantur specie logica, & tam unum quam alterum sint unum singillatim, distinguuntur tamen specie physica.

164. Tota difficultas stat in secunda parte minoris, videlicet illum conceptum non exprimere multipliciter unorum, seu individuorum realium, & possibilem. Probatur tamen eatenus exprimeret illam multipliciter, quatenus dicens initio. *Indistinctum in se* jam exprimeret unum individuum, seu unum singulare saltem: & postea subjungens *ab alio* exprimeret aliud singulare, seu individuum reale: quoniam illud *aliud* etiam est individuum, seu singulare aliquid, quo fieret ut saltem duo exprimeret individua realia, sed hæc secunda pars est falsa. Probatur. Aliud est quod aliundè, atque ex vi aliorum principiorum noverimus illud *aliud* esse quoque individuum, singulare, unum: aliud vero quod hoc noverimus ex vi præcisè illius termini *ab alio*. Primum est verum, sed non officit universalitati, neque facit quod prædictus conceptus exprimat præteritam istam dualitatem individuorum realium: quoniam scimus etiam evidenter esse multos homines, multa animalia, & tamen, quia id non scimus ex vi præcisè horum conceptuum *Homo*, *Animal*, hanc ob causam hi conceptus dicuntur non exprimere multipliciter hominum, sed animalium. Secundum est quod officeret; aliter secundum est falsum: quia ex vi præcisè illius termini *ab alio* assequi nequimus, an illud aliud sit individuum, singulare, ac unum, tamen verè ex parte rerum tale sit. Præscindit namque ille terminus ab eo quod illud aliud sit unum, vel sit multiplex, sit individuum, vel sit species, sit singulare, vel sit universale. Hæc enim omnia novimus quidem, sed non ex vi præcisè illius termini *ab alio*.

165. Hinc 1. prædictus conceptus non est univocus respectu *Distinctorum* quomodolibet, nam certè dicens *Distinctum ab alio*, clarè exprimit duo distincta, sed est univocus respectu *individuum, unorum, & singularium* ut talium, (quæ expressiones sunt distinctæ ab illa *distinctum*, tamen in objecto sint idem,) quia non exprimit an illud *aliud* sit unum distinctum, quod sit individuum, quod sit singulare, quod sit unum reale, quamvis ex aliis princi-

piis

piis sciamus, illud *aliud* verè esse individuum, &c. 2. Non solum ab individuis, unis, & singularibus in concreto, verum etiam in abstracto, idest à differentiis ipsis individualibus, unitatibus, & singularitatibus potest abstrahi ratio communis, & univoca nempe *indistinctio in se, ac distinctio ab alio*, sive, *ultima ratio differendi*. Nam cum sint multæ indistinctiones in se, ac distinctiones ab alio, multæque ultimæ rationes differendi, utervis ille conceptus attingit rationem verè multiplicem.

166. Atqui ex alia parte non exprimunt eam multipliciter clarè; quoniam licet sciamus evidentè esse in rebus eam multipliciter, id non scimus ex vi præcisè illorum conceptuum. Et licet sciamus ex vi eorum esse duo saltem distincta, duo differentia inter se, nequimus assequi ex vi præcisè ipsorum, an illa sint distincta, & differentia ratione unius solius distinctionis communis utrique (sicut extrema solent esse unita ratione unius solius unionis communis utrique; & sicut ratione unius solius actionis solent duo esse inter se causa, & effectus,) & ratione unius solius differentia; an ratione duarum distinctionum, ac duarum differentiarum, ut re ipsa contingit, & ex aliis principiis est nobis notum. Ergo etiam ab omnibus differentiis individualibus, & singularitatibus primo quidem intentionaliter sumptis, potest abstrahi ratio communis, & univoca.

167. 3. Objicientibus fore, ut si ultimæ, atque infimæ differentia individualis convenirent univocè in aliquo conceptu, sequeretur in quavis ultima differentia individuali esse duos conceptus, per quorum unum differentia illæ convenirent, & per alterum differrent, & rursum in hoc altero fore alios duos, per quorum unum, ille alter conveniret cum aliis alteris, & per alterum differret: & sic in infinitum. Concede sequelam, si procedat *de conceptibus solis formalibus*, quia horum infinitas in nullo alio stat, nisi in eo quod intellectus posset per æternitatem totam proficere in ista serie cognitionum reflexarum, quam incepisti, quin unquam cessaret ab habendo unas cognitiones reflectentes supra alias. In quo infinito syncategorematico reflexionum, non est absurdum philosophicum.

168. Nega vero sequelam si procedat *de conceptibus objectivis*, idest de realitatibus ex parte rerum existentibus in unaquaque infima, & ultima differentia individuali. Tum quia illas omnes univocè convenire nil aliud est præscindendo à nostris reflexis, ac no-

vis

vis reflexionibus, quam quòd prædicti duo conceptus, sive cognitiones *Indistinctio, &c. ultima ratio, &c.* attingant rationem verè multiplicem (ut attingunt, siquidem Petreitas est ultima ratio differendi, & est indistinctio in se, & Pauleitas est ultima ratio differendi, ac indistinctio in se, & similiter de reliquis differentiis individualibus,) & non exprimant clarè multipliciter hanc. Sed ista infinitas conceptuum objectivorum, sive prædicatorum in unaquaque differentia individuali, neque requiritur ad hoc, neque sequitur ex hoc. Nam cur! Ergo: Tum quia licet passim dicatur loquendo, v. g. de homine, habere duo, tria, quatuor prædicata, sed conceptus objectivos, hæc locutio est larga, licet necessaria, & significat dualitatem, trinitatem, quaternitatem, *cognitionum* quibus hominem cognoscimus; non verò dualitatem objectivam prædicatorum hominis; quia hæc verè, ac castigatè loquendo non sunt *hæc non sunt duo, sed unum* quid realiter simplicissimum, cum sint prædicata realiter simpliciter identificata inter se.

169. Utimur verò verbis pluralis numeri in disputationibus, quia non habemus alia ad explicandum sine confusione, quod dicere volumus; & quia apprehendimus per speciem, sive per modum duorum, rationalem animalitatem hominis, sicut Angelos apprehendimus per speciem, & modum juvenum. Est autem antiquissimum loqui, prout apprehendimus. Ergo neque loquendo de homine ipso est verum quod ibi sint ex parte rerum *Duo* conceptus objectivi per quorum unum conveniat homo cum aliis, & per alium differat. Sed expressè, ac castigatè loquendo, debet dici hominem cognosci à nobis per duas cognitiones realiter distinctas per quarum unam; v. g. *Animal* non apparet distinctus ab aliis, & per quarum alteram apparet distinctus: v. g. per hanc *Rationale*: Idem ob eandem rationem dicimus de ultimis, ac infimis differentiis individualibus. Hæc autem valent, tametsi conceptus, sive cognitiones facientes universale præscindant objectivè; quoniam in sensu composito hujus præcisionis subsistit prædicata ipsa rei *esse unum realiter*, & solum ob inopiam vocum, usumque antiquum dicuntur esse *prædicata* in numero plurali, & tota præcisio objectiva stat univocè in eo quod cognitiones nostræ sint inter se realiter distinctæ: Ergo adhuc in sententia illa stat, quod non dentur realiter *duo* conceptus objectivi, per quorum unum res conveniat, cum aliis, & per alterum differat; Oportet non abuti locutionibus

bus

bus laicis, quando res strictè disputatur.

170. Hinc 4. admittenda non est Porphyrciana illa definitio individui. *Cujus collectio proprietatum, quæ in uno sunt in alio reperiri nequeunt.* Proprietas autem notatur his versiculis: *forma, figura, locus, stirps, nomen, patria, tempus, unum perpetua reddere lege solent*: quamvis enim collectio proprietatum unius individui, si in eis numeretur differentia, sed distinctio sua individualis nequeat esse in ullo alio: verumtamen istæ solæ proprietates solum distinguunt sensibiliter quoad nos unum individuum ab alio, & insuper cum sint materiales non cadunt in individua purè spiritualia, v. g. in duas cogitationes solo numero distinctas, in duas animas separatas à corporibus, in duos Angelos. Est itaque ista definitio moralis, & sufficiens ad loquendum ordinariè de individuis, sed non metaphysica, & sufficiens ad scholasticam disputationem. 5. Eadem differentia infima, ultima, individualis Petri, nimirum Petreitas, est ratio qua Petrus convenit cum alio sub hoc conceptu *Individuum, singulare, indistinctum in se, &c.* (Siquidem tam individuum, tam singulare, tam indistinctum in se est Joannes, quam Petrus,) & simul ratio, qua Petrus disconvenit saltem inadæquatè à Joanne sub hoc conceptu *Petrus*. Non est autem absurdum, quod idem sit ratio conveniendi, ac simul disconveniendi sub diversis conceptibus.

171. 6. Hi conceptus *Hæcceitas, hic, iste, ille, ipse*, & alii, qui contractissimi, ac singularissimi videntur, si utamur illis directè, ut plerumque contingit inter disputandum, & loquendum extra præsentem quæstionem, non sunt conceptus communes; & univoci: quia plerumque utimur illis ad significandum unam solam rem. Ergo non significant tunc rationem, sed naturam, sed prædicatum à parte rei multiplex: Ergo non faciunt universale: Ergo tunc non sunt conceptus univoci. Sin utamur illis reflexè ut in præsentem quæstionem ad significandum rationem hæcceitatis isticitatis, illeicitatis, cum hæc sit multiplex, quia loquentes de Petro dicimus *hic, iste, ille*, & etiam loquentes de Joanne, & etiam loquentes de Paulo: idcirco isti quoque termini si sumantur reflexè, sunt conceptus communes, universales, & univoci tamen videantur singularissimi, ac omnium contractissimi. Denique cum ratio individui, quæ est in Petro, importet secum non distinctionem à Petro, & distinctionem ab alio, & hæc indistinctio à Petro non inveniatur in ullo alio individuo, quippè omnia alia distinguuntur

à Pe.

à Petro: hac de causa non diximus rationem individui, *quæ est in Petro esse universalem, univocam, & communem aliis*, sed rationem individui ut sic, præscindendo prorsus à Petro, Joanne, & reliquis omnibus.

§. III.

172. **R**ogabis 3. Quid sit, & an detur in rebus individuum vagum. Hæc vox significat vulgè eum, qui nullo certo gaudet domicilio, & in hoc sensu ajebat Cain. *Ero vagus, & profugus in terra.* Atque in eodem, monebat Isaias. *Egenos, vagosque induc in domum tuam.* Sed hic sensus alienus est à præsentem: igitur individuum vagum naturæ humanæ, v. g. est illud quod cum sit homo (alias non esset naturæ humanæ) neque est hic, neque ille, neque illa, & sic discurrendo per omnes, sed *aliquis*, sed hæc palam est chymara, quia omne quod est homo, aut est realiter hic determinatè, aut ille, aut illa in particulari: ergo individuum vagum, ut vagum naturæ humanæ est impossibile. Cumque idem contingat in omnibus aliis naturis, inde est quod individuum vagum strictè loquendo non datur, nec dari potest in rebus.

173. Cæterum est possibile, & passim datur individuum vagum in communi modo loquendi intellectum: quoniam juxta inveteratum illum modum loquendi, quo applicamus objectis nomina actuum nostrorum, sicut è converso applicare solemus nostris actibus nomen objectorum, ut cum dicimus. *Fides divina* &c. juxta hunc inquam usum, aut abusum, individuum vagum significat individua ipsa determinata, sed *cognita cognitione formaliter, aut æquivalenter disjunctiva*, v. g. hac cognitione. *Aliquis homo, hic, vel ille, vel ille homo*; sicut universale significat naturam verè multiplicabilem, sed cognitam cognitione adunante illam: & sicut conditionatum significat rem *cognitam* cognitione habente modum tendendi conditionalem: nempe appingitur objectis nomen actuum intellectus. At passim contingit, quod individua alicujus naturæ cognoscantur cognitione, quæ formaliter, aut æquivalenter sit disjunctiva: ergo individuum vagum in hoc lato, & communi modo loquendi est possibile, & passim datur non quidem à parte rei, hoc est independenter à nostris cognitionibus, sed dependenter constitutivè ab his, quatenus per unam ex his constituitur in

Gg

esse

esse individui vagi, sicut per aliam constituitur natura humana in esse universalis.

174. Hinc 1. Quando dicimus, *Individuum vagum hoc fecit, hoc dixit &c.* sensus est. *Aliquis hoc fecit, hoc dixit, sed nescio, aut nolo dicere quisnam ille fuerit.* Origo enim habendi has cognitiones formaliter, aut æquivalenter disjunctivas, interdum est voluntas hominis illas habentis, interdum est carentia lucis, ac fundamenti ad concipiendum cognitionem, & iudicium circa unum in singulari, interdum est talis species connexionis rei cum *A.* v.g. ut solum per aggregatum sui, & carentiæ rerum aliarum sit connexio absolute, ac determinate cum *A.* ut est connexio navigationis cum nave *A.* equitationis cum equo *A.* creaturæ cum sui productione *A.* Vide quæ diximus in logica minore inter explicandum suppositiones disjunctivam, & confusam.

175. Hinc 2. Individuum vagum sumptum directe est quidem prædicabile de multis, quoniam de Petro dicitur *est aliquis homo*, & de Joanne etiam *est aliquis homo &c.* sed non est universale, quoniam hi jidem conceptus aliquis homo, hic homo, vel ille homo &c. clarè exprimunt multipliciter hominum: ergo licet sint conceptus communes non sunt univoci, & constituentes naturam universalem, sed æquivoci, quatenus proponunt individuos homines partim, ut idem quoad definitionem, partim ut diversos individualiter, quocirca non sunt æquivoci, sicut alii conceptus æquivoci proponentes sua objecta partim ut idem, partim ut diversa, etiam quoad definitionem; item individuum vagum inspectum reflexè, ac prout nobis apparet per hunc conceptum *individuum vagum* non est universale, quippè hic conceptus ex propriis terminis indicat multipliciter individuorum vagorum. Si enim unum tantum esset individuum vagum, falsò, ac dissone diceremus *individuum vagum*, sicut falsò, ac dissone dicimus *Deus vagus*, quia non est possibilis, nisi unus Deus.

176. Rogabis 4. Quid sit singulare, & an sit etiam universale? Singulare interdum est idem, ac *solus*, in quo sensu scripsit *Marc.* 4. *cus de Domino, & cum esset singularis interrogaverunt eum &c.* id est cum esset solus, segregatusque à turbis. In præsentiarum autem singulare est idem quod *individuum*, *Unum numero*, hoc: quocirca dicenda sunt de singulari, ac de singularitate eadem penitus, quæ supra diximus de uno, & unitate numerica, de individuo, & differentia individuali. Solet sumi dupliciter, primò intentionaliter, &

se-

secundò intentionaliter. Sumitur primò intentionaliter, quando loquimur de illo secundum ea, quæ illi conveniunt à parte rei, hoc est independenter penitus à nostris cognitionibus, & sic sumptum definitur *Indistinctum in se, & distinctum ab alio*, & vocari solet unum *numero*, sive numericè, quia nil omnino speciale importat supra alia suæ speciei, sed dumtaxat facit numerum cum illis, v. g. una gutta aquæ maris facit binarium, & nil amplius cum alia gutta, ternarium cum duabus, quaternarium cum tribus &c.

177. Sumitur secundò intentionaliter quando loquimur de illo secundum ea, quæ habet dependenter ab illis nostris cognitionibus, quæ vocantur secundæ intentiones logicorum. Cumque hæc secundæ intentiones possint esse, vel quibus ratio singularitatis abstrahitur à quovis singulari, vel quibus singulare subjicitur speciei, vel quibus subjicitur generi: inde est quod singulare sumptum secundò intentionaliter, potest esse, vel quatenus est conferibile cum unoquoque singulari. Et sic definitur: *Prædicabile de uno tantum*, vel quatenus est conferibile cum specie, & definitur, *quod immediate subjicitur speciei*, vel mediate est conferibile cum genere, & sic si fuerit singulare, seu individuum completum, v. g. Petrus sub hac expressione *Petrus* exprimente totam essentiam Petri, definitur quod immediate subjicitur speciei, & mediate generi.

178. Nam cum inter *hominem*, & Petrum non mediet aliud prædicatum essentiale inferius homine, & superius Petro, mediet autem inter *Animal*, & Petrum, quippè mediat *homo*, quod prædicatum est inferius respectu animalis, & superius respectu Petri: hac de causa individuum completum Petrus immediate subjicitur speciei *Homo*, & mediate generi *Animal*, id est Petrus est subjectum de quo immediate prædicatur homo, & mediate animal: sin verò fuerit singulare, seu individuum incompletum, v. g. Petrus sub hac expressione, *hoc animal* non exprimente totam essentiam Petri, definitur *quod immediate subjicitur generi*; quoniam sicut inter hominem, & hunc hominem nil mediat in sensu dicto, & homo est tota essentia metaphysica hujus hominis, & quia hæcceitas, seu differentia individualis, licet intimè identificata cum Petro, non spectat ad ipsius essentiam metaphysicam, id est non sonat in definitione illius. Ita inter animal, & hoc animal nil mediat; & animal est tota essentia metaphysica, & consequenter non est genus, sed species respectu *hujus animalis* præcisè ut talis.

§. IV.

179. **Q**uoad secundam partem quæstionis respondemus hoc exemplo, & distinctione; quemadmodum *cognitum* per se, quia cognitum præcisè, signatè est dumtaxat objectum ipsum cognitionis: & objectum hoc per se præcisè non est cognitum, ut patet, sed per cognitionem: ita singulare præcisè signatè non est universale: quia singulare præcisè signatè est dumtaxat objectum illud, quod est singulare, & objectum, vel objecta illa per se præcisè non sunt universalia, sed per cognitionem abstrahentem rationem singularitatis ab omnibus singularibus, quod etiam contingit universali naturæ, quoniam natura humana, v.g. per se præcisè non est actu formaliter universalis, sed per hanc cognitionem *Homo* ut supra diximus: unde neque universalis ipsa natura sumpta signatè est actu formaliter universalis; sed non contingit hoc universali reflexo, quod diximus esse genus ad quinque prædicabilia. Nam objectum hujus secundò reflexæ cognitionis *universale* est species, genus, differentia, proprium, & accidens, quæ omnia, ut talia jam sunt actu formaliter universalia, quia ut talia dicunt naturam abstractam jam à suis inferioribus.

180. Cæterùm quemadmodum cognitum exercitè est verè cognitum: quia hoc eodem actu quo dicimus tale objectum est cognitum, tacitè, ac exercitè cognoscimus illud. Ita *singulare* est exercitè *universale*, sive sermo sit de illo sumpto primò intentionaliter, idest prout est indistinctum in se, & distinctum ab alio, sive de illo sumpto secundò intentionaliter, prout est prædicabile de uno tantum, sive prout est subjicibile speciei, sive prout est subjicibile generi, idest prout est subjectum de quo prædicari potest species, aut de quo prædicari potest genus. Probantur hæc omnia explicando illa. Dicere quod *singulare* est exercitè *universale*, omnibus his modis, nil aliud est, quam dicere, omnes hos conceptus, quos subjungimus esse univocos, seu esse cognitiones exercitè per se ipsas facientes universale, *singulare*, *indistinctum in se*, & *distinctum ab alio*, *prædicabile de uno tantum*, *subjicibile immediatè speciei*, *subjicibile mediatè generi*. Sed omnes hæc cognitiones, seu conceptus sunt univoci, exercitèque per se ipsos faciunt universale: ergo omnia illa sunt vera.

181. Probatum minor, omnis cognitio, sive conceptus exprimens

mens rationem verè multiplicem, sed non exprimens multiplicitem, itaut ex vi præcisè ipsius nequeamus dicere *hæc res est multiplex*, est conceptus univocus exercitè per se ipsum faciens universale illam rationem, sive naturam, sive prædicatum, juxta sæpè dicta. At omnes illi conceptus expriment rationem verè multiplicem: quoniam verè sunt multa singularia, multa indistincta in se, multa quæ sunt prædicabilia de uno tantum (Petrus v. g. de se tantum est verè prædicabilis, Joannes de se tantum &c.) multa subjicibilia immediatè speciei, *homo* &c. Deinde non expriment multiplicitem singularium, indistorum &c. quoniam licet aliundè sciamus esse multa singularia, multaque prædicabilia de uno tantum; attamen ex vi præcisè illarum cognitionum, nequimus dicere esse multa singularia. Sicut licet aliundè sciamus evidenter Petrum furatum fuisse gemmam, id non possumus judicare, aut dicere ex vi præcisè hujus testimonij *Petrus est homo*: ergo omnes istæ cognitiones, sive conceptus exercitè per se ipsos faciunt universale rationem singularitatis, prædicabilitatis de uno tantum, subjicibilitatis &c.

182. Objicies. Omnis conceptus per quem apparet species, est conceptus per quem apparet multiplicitas individuorum, sive singularium: quippe de ratione speciei est habere sub se multa individua, ut nos ipsi fatebimur infra. At per illum conceptum *subjicibile immediatè speciei*, apparet species ut patet: ergo per illum apparet multiplicitas singularium, seu subjicibilium immediatè speciei. Confirmatur, ex ipsis terminis apparet repugnantia inter singulare, & universale: sicut inter rationale, & irrationale, inter unum, & multiplex: ergo sicut rationale non potest esse signatè, aut exercitè irrationale: ita singulare non potest esse exercitè, aut signatè universale. 2. Nil quod, ut tale est prædicabile de uno tantum, potest esse ut tale, prædicabile de multis, sed omne singulare sumptum secundò intentionaliter est prædicabile de uno tantum: ergo sumptum hoc modo non potest esse prædicabile de multis. Sed hoc ipso non potest esse universale, quia de essentia hujus est prædicabilitas proxima, vel remota de multis: ergo.

183. Negamus majorem objectionis, quoniam licet nobis sit certum esse de ratione speciei istam multiplicitem, multi hoc negant; & nobis ipsis hoc est certum ex vi aliorum principiorum, sive rationum, quibus probabimus esse impossibilem speciem immultiplicabilem: ergo ex vi præcisè hujus expressionis, *species*, non appa-

ret ipsius multiplicabilitas, cum hæc sit res controversa, & oporteat recurrere ad alia principia probandi gratia illam: ergo fallum est, quod omnis conceptus per quem apparet species, sit conceptus per quem appareat multiplicitas individuorum. Ad primam confirmationem, distinguo antecedens, inter singulare, & universale, sumpta *signatè* permitto (non enim est omninò verum: siquidem genus, v.g. est unum singulare ex quinque prædicabilibus: & tamen est etiam universale) inter singulare, ac universale *exercitè* nego.

184. Quia sicut natura humana, quæ sanè est multiplex, constituitur una per hanc eandem cognitionem *Homo*, per quam exprimitur illa natura realiter multiplex: ita per hanc eandem cognitionem *singulare* *exercitè* fit universalis ratio singularitatis propter discursum nuper factum, & hinc patet disparitas ad illud exemplum; nulla quippe est possibilis forma per quam rationale orbetur capacitate radicali discurrendi: ergo neque *signatè*, neque *exercitè* potest esse irrationale. At est possibilis, de factoque datur forma per quam *exercitè* fiat mentaliter unum, quod realiter est multiplex, nempe hæc cognitio, *Homo*, & forma per quam fiant universale illa, quæ realiter sunt singularia: nimirum hæc cognitio, seu conceptus *singulare*, *Prædicabile de uno tantum*, in quibus cognitionibus concurrunt omnes qualitates necessariae, ac sufficientes ad faciendum per se ipsas universalem extrinsecè quidem, ac intentionaliter rationem singularitatis.

185. Ad secundam distinguimus majorem. Nil quod ut tale &c. potest esse *signatè* prædicabile de multis concedo: quia quod independentè ab omni cognitione non potest esse prædicabile, nisi de uno, independentè ab omni cognitione non potest esse prædicabile de multis. Nil quod ut tale &c. potest esse *exercitè* prædicabile de multis nego; quia sicut natura humana, quæ ut talis est multiplex, fit *exercitè* una per hanc cognitionem *Homo*: ita quod est prædicabile de uno tantum, *exercitè* per hanc eandem cognitionem, constituitur aptum in sensu supradicto, ut prædicetur de multis: quoniam cum Petrus sit prædicabilis de se solo, & hæc charta sit prædicabilis de se sola; & hæc penna sit prædicabilis de se sola: inde fit quod *esse prædicabile de uno tantum*, de multis est reflexè prædicabile, & ratio negandi est ratio ipsa nostræ conclusionis: quia prædicabile de uno tantum, esse *exercitè* prædicabile de multis; nil est aliud quam quod hæc cognitio: *Prædicabile de uno tantum* exprimat rationem verè multiplicem, & non aperiat hanc multipliciter.


Sed

Sed hoc ita contingit juxta ibi dicta: ergo prædicabile de uno tantum, est *exercitè* per hanc eandem cognitionem prædicabile de multis.

186. Et distinguimus minorem, est *signatè* prædicabile de uno tantum, concedo; est *exercitè* prædicabile de uno tantum, nego & distinguimus similiter consequens: non potest esse *signatè* prædicabile de multis concedo, *exercitè* nego. Nec propterea prædictæ cognitiones destruunt *exercitè*, quod *signatè* adstruunt. Nam facere per se *exercitè* prædicabile de multis id, quod est prædicabile de uno tantum, nil aliud est dissipato fumo vocum, quam, quod prædicabilitas de uno tantum, inveniatur in multis, & hoc non exprimitur per illas cognitiones, seu conceptus. At in hoc nullum est absurdum, neque hoc est destruere positivè *exercitè*, quod adstruitur *signatè*; sed est purè, ac præcisè exprimere prædicabilitatem de uno tantum, quod verè convenit multis, & non

exprimere hanc multipliciter: & insuper quod in hoc solo stet esse formam constitutam prædicabilitatis de multis: ergo.

Finis Disputationis Secundæ.



DISPUTATIO TERTIA.

DE UNIVERSALIBUS IN SINGULARI, SEV DE QUINQUE PRÆDICABILIBUS.


Illa sunt quinque, nec plura, nec pauciora, ut probavimus Capite 7. antecedentis Disputationis. Nimirum *Genus*, *Differentia*, *Species*, quæ ex utroque componitur *Proprium*, *Accidens*. Omne enim quod de altero prædicatur, tanquam superius, & universale respectu illius (secus tanquam æquale de æquali, ut animal rationale de homine: Petreitas de Petro, & sic de aliis, ubi prædicatum non latius patet, quam subjectum) uno ex eis quinque modis prædicari debet, ut ibi explicuimus. Hæc ergo quinque prædicabilia fuscipimus modò explicanda, & quidem breviter, cum jam sint exposita, quæ illis sunt communia. Principio autem dicimus illa formaliter, ut talia differre invicem specie, non quidem *Physica* (siquidem non dantur *Physicè*, sed tantum *Logicè*, ac intentionaliter prædicabilia, ut talia, sive ut universalialia) sed specie *Logica*; quoniam juxta dicenda postea, ea differunt specie, quæ differunt definitione, quoad differentiam illius, idest in quorum definitionibus differentie sunt distinctæ, itaut definitio unius non possit affirmari verè de altero in sensu reali, si res procedat in sensu reali: vel non possit affirmari in sensu formali logico, si res procedat in hoc sensu. (Individua autem, speciei ejusdem definiuntur eadem definitione.) At in definitionibus quinque prædicabilium differentie sunt distincte in consideratione logicorum. Nam genus prædicatur, ut *pars materialis*. Differentia, ut pars formalis, species ut tota essentia &c ergo quinque prædicabilia differunt specie logica, Disputationem totam quinque capitibus distinguemus. Juxta numerum quinque Prædicabilium.

Caput

- Caput I. *De Genere.*
 Caput II. *Quatuor Questiones super Genere.*
 Caput III. *Quid, & quotuplex sit differentia.*
 Caput IV. *Quid, & quotuplex sit species.*
 Caput V. *Quid, & quotuplex sint Proprium, & Accidens.*

CAPUT PRIMUM.

De Genere.

1.  Enus accipi solet pro multitudine rerum, quæ sunt ejusdem speciei, unde scriptura dicit de filiis Noë. *Ab his disseminatum est omne genus hominum super terram.* Item pro origine, sive familia. Unde dicit alia scriptura. *Aræba de genere Gigantum, & alia.* 2. Reg. 21. Tobia 5.
 Ex magno genere est. In præsentia autem genus accipitur pro quo-
 vis prædicato, quod verè convenit multis speciebus, & exprimitur per cognitionem, vi cujus præcisè non possumus detegere ullam multitudinem, aut specierum, aut individuorum, v.g. Animal sub hoc conceptu, expressione, sive cognitione *Animal*. Nam verè sunt multa animalia specie distincta, sed ex vi præcisè illius expressionis hanc multitudinem agnoscere nequimus. Idem dico de colore, nam ex vi præcisè hujus expressionis *Color*, non detegimus multitudinem colorum, cum tamen multi sint specie diversi: idem de aliis.

2. Genus itaque in hac acceptione, definitur à Porphyrio, quod de pluribus differentibus specie, in eo quodd quid est prædicatur. Sed quia necesse non est hominis istius mentem tanti facere, omissis difficultatibus hac super definitione exortis, damus definitionem generis vulgo admittam, coincidat nec ne cum ista porphyriana. Genus est, *Prædicabile de multis tanquam pars materialis essentia metaphysica illorum.* Genus est triplex. Infimum, medium, sive subalternum, & supremum. Genus infimum est illud quod extenditur ad solas species infimas, v.g. Animal quod solum convenit homini, cani, equo, & reliquis animalibus, quæ specie tantum infima, seu athoma differant; & hoc genus infimum vocari solet, *species subalterna*, species quidem, quia tota essentia hujus, & illius animalis præcisè ut talium, est esse vivens sensibilis, & nil aliud, *subalterna*,
 H h quia

quia continetur sub genere superiore, nempe sub hoc *vivens*, & continet infra se species infimas. Genus medium, sive subalternum est illud, quod cum comprehenditur sub alio magis universalis, extenditur ad res non solum specie, verum etiam genere distinctas, v. g. *vivens* quod comprehenditur sub hoc magis amplo genere *substantia*, & non solum convenit cunctis animalibus; verum etiam herbis, & arboribus, quæ cum non sint viventia sensibilia, sed insensibilia, differunt genere ab omnibus animalibus, & hoc etiam genus vocatur species subalterna respectu hujus, & illius viventis præcisè, ut talium ob eandem rationem, ob quam genus infimum.

3. Genus supremum est illud, quod sub nullo alio continetur, & convenit, aut convenire potest omnibus prorsus generibus, speciebus, atque individuis. V. g. *Ens*, cum reliquis transcendentalibus, scilicet *res*, *verum*, &c. Quod si hoc exemplum tibi displiceat, eo quod putes esse cognoscibile ab intellectu objectum, quod in se sit chymæra, dicemus quod genus omnium supremum est hoc. *Cognoscibile*. Hoc item genus, est species respectu hujus, & illius entis præcisè ut talis: vel respectu hujus, & illius cognoscibilis præcisè ut talis, ob rationem dictam. Ast non est species infima, neque subalterna, sed maxima, seu suprema.

4. Hinc 1. distinctio inter quinque prædicabilia non est absoluta, quasi non possit unum, & idem prædicatum esse simul genus: v. g. & species, sed est respectiva ad eosdem terminos, & sub eadem expressione propositos. Quemadmodum enim idem Petrus, qui est superior Joanne, potest esse inferior Paulo. Unde superioritas, & inferioritas possunt convenire eidem, sed respectu diversorum. Et idem homo qui est dexter, tibi potest esse sinister alii, unde esse dextrum, & sinistrum possunt convenire eidem: sed respectu diversorum. Ita idem prædicatum *Animal*, quod est genus Petri, Bucephali, & Lyciscæ, est species respectu suorum individuum incompletorum, id est respectu hujus, & illius animalis præcisè ut talium, & idem prædicatum *sensibile*, quod est differentia subalterna si conferatur cum homine, ac equo, est species respectu hujus, & illius sensibilis præcisè ut talium: & idem prædicatum *rationale*, quod est differentia hominis ab equo, est genus confundens hominem cum Angelo, & *Animal* est differentia, nam homo differt ab Angelo per animalitatem, & convenit per rationalitatem sicut differt per hanc ab equo, & convenit per illam;
& idem

& idem prædicatum *Risibile*, quod respectu hominis est proprium, respectu suorum individuum incompletorum est species.

5. Non ergo ita differunt invicem quinque prædicabilia, ut repugnet unum, & idem prædicatum esse simul prædicabile unius speciei, & alius; sed ita ut repugnet esse simul, & respectu eorundem, ac sub eisdem expressionibus prædicabile unius, & alius speciei. 2. Prædicabile *Proprium*, & prædicabile *Accidens* quæ sunt extra essentiam subjecti metaphysicam (v. g. *Locomotivum*, quod in quarto modo infra exponendo est proprium animalis, & *Album*, *Calidum*, quæ sunt prædicata accidentaliter,) licet verificentur de subjectis specie distinctis, ut verificantur, non sunt genus: quia vel prædicantur de subjectis, quibus sunt aut proprium, aut accidens. Et sic cum sint extra essentiam metaphysicam illorum, certè non sunt pars materialis essentia illius. Ergo, non sunt genus respectu illorum. Vel prædicantur de propriis individuis incompletis, v. g. *hoc locomotivum est locomotivum*. *Hoc album, est album*, & sic prædicantur tanquam tota essentia. Ergo, tanquam species. Ergo respectu nullorum sunt genus strictè: quo circa falsum est esse genus omne prædicatum præscindibile ab inferioribus distinctis specie, ac de illis prædicabile. Siquidem hæc duo verificantur de differentia sub alterna, quæ tamen non est genus.

§. II.

6. **J**Am quod attinet ad definitionem datam, illud *Prædicabile* est genus, quod genus convenit cum singulari, & cum aliis quatuor prædicabilibus. De singulis namque horum verificatur esse prædicabile. Neque 1. inferas fore ut si in definitione generis detur genus, sequatur quod genus definiatur per genus, & consequenter per se ipsum; nam distinguo hoc definiatur per se ipsum sub eadem expressione; nego: sub diversa concedo: sicut enim homo cognitus sic *Homo* definitur per se ipsum cognitum, sic *Animal rationale*, & hoc tam longè abest ab absurditate ut potius sit necessarium quandoquidem definitio objectiva debet identificari, cum definito. Ita genus sic cognitum, *Genus* definitur per se ipsum sic expressum, sive explicatum, *Prædicabile de multis*, &c. Vitium definiendi idem per idem committitur quando eadem expressione, sive termino, quo rogamur, respondemus; v. g.

Quid est Homo? est Animal, quod est Homo. Mala definitio, quia respondet per idem, idest per eandem vocem.

7. Neque 2. absurdum est quod detur Genus generis. Tum quia dari genus generis nil est aliud, quam quod genus ita differat ab aliis prædicabilibus, ut simul in aliquo cum illis conveniat. Sed hoc non continet absurdum ullum; quandoquidem nulla est res ita dissimilis aliis, ut simul non sit aliquomodo similis. Ergo non est absurda reflexio generis supra genus, quamvis sit absurda similis reflexio in aliis rebus pro quibus non detur hæc ratio, v. g. actio actionis, unio unionis, cognitio cognitionis, &c. Tum quia nuper diximus unum, idemque prædicatum posse esse simul genus, speciem, ac individuum etiam, *respectu diversorum*; Ergo licet genus directè consideratum sit genus respectu eorum de quibus prædicatur instar partis materialis; inspectum tamen reflexè, & prout nobis apparet per hanc expressionem, *Genus*, potest esse species respectu hujus alius generis magis amplè, scilicet *Prædicabile*. Neque ex eo quod in definitione generis sit genus, & rursus in definitione hujus debeat esse etiam genus, & similiter in definitione hujus debeat esse aliud &c. sequitur processus in infinitum prædicatorum, seu conceptuum objectivorum generis, quod nunc definimus, sed tantum sequitur possibles esse innumeras reflexiones nostras unarum supra alias, & inanem cerebri fatigationem.

8. Quoniam, ut diximus disputatione antecedente, non cuilibet reflexioni nostræ, sive secundæ intentioni logicè respondet in objecto prædicatum, aut res, aut conceptus objectivus distinctus ab aliis ejusdem objecti, nam *Animal*, & *rationale*, v. g. quæ sunt in homine revera coram Deo non sunt duo, sed unum quid simplex, tametsi apprehendantur à nobis per speciem duorum, & loquamur de illis, tanquam si essent *illa*, & *duo*. Est enim antiquus mos idoneus decipiendo tyrones, nisi moneantur appingere objectis aliqua nomina nostrorum actuum, ut eam dicimus. *Hoc objectum est obscurum, est evidens, est probabile, est conditionatum, &c.* Quæ attributa non conveniunt objectis, sed cognitionibus, quas de illis habemus, & appingere etiam nostris actibus nomina objectorum, ut cum dicimus, *Credere fide Divina, credere fide humana, &c.* Ergo ex eo quod in definitione generis sit genus non sequitur infinitum prædicatorum, sive conceptuum objectivorum in genere, sed possibile esse infinitum reflexarum nostrarum cognitionum. Quod si dixeris, saltem genus omnium su-

premum

premum non habere supra se genus aliud per quod definiatur: si item fuerit verum esse cognoscibile genus omnium supremum. Ex istis duabus sequitur illud non esse à nobis definibile (omnis quippe definitio debet constare genere, & differentia,) stultumque foret qui de illo quereretur, *quid sit*, quia stultus est qui quærit quod responderi non potest. Idem argumentum, & replicæ formari possunt contra definitionem differentiæ infra dandam. Nam etiam ibi debet dari differentia in definitione differentiæ, sed respondendum est eodem modo.

9. Illud *de multis* est differentia à singulari, seu individuo, quia hoc directè consideratum est prædicabile de uno tantum, tametsi per hanc ipsam cognitionem exercitè constituatur prædicabile de multis, ut diximus disputatione antecedente. Illud *tamquam pars materialis*, est differentia qua genus differt à reliquis prædicabilibus, quia ut constabit quando eorum damus definitiones, nullum eorum prædicatur tanquam pars materialis essentiæ metaphysicæ. Pro hujus rei intelligentia, adverte 1. solemnes sunt tres phrasæ hic. Videlicet Prædicari *in quid*, Prædicari *in quale quid*, Prædicari *in eo quod quid*. Prima significat prædicari tanquam totam essentiam, quia hæc est per quam respondemus interroganti, *quid est hæc res*, & ob hanc causam vocatur quidditas. Secunda significat prædicari instar formæ adjacentis, seu advenientis alteri, sicut qualitates adjacent subjectis; v. g. albedo huic papyro, frigus huic manui &c. Tertia significat prædicari per modum, seu instar rei per se stantis, sicut corpus stat per se, & non in accidentibus, sed hæc stant in illo, quorum ratio unica est. Voces significant ad placitum, sed placitum logicorum omnium, aut saltem plerorumque est hæc significare illis phrasibus. Ergo hæc significantur.

10. Adverte 2. cum in hoc statu infelici vitæ præsentis non cognoscamus res (exceptis pauculis accidentibus materialibus cadentibus sub sensu materiales,) prout sunt in se ipsis: sed cognoscamus illas ad modum, per modum, per speciem, & instar aliarum, sicut cognoscimus Angelos per modum juvenum venustorum cum tamen neque sint, neque possint esse in se coram Deo juvenes corporei. Et sicut cognoscimus nostras ipsas animas instar puellarum, cum in se coram Deo nec sint, nec esse possint puellæ, cum sint spiritus simplices. Et sicut cognoscimus nostras ipsas cognitiones, judicia, cogitationes, ac discursus per speciem cujus-

dam

dam facultæ, aut flammulæ, cum neque sint, neque possint esse in se coram Deo flammulæ. Cum hæc inquam ita sint, inde nascitur, quod apprehendimus, cognoscimus, disputamus, & loquimur quidditatem, & essentiam rerum, non prout est in se coram Deo, sed per modum, per speciem, ac instar compositi cujusdam gemina parte constantis, ut experimur in compositis physicis, v. g. in homine, in quo dantur corpus, & anima.

11. Sed essentia metaphysica, & quidditas non est, revera ejusmodi compositum, quia animal, v. g. & rationale hominis, non sunt duo, sed unum in se realiter coram Deo. Atque idcirco dicimus essentiam metaphysicam constare genere, ac differentia, quia ut sæpè monitum, non tantum loquimur, sed etiam dicimus prout apprehendimus, sed innumeros barbarissimos commitemus in nostris discursibus, si *judicemus* res evenire in se ipsis verè coram Deo, modo illo, quo apprehendimus, ac disputamus illas. Cur ergo sic apprehendimus, & sic loquimur contra realitatem ipsam rerum? 1. Propter inopiam vocum, & carentiam aliarum propriarum. 2. Propter necessitatem utendi ejusmodi phrasibus ad explicandum utcumque nostros conceptus, quamvis explicacione ipsa inducamus exercitè novas tenebras. 3. Quia ita fert usus mortalium. Sed hoc usu, necessitate, ac inopia abuti non debemus ad indicendum bellum veritati, & ex hoc abusu nascuntur innumera æquivocationes inter disputandum.

12. Rursus cum in compositis, quæ experimur sit una pars, quæ per se stat, estque indifferens, ut jam cum hac, jam cum illa forma constituat diversa composita substantialia, & hæc pars vocatur materia. Nec non sit alia pars adjacens, & adveniens illi, quæque per se est determinata ad constituendum compositum unius potius speciei, quam alius: & hæc pars vocatur forma. Ideo insistentes eidem analogiæ, atque apprehensioni dicimus, essentiam metaphysicam rerum componi ex una parte quam concipimus per modum per se stantis, quæque nobis apparet indifferens, ut jam cum hac, jam cum illa differentia constituat jam hanc, jam illam speciem, non quia contingant res verè coram Deo, sed quia apparent nobis per obscuras, & imperfectas cognitiones, quas habemus.

13. Hanc autem partem vocamus *Genus*, & hac de causa dicimus in hujus definitione, Prædicari tanquam partem materialem essentia metaphysicæ: v. g. Animal dicitur pars materialis essen-

essentia metaphysicæ hominis. Non quia sit ex parte rerum coram Deo aliquod Animal, quod ex se coram Deo sit indifferens, ut sit rationale, aut irrationale: & interdum cum rationali constituit speciem humanam, interdum cum irrationali constituit equinam, &c. Absit barbaries, atque etiam idæa Platonica. Omne quippe animal quod est à parte rei, aut est rationale, & sic cum eo penitissimè identificatur, aut est irrationale, & sic penitissimè cum rationali repugnat. Non inquam est ista causa illius locutionis, quia ista traheret secum universalitatem realem, & formalem à parte rei, sed quia cum familiares nobis sint hæ voces, hæ expressiones, hi conceptus formales *Animal rationale* inspecta prima sola non detegamus lucem sufficientem ad dicendum *est Homo*, illam autem detegamus si illi expressioni *Animal* adjungatur hæ altera *Rationale*, idcirco dicimus Animal esse partem materialem, seu prædicatum indifferens; rationale vero tollere hanc indifferenciam.

14. Applicantes scilicet objectis, & realitatibus, id quod nobis contingit ex vi illarum vocum, seu expressionum, quæ nobis familiares sunt sicut Eclipsim, quam nos pati solemus adscribimus soli, agentes illum eclipsari, nec non colores, quos format triangulare vitrum tribuimus objectis, agentes, illa esse rubra, viridia, &c. Quamobrem in casu præsentis, & in omnibus aliis de universali, & de universalibus debes cautè procedere juxta ea, quæ inculcavimus initio disputationis secundæ, & existimare omnia, quæ affirmamus, ac negamus, non esse de rebus ipsis prout sunt in se coram Deo: sed de rebus ipsis prout nobis apparent per tales, ac tales cognitiones, nisi declinare velis ad ideas Platonicas, & universalialia à parte rei. Neque hoc est declinare plus justo ad Nominales, quia cum tota essentia universalium pendeat ex nostris cognitionibus, ac expressionibus, recurrere ad eas, nec non ad voces externas, quibus illas explicamus pro explicanda quidditate, ac essentia universalium, nec non identitatum, ac distinctionum per rationem, non est *nominalizare*, sed *realizare*.

15. Adverte 3. cum essentia metaphysica, seu definitio debeat esse brevis, & dari per solum genus, ac differentiam; hac de causa proprium metaphysicum; v. g. risibile, ac differentia individualis; v. g. Petreitas, & similia dicuntur esse *extra* essentiam metaphysicam. Non quia ab hac distinguantur realiter: Petreitas enim & risibile, & homo, & Animal, & rationale in Petro sunt unum

unum, & prorsus idem realiter, & solæ voces sunt distinctæ, illisque utimur ad significandum particulatim, id quod est Petrus, quandoquidem nulla occurrit vox ita expressiva, ut ex vi ipsius præcisè deveniamus in cognitionem totius essentiæ Petri: quamvis autem hæc omnia invicem identificentur, non sequitur Petreïtatem, v. g. esse partem materialem essentiæ, aut formalem, aut totam essentiæ. Nam quamvis illa sint unum, & idem,

16. Verum tamen hæc voces, expressiones, seu conceptus formales *Animal*, *Petreitas*, sunt inter se realiter adæquatè distincti, ut constat: Ergo datur capacitas, ut hæc expressio *Animal* exprimat nobis animalitatem, quæ verè est multiplex, secus hæc expressio *Petreitas*. Item illa proponat nobis animalitatem per modum, seu speciem subjecti indifferentis, secus hæc expressio *Petreitas*, sed hoc ipso animal est genus, & pars materialis, secus *Petreitas*, quia in illo, & per illud solam, & in nullo alio stat quod *Animal* sit genus, secus *Petreitas*; Ergo quamvis hæc sint in Petro unum, & idem prorsus realiter, datur capacitas, ut animal sit genus, secus *Petreitas*. Nempè quia omnes propositiones, quibus affirmamus, aut negamus aliquid esse genus, aut differentiam, aut speciem, aut proprium metaphysicum, aut accidens logicum, aut demum universale, sunt propositiones reflexæ, habentes pro objecto illas cognitiones, per quas res de qua fuerit sermo constituitur, aut non constituitur universalis, aut genus &c.

sicut de identitate, ac distinctione formali diximus suo

loco. Argumenta autem ex sensu directo ad

reflexum, ac viceversa non valent,

ut advertimus. Et sic habes

definitionem generis,

atque definitionis

explicatio-

nem.



CAPUT

CAPUT SECUNDUM.

Quatuor Quæstiones super Genere.

17.



Rima est cum definitum definitionis *Generis* sit genus ipsum ut constat; hoc autem constat natura Animalis v. g. quæ dicitur genus, & hac cognitione, seu secunda intentione *Animal*, qua constituitur genus, quodnam ex his est definitum illius definitionis, sola ne secunda intentio, an sola natura, an complexum ex utraque dicens utramque in recto, sicut homo physicè inspectus, est complexum dicens in recto corpus, & animam rationalem, an complexum ex utraque, dicens in recto solam secundam intentionem; An demum complexum ex utraque dicens in recto naturam, & in obliquo secundam intentionem? Hæc difficultas est generalis, non solum in aliis quatuor prædicabilibus, & in definitione universalis in genere, quam dedimus Cap. 1. Disp. 2. sed etiam in definitione cujuscumque concreti accidentalis; v. g. in definitionibus *Albi*, *Calidi*, *Sancti*, &c. & resolvitur per legitimam intelligentiam illarum vocum, quæ passim audiuntur, *specificativè*, *reduplicativè*, *ut quod*, *ut quo*, *in recto*, *in obliquo*, quas explicuimus ad finem Disput. 1. logicæ minoris.

18. Resp. vel sermo est de definito specificativè, ac secundum se præcisè inspecto, & sic est sola natura animalis v. g. quoniam definitum illius definitionis specificativè, ac secundum se præcisè inspectum, est illud solum, & præcisè, quod est ac dicitur genus. At quod est, ac dicitur genus est sola natura, quamvis non sit genus per se solam (sicut quod est, ac dicitur album est solum subjectum, v. g. *Paries*, tametsi non sit per se solum album, sed per adjunctam albedinem.) Hæc enim enunciatio est vera *Animal est genus*; hæc autem falsa, cognitio, seu secunda intentio *Animal*, est genus; Ergo quamquam natura constituatur in esse generis per eam cognitionem; verumtamen, quod est, ac dicitur genus est ipsa sola natura: Ergo hæc sola est definitum illius definitionis, si inquiritur in definitum specificativè, ac secundum se præcisè inspectum. Est, inquam, definitum non in consideratione physi-

I i

ca,

ca, aut metaphysica, quia prædicta definitio generis non sonat vivens sensibile, in quo stat quidditas animalis; sed in consideratione logica, quia ea definitio sonat prædicabilitatem de multis, in qua stat quidditas animalis in quantum est universalis.

19. Vel sermo est de definito reduplicativè, ac formaliter, ut est genus; & sic definitum prædictæ definitionis est concretum, seu complexum ex natura animalis, & illa secunda intentione, naturam dicens in recto, & intentionem in obliquo. Probatur prima pars. Definitum sine dubio est genus, sicut definitum definitionis hominis est homo. At genus reduplicativè, ac formaliter, ut genus est complexum ex natura, & secunda intentione sicut album formaliter, ac reduplicativè, ut album est complexum ex subiecto, & albedine, & in cæteris concretis accidentalibus idem: ergo: & ratio est. Si genus reduplicativè, ut genus consisteret plenè adæquatè in sola natura animalis, v. g. omnis casus possibilis in quo daretur hæc natura, esset casus in quo daretur genus reduplicativè ut genus, quia repugnat dari id cum quo identificatur adæquatè *A.* quin datur *A.* cumque deficiente illa cognitione *Animal* possit dari natura animalis, sequeretur quod illa deficiente cognitione, hæc natura esset genus reduplicativè, ut genus, quod falsum est: ergo genus, ut tale non consistit plenè adæquatè in sola natura: ergo cum aliquo alio identificatur saltem inadæquatè, sed non est aliud assignabile, nisi illa cognitio *Animal*: ergo genus reduplicativè, ut tale importat essentialiter hanc cognitionem, cumque idem discursus possit formari probandi gratia illud non consistere plenè adæquatè in sola secunda intentione, palam fit, genus formaliter, ac reduplicativè ut tale, & consequenter definitum illius definitionis reduplicativè, ut tale esse complexum ex natura, & illa secunda intentione.

20. Sed natura venit in recto secunda illa intentio in obliquo, quæ erat secunda pars. Venire namque in recto, seu significari in recto, nil est aliud à parte rei, quam esse id, de quo directè affirmatur, aut negatur id quod affirmatur, aut negatur de illo concreto. Venire autem, seu significari in obliquo, nil aliud est, quam esse formam, vel quasi formam constituentem illud in esse talis, ut de ipso possint verè affirmari, aut negari, quæ affirmantur, aut negantur de illo concreto. At quamvis illa secunda intentio *Animal* constituat naturam animalis in esse talis, ut de ipsa affirmetur esse genus; verumtamen id, de quo affirmatur esse genus, atque prædicabile

cabile de multis, non est illa secunda intentio, sed sola natura animalis solitudine excludente, non quidem *existentiam* illius secundæ intentionis, sed *affirmitatem* quod illa sit genus, adhuc partialiter, & inadæquatè, quia hæc sola, non autem illa, aut complexum ex utraque identificatur cum homine, cum equo, cum cane &c. quod si aliquis dicat hujusmodi concreta accidentalia importare in recto formam, quia hæc est quæ principaliter significatur. Concedo de principalitate claritatis, seu expressionis: nam album, v. g. clarius, & expressius significat albedinem, quam subiectum. Nego autem de principalitate affirmationis, quia quod est album, non est albedo; sed subiectum, cui inest albedo.

21. Ergo quamvis illa secunda intentio constituat naturam animalis in esse talis, ac in tali statu, ut de illa possit verè affirmari esse *Genus*; verumtamen sola hæc natura solitudine dicta venit in recto, illa verò secunda intentio in obliquo. Sic præter exemplum *Albi* nuper datum; Gratia sanctificans constituit rationalem creaturam in esse, ac statu filix, & amicæ Dei, atque hæredis gloriæ. Id autem de quo affirmatur amicitia, filiatio adoptiva, & hæreditas, nec partialiter est gratia sanctificans, sed sola creatura rationalis solitudine insinuata. Item auxilium divinæ gratiæ constituit voluntatem nostram in esse, ac statu merendi. Id verò de quo affirmatur posse mereri, ac posse peccare, nec partialiter est ipsum auxilium, sed sola voluntas, quia hæc sola adjuncta per gratiam Dei est libera ad merendum &c. Fatemur rem hanc posse detorqueri ad quæstionem de voce, sed quem dedimus, videtur modus loquendi magis castigatus, & purus.

22. Objicies. Non est definitum in illa definitione adhuc in obliquo illud, cujus essentia non explicatur, adhuc in obliquo per illam definitionem. Character quippè definitionis est explicare essentiam definiti. At essentia illius secundæ intentionis non explicatur adhuc in obliquo per definitionem generis, ut constat: ergo adhuc in obliquo non est definitum illius definitionis. Confirmatur. Id solum est definitum illius definitionis, quod solum est genus, atque identificabile cum multis, sed sola natura animalis, v. g. non autem hæc cognitio *Animal* est genus, atque identificabilis cum multis, ut patet: ergo sola natura animalis, v. g. non verò illa cognitio, sive secunda intentio est definitum in definitione *Generis*. Negamus majorem objectionis, nam character definitionis non est explicare essentiam sui definiti quoad obliquum, sed quoad rectum:

idest explicare in sensu metaphysico, aut logico essentiam illius, quod per tale obliquum constituitur in esse talis.

23. At quamvis definitio *Generis* non explicet adhuc in obliquo essentiam illius cognitionis *Animal*, videlicet quod sit actus vitalis cognoscitivus &c. explicat tamen essentiam naturæ, ut constitutæ per illam cognitionem in esse generis: & natura sola est illud quod venit in recto per illud definitum, ut diximus: ergo. Ad confirmationem distingo majorem: Id solum est definitum, in recto quod &c. concedo. Id solum est definitum in obliquo, quod solum &c. nego majorem, quia definitum in obliquo non est id, quod est genus, sed id per quod constituitur in esse generis illud quod fuerit genus. At licet illa cognitio non sit genus, per illam constituitur animal in esse generis: ergo: & concessa minore, distingo consequens. Illa cognitio non est definitum in recto, concedo consequentiam, non est definitum in obliquo nego. Repete hic rationem, ac exempla suprascripta.

§. II.

24. **Q**uæstio 2. est. *An genus requirat essentialiter inferiora*, idest subjecta de quibus, ut superius prædicetur distincta in specie: ita ut non possit esse genus, quod non fuerit prædicabile de multis differentibus specie. Resp. affirmativè, & probatur ex ipsa definitione generis, in qua intuitu hujus quæstionis superfedimus illis terminis *differentibus specie*, quos plerumque ponunt in ea definitione. De essentia generis reduplicativè, ut talis (jam monuimus non esse à parte rei physicè *Genus*, & consequenter, nec essentiam generis, quia universalia omnia constituuntur per cognitiones nostras) est quod sit prædicabile de multis *tanquam pars materialis quidditatis*, sive essentiæ metaphysicæ illorum. At esse partem materiale[m] stat in eo, quod illo eodem conceptu, sive expressione, qua constituit unam quidditatem, sive definitionem, possit verè constituere aliam speciem diversam (quippe sola indifferentia ad multa solo numero distincta, qualia sunt individua, competit etiam differentia specificæ infimæ, & tamen non est pars materialis) ut constat in omnibus illis, quæ citra controversiam sunt genera. Siquidem animal hac eadem expressione constituit speciem humanam, nempe *animal rationale*, & equinam nempe *animal hinnibile*, & leoninam, nempe *animal rugibile* &c. Item vivens hoc

hoc eodem conceptu constituit speciem rationalium, nempe *vivens intellectivum*, & speciem animalium, nempe *vivens sensitivum*, & speciem arborum, nempe *vivens nutritivum*.

25. Ergo de essentia generis reduplicativè, ut talis est, quod illo eodem conceptu, sive expressione, qua constituit unam quidditatem, seu definitionem, possit verè constituere aliam speciem diversam: sed hæc ipsa essentia generis, ut talis possit, quod possibiles sint sub se multæ species, quia alias non posset illo eodem conceptu, quo verè constituit unam, constituere aliam, quandoquidem non nisi chymaticè, ac fictitiè foret alia: ergo. Quod si verè non sint possibiles multæ species sub aliquo prædicato, illud tamen appareat indifferens, ut constituat eodem conceptu multas quidditates, illud erit genus apparenter, & illusoriè respectivè ad illum intellectum, cui eo modo appareat indifferens, sed non erit verè genus logicum ea specie veritatis, cujus capax est genericitas, nempe quod prædicatum verè constituat diversas quidditates, ac definitiones sub eodem conceptu, ac expressione.

26. Dices 1. Ad rationem generis sufficit quod sub eadem expressione possit constituere definitiones metaphysicas, quæ sunt distinctæ. At possunt esse distinctæ quin distinguantur specie, ut patet in his. *Principium sentiendi*, *Principium discursus*, quæ sanè sunt distinctæ, & tamen non distinguuntur specie, quoniam animal quod est definitum primæ identificatur realiter cum rationali quod est definitum secundæ: ergo. Sed contra. Vel loqueris de definitionibus formalibus, idest de nostris cognitionibus, quibus res definimus, vel de objectivis, idest de ipsis quidditatibus, atque essentiis rerum. Si primum non sufficit, quoniam eo ipso quod duæ definitiones formales distinguantur numero, verè distinguuntur, sicut unus homo ab alio, sed quod unum prædicatum sub eadem expressione constituat duas definitiones formales numero distinctas, non sufficit ut illud sit genus, ut videtur planum: ergo quod unum prædicatum sub eadem expressione constituat definitiones formales, utcumque distinctas, non sufficit ut sit genus.

27. Si secundum dissimulato falso supposito, quod tunc erit, siquidem genera non constituunt quidditates, ac definitiones objectivas sub expressionibus, aut per expressiones; sed à parte rei independentem ab illis. Aio quod sufficit. Attamen eo ipso erunt illæ quidditates specificè distinctæ. Nam quoties differentia propriissime duarum quidditatum sunt distinctæ, illæ duæ quidditates distin-

guuntur specie, quoniam differentia propriissima sunt distinctivum specificum, ut postea dicemus. At quoties duæ definitiones objectivæ sunt distinctæ, saltem differentia propriissima, quibus constant, debent esse distinctæ, nisi fortè etiam distinguantur genera, unde resultabit major distinctio, quam specifica: ergo quoties definitiones objectivæ sunt distinctæ, illæ duæ quidditates distinguuntur specie: & confirmatur, quia definitiones metaphysicæ non sunt individuum, ut talium, excepto Deo, sed specierum, v. g. metaphysica non definit immediatè Petrum, aut Joannem; sed *hominem*, qui est species, & ratione *hominis*, ac mediante homine dicitur, genus *animal* esse pars materialis essentia metaphysicæ individuum: ergo si definitiones metaphysicæ objectivæ sunt diversæ, species sunt diversæ. Istæ autem duæ definitiones, quæ obijciuntur, sunt quidem distinctæ, si loquaris de definitionibus formalibus, nam certè sunt duo actus intellectus valdè diversi. Sin loquaris de objectivis ipsis prædicatis animalis, & rationalis, quæ istic definiuntur, non sunt distinctæ definitiones, nam eademque res, nempe omnes homines, sunt realiter, ac virtualiter Principium sentiendi, & Principium discursus.

28. Dices 2. Si est de essentia generis, quod illo eodem conceptu, sub quo est genus possit verè constituere diversas quidditates, ac definitiones objectivas, & consequenter prædicari de illis, & consequenter multiplicari in illis: quomodo stat quod sub illo conceptu sit unum, sit universale, sit genus? cum toties dixerimus unitatem universalis stare in eo, quod natura non appareat multiplex! contra. Aliud est quod natura animalis, v. g. sub hoc conceptu *Animal* appareat nobis capax, seu indifferens ad constituendum diversas definitiones objectivas, sive quidditates. Aliud autem, quod aliundè cognita nobis multiplicitate illarum definitionum objectivarum, idest multiplicitate specierum animalium, illo eodem conceptu possimus construere nostro modo definitiones illarum specierum. Illud officeret universalitati animalis; at illud non dicimus in præsentem; sed hoc secundum, agentes reflexè, illud esse Genus logicum, quod cum realiter sit multiplex, & ex vi expressionis, v. g. hujus solius *Animal* non appareat nobis capax constituendi multas species; verumtamen postquam noverimus aliundè quam ex ea sola expressione illud esse multiplex, possumus uti illa eadem expressione ad explicandum quidditates diversas, v. g. *Animal rationale. Animal hinnibile. Animal rugibile* &c.

29. Sup.

29. Supposito quod non dicimus *Genus* differre ab *specie* eo quod hæc sit prædicabilis de multis differentibus numero; illud autem de differentibus specie, quia licet hoc discrimen sequatur ex differentia primaria, & propriissima *generis ab specie*, ut diximus, illa non stat in hoc, sed in eo, quod genus prædicabile sit *tanquam pars materialis essentia metaphysicæ*, & species *tanquam tota essentia*. Hoc inquam supposito obijcies rationem, cui non pauci succubuerunt. Eo ipso quod *Animal* prædicetur de individuis naturæ humanæ tanquam pars materialis essentia metaphysicæ illorum, prædicatur de illis tanquam genus. Sed præscindendo ab eo, quod sint, necne possibile individua alius speciei, *Animal* prædicaretur de individuis humanis tanquam pars materialis: ergo tanquam *genus*: ergo ad hujus rationem non requiritur prædicabilitas de multis differentibus specie. Probatur mihi: In primis *Animal* prædicaretur de illis tanquam universale, quia ad hoc sufficit quod illis omnibus conveniat, & illorum multiplicitas non appareat per eam expressionem *Animal*. Deinde non tanquam tota essentia illorum, quia ex eo quod sint, vel non sint possibile animalia alius speciei, non sequeretur totam essentiam Petri, Joannis &c. fore, *esse animal*, quin spectaret ad illorum essentiam esse rationale. Præterea non prædicaretur tanquam pars formalis, aut proprium, aut accidens, ut videtur planum: ergo prædicaretur tanquam pars materialis.

30. Distinguo minorem objectionis. Præscindendo præcisione significatè individua illa esse impossible, *Animal* prædicaretur de individuis humanis tanquam pars materialis, nego; quia cum sit impossibile, quod sint impossible animalia aliarum specierum: & *dato uno absurdo, seu impossibili, cætera accidunt*, ut inquit Philosophus, prædicaretur, & simul non prædicaretur *Animal*, ut pars materialis in isto casu, & eveniret quidquid voles. Præcisione relinquente possibile illa individua, prædicaretur ut pars materialis, concedo: quia quod mente præscindamus à possibilitate illarum aliarum specierum, non tollit quod illæ sint possibile, & consequenter non tollit quod *animal* sub hac expressione *animal sit capax, seu indifferens* ad multas species possibile, & similiter distinguuntur cætera. Aliud est quod desideratur, ut *animal* v. g. sit genus. Aliud quod desideratur, ut aliquis possit dicere illud esse genus. Ad primum sufficit quod sub illa expressione possit constituere quidditates, seu essentias metaphysicas specie distinctas, & consequenter sufficit aliis sup.

suppositis, quod hæc sint possibles. At illæ sunt possibles verè à parte rei, præscindamus necne ab ipsarum possibilitate: ergo præscindamus necne, datur id quod sufficit, ut animal sit genus, & quod sufficit ad veritatem nostræ conclusionis. Ad secundum requiritur quod ille cognoscat esse possibles multas species animalium: ergo si id non cognoscit, vel ab hoc præscindit, nequibit dicere Animal esse genus - quamvis poterit dicere Animal esse universale: quam ergo speciem universalitatis adscribet animali? Ipse viderit. Non est novum quod in perplexitatem incidat, qui agnoscens fundamentum connexionis, ignorat terminum, vel ab eo præscindit. Ex quibus omnibus habes, genus non importare in nullo conceptu formali specificam distinctionem illorum, de quibus est prædicabile; importare verò fundamentum connexum cum possibilitate illorum, nimirum prædicabilitatem instar partis materialis.

§. III.

31. **Q**uæstio tertia est: *An genus prædicetur, ut pars, an ut totum potentiale, an ut totum actuale?* Respondeo omnibus istis modis prædicari, *ut pars* quidem, quia ut nuper dicebamus, genus est pars materialis essentiæ metaphysicæ inferiorum; *ut totum potentiale*, quia hoc stat in eo, quod prædicetur tanquam universale complectens omnes suas species, idest quod animal, v. g. quando prædicatur de specie *Homo*, vel de individuo *Petrus* perseveret universale respectu omnium suorum specierum, atque individuorum; sed hoc ita contingit juxta illa, quæ fusè diximus disput. 2. ergo. Ut totum denique actuale, quia omne genus (excepto illo quod fuerit indefinibile humanitas, eo quod non occurrat aliud genus magis universale per quod definiatur) est quoddam totum metaphysicum constans genere, ac differentia siquidem omne illud est definibile: ergo genus prædicatur, ut pars atque ut totum, licet secundum diversas considerationes.

32. Quæstio quarta est *quomodo prædicetur Genus de individuis.* Hæc vocantur *completa*, quando loquimur de illis expressione, aut voce exprimente saltem fundamentaliter totam illorum essentiæ, v. g. *Petrus: Hic Homo*: vocantur *incompleta*, quando loquimur de illis voce, aut expressione exprimente non totam essentiæ, sed partem genericam; v. g. *Hoc Animal*, Nam loquentes de

quodam cane possumus etiam dicere, *Hoc Animal*: sicut de Petro, & loquentes de hac charta possumus dicere: *Hæc substantia*. Ubi 1. ne putes individuum completum, & individuum incompletum esse duas res à parte rei distinctas, sicut duos homines, duos parietes; absit. Idem namque individuus, singularis, & unus Petrus est individuum completum, quando loquimur de illo sic, *Petrus*, vel sic, *Hic Homo*. Et est individuum incompletum, quando loquimur de illo sic, *Hoc Animal*, vel sic, *Hoc vivens*, vel sic, *Hæc substantia*, vel sic, *Hoc Ens*.

33. Quia nulla ex his locutionibus, siue expressionibus pandit nobis totam essentiæ Petri, sed dumtaxat prædicata genericæ ejusdem; quoniam non possumus dicere ex vi ullius istarum vocum, Petrum esse animal rationale, in quo stat essentiæ metaphysicæ completa illius, ergo omnes istæ expressiones præscindunt à totalitate, completionequè essentiæ Petri: ergo meritò faciunt illum esse individuum incompletum. Tota igitur diversitas inter individua completa, & incompleta stat in sola diversitate expressionum, quibus loquimur de eisdem, quia illarum unæ aperiunt sufficienter totam essentiæ, vel dant fundamentum non leve ad illam aperiendam; alteræ partem solam materialem, siue genericam essentiæ: quo circa locutio pura, & magis castigata foret dicere, individua *completè explicata, incompletè explicata*, sed more solito hæc diversitas, quæ afficit solos nostros actus, appingitur objectis, & dicimus *individua completa, & individua incompleta*, quasi essent ex parte rerum hi duo ordines individuorum.

34. Ubi 2. mirandum est, aliquos viros doctos negare hæc individua incompleta, agentes, Animal. v. g. non posse multiplicari immediatè in individua, sed solum mediatè, mediante specie. Item agentes, genus supremum, v. g. *Ens* non posse concipi immediatè contractum per differentiam individualem, cum præcisione à differentiis intermediis: Unde inferunt, quod quoties genus concipitur contractum per differentiam ultimam individualem non præscinditur à differentiis intermediis; v. g. à rationali, & consequenter concipitur rationale, & consequenter concipitur tota essentiæ illius individui, & consequenter demum, est individuum completum. Valent ambæ rationes, quando sermo sit de differentia individuali ultima sic explicata *Petreitas, Pauleitas, &c.* Quia tunc nec immediatè juxta ordinem assuetum dividunt genus, sed speciem: nec omninò præscindunt à differentiis essentialibus, un-


de sufficienter innuunt totam essentiam, & faciunt individuum completum.

35. Neutra verò valet, quando sermo est de differentia individuali ultima sic explicata, *Hic, iste, ille, ipse*, aut similibus signis demonstrativis, tum quia licet recta, & ordinaria methodus dividendi genus non sit immediatè per individua, sed per species, hoc non tollit, quòd rectè, aut non rectè intellectus sic cognoscat, & dicat. *Hoc Animal, illud vivens, istud ens*, hæc sunt quæ vocamus individua incompleta. Tum quia loquentes de Petro hac sola expressione, *Hoc Animal*, non possumus ex vi illius solius dicere Petrum esse rationalem, nam eadem expressione uti possumus loquentes de lycisca, qui sanè non est rationalis; Item loquentes de Petro hac expressione, *Hæc substantia*, non possumus ex vi illius solius dicere, illum esse sensibilem: nam eadem expressione uti possumus loquentes de hac charta, quæ etiam est substantia, & tamen hæc charta non est sensibilis.

36. Ergo differentia individualis Petri explicata per illud genus. *Hic, hæc, hoc*, & similia, præscindit à differentiis essentialibus intermediis, tamen non præscindat, si explicetur per hoc verbum, *Petreitas*. Et ratio est; Individuum incompletum nil aliud est, quàm Petrus; v. g. cognitus sub expressione non proponente nobis totam ejus essentiam, sed partem solam materialem, aut solam formalem, sed Petrus potest sic à nobis cognosci, & quodvis aliud individuum reale, quoniam certum est experientia ipsa, quod loquentes de Petro possumus, & solemus dicere *hoc Animal, hoc vivens, hoc ens*, quæ expressiones repræsentant quidem nobis prædicata generica, seu partes materiales essentia ipsius, & non exprimunt nobis totam ejus essentiam, quia primum non exprimit nobis rationalitatem, cum eodem possimus loqui modo de lycisca, secundum non exprimit sensibilitatem; cum possimus eodem modo loqui de quadam arbore, tertium non exprimit perfecti-

tatem, cum possimus loqui eodem modo de quovis colore. Ergo, certum videtur, admittenda esse

individua incompleta bene
intellecta.



§. IV.

§. IV.

37. **H**is positis duæ occurrunt difficultates, una quomodo prædicatur genus de individuis suis incompletis. Altera quomodo de completis, mediatè ne, an etiam immediatè: Idest animal quomodo prædicatur de Petro sic explicato, *Hoc Animal*, & quomodo de eodem profus Petro sic explicato *Petrus*. Respondeo. Genus prædicatur immediatè ut species de individuis incompletis. De completis autem non prædicatur immediatè ut species, sed mediatè, atque ut genus. Probatur. Prædicari immediatè tanquam species stat in eo, quòd prædicatum sit tota essentia subjecti, ut sonantis, & apparentis in ea propositione, ita ut non sit necessarium uti alio medio ad probandum prædicatum illud convenire illi subjecto; sed hoc convenit Generi respectu individuum incompletorum: *Hoc Animal, illud Animal*, & non respectu completorum *Petrus, Joannes, &c.* Probatur. Quamvis hoc animal, nempe Petrus, verè ex parte rerum habeat alia attributa, & non stet sua tota essentia in animalitate, & hac de causa hæc prædicatio, *Hoc Animal est Animal*, non sit completa ex parte objecti, est tamen completa *ex parte modi*, sive apparentia: quia hoc animal, ut sic nude, ac præcisè apparens, *hoc Animal*, nullum aliud prædicatum essentialiale innuit, quàm esse animal, estque adeo evidens per se, quando aliunde non est suppositum falsum, hoc animal esse animal, ut non nisi frivole, ac superflue uteremur alio medio, seu ratione ad hoc probandum: Ergo in hac prædicatione. *Hoc Animal est Animal*, hoc genus *Animal* prædicatur ut tota essentia, atque ut species, & consequenter immediatè de hoc animali, ut sic præcisè explicato, quòd est individuum incompletum.

38. Non ita in hac, *Petrus est animal*, ubi subjectum est individuum completum, seu potius completè explicatum; quoniam nec tota essentia Petri, ut Petri, est esse animal, siquidem Petrus, ut propositus nobis hac expressione, indicat nobis ultra animalitatem, aliquid aliud sibi essentialiale, nimirum rationalitatem. Nec esse animal ita affirmamus de Petro, ut non utamur rationabiliter alio medio, seu ratione ad id probandum; utimur nempe juxta regulas philosophandi alio medio proximiorè, agentes, *omnis homo est animal, sed Petrus est homo*. En inter animal, & Petrum ut ta-

K k 2

lem,

lem, mediat aliud prædicatam proximius, nimirum Homo, quod est species. Ratio autem est. Prædicationem esse mediatam, aut immediatam multos habere potest sensus. In præsentiarum significat, quod inter subjectum, & prædicatum nil mediet, aut aliquid mediet juxta seriem, ac tenorem arboris prædicamentalis. Sed juxta hujus tenorem inter genus animal, & individuum completum *Petrus*, aliquid mediat; secus inter illud, & individuum incompletum *hoc animal*.

39. Probatur series, seu tenor vulgò admissus hic est. Ens aliud est substantia, aliud accidens. Substantia alia est completa, alia incompleta. Utravis alia est corporea, alia spiritualis. Substantia completa corporea, alia est vivens, alia non vivens. Vivens, aliud est sensibile, (ecce Animal) aliud insensibile. Vivens sensibile, sive animal, aliud est rationale, aliud est irrationale. Animal rationale, seu homo, alius est Petrus, alius Joannes &c. ergo juxta hanc seriem inter genus Animal, & Petrum ut talem, aliquid mediat, nempe *homo*, secus inter animal, & Petrum sub hac nuda expressione *hoc animal*. Sed in hoc stat, quod prædicatio animalis de Petro, ut sic completè explicato, sit mediata; prædicatio verò animalis de eodem Petro, sic incompletè explicato, *hoc animal*, sit immediata: ergo ita dicendum videtur de re, quæ non parum pendet ex modo loquendi.

Controv.
4. log. pun.
4.

40. Hinc 1. solvuntur argumenta, quibus P. Oviedo probat hanc prædicationem, *Petrus est animal*, esse quoque immediatam. Tum quia animal potest etiam immediatè dividi in individua, ex quibus resultant species illius generis. Tum quia genus potest immediatè abstrahi ab individuis completis, unde potest de illis immediatè prædicari. Tum ob alia. Hæc inquam omnia solvenda sunt permissis antecedentibus istis, negando consequentias. Nam licet sint vera ista; adhuc subsistit, quod juxta seriem arboris prædicamentalis stabilitam in scholis, inter genus animal, & individuum Petrus, mediat species *homo*: sed hoc est, quod dicimus, quando dicimus genus prædicari mediatè de individuis completis: ergo licet ista omnia sint vera, adhuc subsistit nostra conclusio: ergo consequentiæ contrariæ non sunt legitimæ. Si malueris, permissis antecedentibus, distinguo consequens. Genus prædicatur immediatè de individuis completis, immediatione seriei, seu tenoris prædicamentalis; nego (& de hac est quæstio) immediatione alia ex multis, quæ excogitari possunt; permitto.

41. Hinc

41. Hinc 2. Argumenta aliorum agentium, genus prædicari immediatè de individuis completè sumptis, quia genus imbibitur formaliter in specie, quæ sanè prædicatur immediatè de illis, & quia species prædicatur de individuis immediatè secundum se totam, unde non solum immediatè secundum rationale, v. g. sed etiam secundum animal, quod est genus: & quia hæc prædicatio, *Petrus est animal rationale*, est immediata: unde jam apparet animal prædicari immediatè: & demum quia in hac prædicatione, *Petrus est animal*, inter subjectum, & prædicatum non mediat homo quatenus animal, nam id est prædicatum ipsum; nec quatenus rationale, quia Petrum esse rationale non est medium ad probandum, illum esse animal. Hæc inquam, & similia solvuntur eodem modo, distinguendo nimirum inter prædicari immediatè, *immediatione seriei* prædicamentalis vulgò admissæ: & prædicari immediatè *immediatione alia* ex multis, quæ excogitari solent. Permissaque hac, neganda est illa, quam solum disputamus, tametsi enim assumptæ præmissæ in istis rationibus, sint veræ, subsistit divisionem generis in individua humana, v. g. non esse immediatam, sed mediatam, mediante scilicet specie, *juxta seriem*, ac tenorem prædicamentalem: ergo tametsi præmissæ istæ sint veræ, subsistit genus non prædicari immediatè de individuis completis immediatione ea, quam modò disputamus.

42. Præterea istis argumentis inest æquivocatio, aliud quippè est loqui de genere sic præcisè explicato *Animal*. Aliud sic explicato, *Animal rationale*. Nos loquimur in primo sensu. Tu in secundo quando loqueris de specie: ergo non impugnatur quod nos dicimus: species autem mediat inter animal, & Petrum, non quidem quatenus animal præcisè: non item quatenus rationale, sed quatenus animal rationale, aut potius quatenus *Homo*, quia divisio illa prædicamentalis non fit per definitiones specierum, sed per species ipsas.

43. Contra primam partem, in qua diximus genus prædicari immediatè tanquam speciem de individuis incompletè explicatis, objicies tria. 1. Si supremum etiam genus, nimirum *ens* prædicaretur immediatè tanquam species in hac prædicatione. *Hoc ens est ens*, possibilis esset species, nempe ipsum *Ens sine genere supra se*: quandoquidem supra ens non est genus magis universale. 2. In hac eadem prædicatione, prædicatum est genus supremum; subjectum verò infimum individuum. At inter supremum, & infimum,

num, necessariò debet dari medium: ergo inter subjectum, & prædicatum dictæ propositionis necessariò datur medium: ergo illa prædicatio non est immediata. 3. Illud prædicatum *ens* non est tota essentia subjecti, quia in hoc clauditur saltem in confuso differentia illa specifica, quam necessariò habere debet: ergo non est speies respectu subjecti: ergo genus non prædicatur, ut species de individuis incompletis.


44. Distinguo primam sequelam: species infima, aut subalterna nego: (quia ens non foret species ista, & de hujus solius ratione est, quod habeat supra se aliquod genus, nam ob hoc vocatur infima, aut subalterna.) Species suprema; concedo. Sed non est absurdum; quia semel dato, quòd sit cognoscibile ab intellectu prædicatum omnium supremum, nempe quòd non possimus cognoscere ullum aliud prædicatum magis universale, prædicatum illud non constaret genere, ac differentia, unde non esset à nobis definibile juxta regulas Aristotelicas. Cùmque prædicatum illud (esto quòd sit *ens*, quòd falsum est, cùm bene definiatur sic. *Aptum, seu capax, seu non repugnans ad existendum*) esset species, ac tota essentia hujus entis præcisè, ut talis, sequeretur, essentiam hujus entis præcisè, ut talis, non posse defini definitione explicante ipsius essentiam specificam; posset tamen defini definitione explicante ipsius essentiam individualem. In quo nullum absurdum, quia regulæ generales definitionum procedunt de definitis, ac definiendis completè cognitis, non autem de incompletè cognitis, & sub quibusdam arbitrariis præcisionibus.

45. Ad secundam dist. minorem. Necessariò debet dari medium in aliquibus, & per aliquas cognitiones; concedo (& sic inter Petrum, v. g. sic præcisè cognitum, *Hoc ens*, & ipsum supremum genus *Ens* possumus cognoscere medium per cognitiones multas, v. g. hoc ens est viens, & est substantia, & est ens.) Necessariò debet dari medium in omni, & per omnem cognitionem; nego. Quia ex eo, quòd loquentes de Petro, sic loquamur, & cognoscimus, *Hoc ens est ens*, quæ contradictio nascetur? Ad tertiam distingo. Non est tota essentia subjecti, prout est in se, & prout multifariam potest cognosci à nobis, concedo; subjecti, prout sic præcisè cogniti *Hoc ens*, nego. Quia ut sic præcisè cognitum, nec clarè, nec confusè aperit nobis differentiam specificam, quam habet, quippe *Hoc ens* possumus dicere de Petro, & de hac charta, & de Bucephalo, & de lycisca, & de quocumque alio individuo:
ergo

ergo subsistit, quòd ens sit tota essentia hujus entis præcisè, ut talis, quamvis non hujus entis, prout est in se, ac prout multifariam potest à nobis cognosci.

CAPUT TERTIUM.

Quid, & quotuplex sit Differentia.

46.  *ÆC* comparis est generis, & ex utroque resultat species infra explicanda: quando dicimus *A esse distinctum*, seu diversum à *B*. unam tantum enunciamus veritatem, scilicet *A*. non esse *B* ab aliis-que præcindimus. At quando dicimus *A differre à B*, plus dicimus: nam duas enunciamus veritates. Una est, *A non esse B*. Altera est, *A. & B.* in aliquo convenire, seu esse unum, quoniam juxta Aristotelem, ac S. Thomam ea dicuntur differre, *quæ in aliqua conveniunt*, supposito utique, quòd sint distincta, quam distinctionem sufficienter innuit vox ipsa *conveniunt*. Hinc differentia in genere est, *Id, vi cujus formaliter immediatè ea, quæ in aliqua ratione sunt unum, in illa eadem distinguuntur*, v. g. Rationale. Cùm enim homo, & equus sint unum (apparenter utique, ac logicè) in ratione animalis, siquidem uterque est animal, in hac eadem ratione, seu genere homo est distinctus ab equo per prædicatum *Rationale*.

47. Differentia est triplex. Communis videlicet, propria, & propriiissima. Prima est, qua subjecta differunt accidente, quòd est extra essentiam, & rei contingenter advenit: sic homo albus discernitur albedine ab homine nigro. Convenientes namque in genere *quale* ille per albedinem, quam contingenter habet, discernitur in ratione *qualis* à nigro: Hæc differentia est quintum illud prædicabile, quòd vocatur *Accidens*. Differentia propria, quæ est quartum illud prædicabile, quòd vocatur *Proprium*, est qua unum discernitur ab alio ratione prædicati, quòd necessariò habet, licet per illud non constituatur sua metaphysica essentia. Sic homo, & canis conveniunt in ratione animalis, & ille discernitur ab hoc risibilitate, qua necessariò gaudet homo, tamen per illam non definiatur metaphysicè. Differentia propriiissima, quæ est hoc secundum prædicabile, quòd modò disputamus, si consideretur, ut universalis, conferaturque cum suis inferioribus, est *Prædicabile de multis in quale*

quale quid, idest tanquam pars formalis essentiae metaphysicae, quae differt à genere, (quia hoc praedicatur tanquam pars materialis) & à differentiis individualibus, quia cum definitiones sint de universalibus, praescindunt à differentiis individualibus, & haec dicuntur in hoc solo sensu logico esse extra essentiam.

48. Si consideretur praecise quatenus differentia, conferaturque cum eo, quod facit differens, est, qua unum discernitur ab alio tanquam per formale constitutum suae definitionis metaphysicae, hoc est suae speciei. Tale est rationale in homine, quoniam per hoc praedicatum discernitur homo ab aliis animalibus, & hoc praedicatum est pars formalis suae definitionis, sive speciei, sive essentiae metaphysicae ad contrapositionem generis: quod etiam est constitutum essentiae metaphysicae; sed materiale: animal quippe sic dumtaxat cognitum Animal, apparet nobis indifferens, ut constituat speciem humanam, aut equinam; adjuncta verò hac altera cognitione Rationale, dicentisque Animal rationale, jam apparet nobis species humana determinatè.

49. Haec differentia propriissima est duplex. Una subalterna, nempe quae continetur sub aliis, & continet infra se alias, v. g. sensibile, nam hoc praedicatum ita constituit definitionem animalis, ut contineatur sub differentia Perfectas, quae utique amplior est, & infra se contineat differentias hinnibile, rugibile &c. Altera infima. Nempe quae continetur sub unis differentiis, & non continet alias differentias propriissimas, scilicet specificas, v. g. Hinnibile. Haec item est duplex. Una mixta, quia multoties ob penuriam vocum nequimus uno simplici verbo distinguere unam speciem ab alijs, & idè differentiam specificam infimam componimus ex duplici praedicato alijs genericè, & invicem non subordinato: sic actum, qui simul sit scientia, & fides, quae sunt duo genera inter se non subordinata, distinguimus ab unis alijs ratione scientia, & ab alteris alijs ratione Fidei. Idem de actu, qui fiat ex duplici motivo honesto, vel ex duplici pravo: Altera est simplex, v. g. Hinnibile.

50. Hujusmodi differentia propriissima infima est, quae solet dici, specificativum intrinsecum: ultimum constitutum, specificum; non autem individuale, Primarium distinctivum, Prima radix, & origo caeterarum specificarum proprietatum; non quidem physica, sed metaphysica, & logica, quatenus eo praedicato utimur ad probandum illas, v. g. ad probandum, hominem esse volitivum, esse

capa-

capacem liberi arbitrij, esse capacem disciplinae, & habere caeteras proprietates specificas naturae humanae (non autem genericas, quia haec aliundè probantur) utimur praedicato Rationale, agentes, omne rationale creatum est capax volendi, operandi liberè &c. sed omnis homo est rationalis creatus: ergo omnis homo &c. in hoc igitur solo sensu differentia propriissima dicitur, ac est Prior reliquis attributis specificis: nempe quatenus has probantes per illam, illam apprehendimus instar originis, ac radices harum; non autem quatenus verè, ac realiter loquendo sit prior illis, est enim realiter identificatum in homine Rationale cum volitivo, cum risibili &c.

§. II.

51. Quatuor hinc emergunt quaestiones praeter illas, quas dedimus circa Genus, quae communes sunt differentiis: Prima an Differentiae communis, Propria, & Propriissima, tam infima, quam subalterna, tam mixta, quam simplex, imò, & differentia ipsa individualis convenient univocè, non quidem in ratione universalis, quia de hoc jam egimus disput. 2. cap. 7. unumquodque enim ex his reflexè inspectum verè, ac propriè est universale respectu suorum inferiorum. Non item in ratione praedicabilis tanquam pars formalis essentiae metaphysicae; quia certum est differentias communem, propriam, ac individualem non esse partes formales essentiae metaphysicae; sed, an convenient univocè in ea ratione generica differentiae, quam dedimus, videlicet. Id vi cujus formaliter immediatè &c. ita ut ab omnibus his differentiis possit abstrahi ratio communis, & univoca, quae sit ista. Id vi cujus &c.

52. Resp. affirmativè. Probatur. Tametsi risibilitas, quae est differentia propria hominis ab equo, v. g. & albedo, quae est differentia communis, non contrahant genus Animal ad hominem, & non constituent speciem, seu definitionem hominis: sed ipsi superveniant, & sint extra hominis essentiam (haec sunt cardinales rationes adversariorum) hoc probat illa duo non esse differentiam propriissimam, cujus ista omnia sunt characteres, & quasi notiones. Caeterum non probat illa non esse propriissimè differentiam in genere hominis ab equo, & albi à nigro, quoniam differentia in genere, & quidem strictè sine metaphoris, aut analogijs intellecta,

L 1

est.

est. Id vi cuius formaliter, immediate, ea quæ in aliqua ratione sunt unum in illa eadem distinguuntur. At risibilitas est id vi cuius formaliter immediate (non dicimus primariè, aut radicaliter) homo, & equus, qui in ratione animalis sunt unum, idest univocantur, in hac eadem ratione distinguuntur; siquidem est id vi cuius formaliter homo est animal risibile, qualis non est equus.

53. Item Albedo est id vi cuius formaliter immediate (non dicimus primariè, aut essentialitèr) album, & nigrum, quæ in ratione qualis univocantur, in hac eadem ratione distinguuntur, quando nimirum albedo est in intensione incompossibili, cum nigredine; Ergo differentia Propria, & communis verè, & propriissimè participant rationem genericam differentia, licet non participant rationem differentia propriissima, & non sunt sicut animal, medicina, & urina, quorum primum dumtaxat dicitur proprie sanum: medicina improprie quia solum est causa sanitatis, urina vero indicium. Idem dicimus de Petreitate quæ est differentia individualis quoniam est id vi cuius formaliter immediate Petrus, qui in ratione hominis univocatur cum Joanne in hac eadem ratione distinguitur à Joanne.

54. Unde sic formatur ratio responsionis. Omnis conceptus exprimens rationem verè, ac simpliciter sine metaphoris, aut analogiis convenientem omnibus quatuor differentiis dictis, & non exprimens earum diversitatem, seu multipliciter est communis, & univocus respectu illarum juxta sæpè dicta. Sed esse id vi cuius formaliter immediate ea, quæ in aliqua ratione sunt unum, in illa eadem distinguuntur, est conceptus exprimens rationem verè simpliciter, sine metaphoris, aut analogiis convenientem quatuor dictis differentiis ut nuper dicebamus. Deinde non exprimit ipsarum diversitatem, & multipliciter (licet aperiant multipliciter, illorum aliorum quæ in aliqua ratione sunt unum,) quandoquidem ex vi solius illius conceptus nequimus discernere, an illud sit differentia propriissima, an propria, an communis, an individualis: Ergo dictus conceptus est communis, & univocus respectu omnium illorum; Ergo ab omnibus illis potest abstrahi conceptus aliquis communis: & univocus in ratione differentia.

55. Hinc primo non est confundendum esse differentiam propriissimam, & esse propriissimè differentiam in genere. Non dicimus illud, sed hoc, de differentiis propria communi, & individuali, & non est quæstio de illo, cum sit certum differentiam propriam,

& com-

& communem, non esse differentiam propriissimam. Argumenta contraria evincunt illud primum fore falsum, sed non hoc secundum,

56. Hinc secundo proverbium illud *differentia propriissima facit aliud, propria vero, & communis faciunt alterum*, probat differentias propriam, & communem non univocari cum propriissima in ratione faciendi differre primariè, radicaliter, quidditivè, seu essentialiter, quod est verum. Ast non probat illas non univocari in ratione faciendi differre absolutè, verè ac simpliciter in genere, & hoc solum diximus.

57. Quæres 2. An differentia, præsertim propriissima faciat differre à parte rei. Resp. negativè. Quoniam ut initio advertimus, duo differre, significat duas veritates. 1. Quod illa duo sint unum in aliqua ratione. 2. Quod in illa eadem ratione distinguantur, cuius alia ratio non est, nisi quia hæc est communis intelligentia philosophica illius phrasis, ut ibi notavimus, ex S. Thoma, & Aristotele: Ergo quoties non contingat, quod duo à parte rei sint unum in aliqua ratione, & simul quod à parte rei distinguantur in ratione eadem, non continget quod illa duo differant à parte rei. At nunquam potest contingere, quod duo sint à parte rei unum in aliqua ratione, & simul sint à parte rei distincta in illa eadem ratione: quia hoc esset dari universale à parte rei. Ergo nunquam potest contingere, quod duo differant à parte rei. Ergo nulla differentia facit differre à parte rei, per se loquendo, & conservata proprietate illius vocis differre. Unde fit 1. Quod licet homo, & Equus, v. g. verè simpliciter distinguantur à parte rei, non tamen differant à parte rei, quia à parte rei non possunt esse unum unitate actuali, & formali, sive positiva, quia hoc prorsus repugnat inter illos, sive negativa, quia consistit in cognitione habente utrumque pro objecto, & non aperiente ipsorum diversitatem: v. g. in hac cognitione Animal, quæ sanè cognitio non datur à parte rei, hoc est independentè ab intellectu. Fatemur ambos esse unum à parte rei unitate fundamentali, consistente in similitudine, quam sanè à parte rei habent quoad operationes vitales sentiendi. Ast cum hæc similitudo, castigatè loquendo, non sit unitas, sed fundamentum unitatis, idest fundamentum ut ambos cognoscamus, hac cognitione Animal illos univocante, idcirco improprie valde fiet recursus ad hanc unitatem fundamentalem, probandi ergo illos differre à parte rei.

58. Fit 2. Quod licet supposita unitate intentionali negativa hominis, & Equi consistente in dicta cognitione, homo verè à parte rei propter rationalitatem sit essentialiter alius ab equo; hoc non sufficit, ut rationalitas faciat hominem differre à parte rei ab equo, tum quia ut homo differat ab equo, necessaria est unitas dicta; Ergo si hoc non datur à parte rei, sed sola distinctio, sequetur ad summum quòd rationalitas faciat differre à parte rei solum *inadequatè* secundum distinctionem, non verò *adequatè*, secundum unitatem, ac distinctionem. Tum quia homo non solum propter rationalitatem, sed etiam propter animalitatem est à parte rei essentialiter alius ab equo. Cum enim animal, & rationale non sint à parte rei duo in homine, sed unum, & idem, absque omni mixtura distinctionis virtualis, aut formalis ex natura rei ut dicebamus Disp. 1. necesse est quòd animali conveniat à parte rei, omne quod à parte rei convenit rationali. Ergo si homo per rationalitatem, est essentialiter alius à parte rei ab equo, est etiam per animalitatem. Ergo per istam viam nil speciale invenies in favorem differentie *Rationale*, quod similiter non cadat in favorem generis *Animal*.

59. Fit demum, quòd licet differre significet unitatem, ac distinctionem dictas: & rationale, v. g. non faciat unitatem, facit nihilominus ipsum potius, quàm animal, hominem differre ab equo secundum unam partem hujus quod est differre, licet non secundum alteram, idest secundum istam unitatem, quia rationale potius quam animal facere hominem differre intentionaliter ab equo secundum unam partem, & non secundum alteram hujus, quod est differre, nil aliud est ex parte rerum, quàm quòd homo potius cognitus sic *Animal rationale*, quàm sic præcisè *Animal*, apparet nobis esse distinctus realiter ab animali irrationali, & consequenter, quòd hæc cognitio *Animal rationale* non sit unitas intentionalis hominis cum Equo, utrumque univocans: sed ambo hæc sunt vera, ut constat, ergo &c.

60. Objicies: *Differre* non dicit formaliter, sed tantum præsuppositivè, quòd illa duo sint unum; formaliter autem solum dicit, quòd illa sint distincta: Ergo si homo, & equus a parte rei sunt distincta, à parte rei quoque sunt differentia inter se. Confirmatur. A parte rei datur rationale, sed rationale est differentia propriissima, ergo à parte rei datur differentia propriissima: ergo facit differre à parte rei, & similiter potes repetere hic argumenta
supra

supra soluta, quibus probari potest universale à parte rei. Ad objectionem dissimulato antecedente negamus consequentiam. Nil enim præsupponens rem pendentem ab intellectu, existit independentè ab intellectu, & consequenter non existit à parte rei: quia omne præsupponens rem pendentem ab intellectu, pendet ab intellectu: ergo si differre præsupponit dictam unitatem, quæ sanè pendet ab intellectu, quippè quæ stat in cognitione toties dicta, palam fit quòd differre non est independentes ab intellectu, & consequenter non est à parte rei absolutè, ac saltem adæquatè. Ad confirmationem distingo minorem: rationale est à parte rei differentia propriissima: nego, quia nil est à parte rei universale. Est dependentè ab intellectu, idest quando sic purè obscurè, ac imperfectè cognoscitur, *rationale*, concedo. Unde solum habebis dari à parte rei illud quod est, ac dicitur differentia propriissima, non autem, habebis illud esse à parte rei differentiam. Quemadmodum independentè ab intellectu existit illud quod est cognitum: at non est cognitum independentè ab intellectu.

§. III.

61. **Q**UÆRES 3. Vulgo dicitur in schola. Differentiam subjici Generi. Contrahere illud ad speciem, constituere hanc. Dividere, seu distinguere unam speciem ab alijs. *Quid sunt hæc! quid significant istæ phrasæ? Quomodo, quando, per quid facit hæc omnia differentia propriissima, de qua primariè enunciantur. Respondeo. Nullum ex his omnibus datur, seu contingit à parte rei independentè ab omni cognitione, cum enim non dentur universalialia plusquam fundamentaliter à parte rei, hoc est similitudo inter una, & alia individua, inter unas, & alias species: inde fit, quòd neque detur à parte rei Genus, quod contrahatur, neque differentia quæ secernat unam speciem ab alijs, neque species, quæ constituatur. Omnes igitur illæ phrasæ, seu locutiones sunt reflexæ, sicut omnes, quæ affirmant, aut negant identitatem, aut distinctionem rationis, ut diximus Disput. 1. & omnes quæ procedunt de universali, ac universalibus in particulari, ut monuimus in Disput. 2. Sed est antiquissimus usus, ut toties notavimus, appingere per figuratam locutionem*

nem objectis qualitates nostrorum actuum, & his qualitates illorum, ut etiam monuimus.

62. Unde qui oblitus hujus monitionis tractat, disputat, concedit, negat, distinguit has propositiones logicales, quæ secundum verborum corticem procedunt immediatè, ac directè de prædicatis ipsis objectivis, v. g. de animali ipso, de rationali ipso in frequentes labetur errores, si putat eas propositiones affirmare, aut negare quidquam immediatè, ac directè de objectis ipsis: cum totum quod affirmant, aut negant, affirmant, aut negent immediatè, ac directè de objectis *ut cognitis tali, vel tali cognitione*, idest de fundamento, aut lumine, quod nobis dat talis, aut talis cognitio. Ita passim in Philosophia, & Theologia contingit idem, quoties sermo est in sensu præcisivo, ac reflexivo alludente ad cognitiones, quas habemus de objectis illis, quæ tunc disputamus. Qui sensus præcisivus, & reflexivus significari solet illis particulis, *quatenus, in quantum, qua, ut*, & quando disputantes non procedunt cum hac advertentia sensus, quem tunc faciunt propositiones, hinc indè prolata, immensa caligo offunditur disputationi toti.

63. Igitur vulgares istæ locutiones sunt reflexæ, alluduntque ad quamdam aliam cognitionem, quam jam expono, vel quæris cognitionem, qua actu fiunt ista per differentiam propriissimam; vel cognitionem, qua factibilia sunt. Si 1. dicimus ista omnia fieri in actu secundo comparatione composita, hoc est cognitione enuntiante, & aperiente realem identitatem inter prædicatum, quod vocatur genus, & prædicatum, quod vocatur differentia: v. g. hac una cognitione, rationale est animal. Si 2. ista omnia sunt factibilia, seu fiunt in actu primo proximo simplici comparatione, hoc est cognitione, qua intellectus inquirat, explorat, considerat, detur nec ne identitas realis inter prædicatum, quod vocatur differentia, & prædicatum, quod vocatur genus, sicut passim apprehendentes, aut videntes duas res examinamus convenient, nec ne inter se.

94. Probatur prima pars. Hac cognitione, *rationale est animal*, contingit imprimis, quod differentia est subjectum, de quo actu prædicatur Genus, ut patet. Deindè illa genus contrahitur, quia hæc contractio nil aliud est juxta veritatem, quam quod animal, cum attenda hac sola cognitione *Animal* appareret nobis indifferens ad rationalitatem, atque irrationalitatem, & neque
unum,

unum, neque alterum determinatè, scânâ mutata, jam appareat nobis realiter identificatum cum rationali determinatè. Sed per dictam cognitionem jam apparet nobis identificatum cum rationali, cum tamen id non appareret hac sola, & præcisivè cognitione *Animal*: Ergo dicta cognitione contrahitur prædicatum, quod *Genus* dicitur, sed contractione non tollente universalitatem *Generis* juxta illa quæ diximus *Disput. 2.* Præterea sicut constitui speciem physicè nil aliud est, quam physicè uniri materiam, & formam. Ità constitui metaphysicè speciem nil aliud est, quam uniri metaphysicè, seu logicè, ac intentionoliter prædicatum illud, quod vocatur pars materialis, & illud quod vocatur pars formalis; sed dicta cognitione uniuntur metaphysicè, seu logicè, ac intentionaliter eâ prædicata: quoniam hæc unio intentionalis nil aliud est juxta veritatem, quam cognitio nobis pandens identitatem realem inter illa duo prædicatâ, prius latentem: Et cognitio dicta nobis parit illam identitatem: ergo dicta cognitione differentia, non utique sola, sed simul cum prædicato, quod vocatur genus, constituit speciem: constituere namque aliquod totum non potest convenire uni soli rei.

65. Denique illa eadem cognitione fit, quod differentia dividat, ac distinguat quoad nos unam speciem ab alijs, (dividat inquam, ac distinguat *inadæquatè*: quoniam distinctio adæquata duorum non identificatur, cum uno solo, sed cum utroque,) quoniam hæc divisio, seu distinctio nil est aliud juxta veritatem, quam quod appareant nobis, ut distinctæ illæ naturæ, quæ attenda hæc sola cognitione *Animal* non apparebant ut distinctæ, sed vel omninò non apparebant, vel apparebant, ut invicem confusæ. At supposito, quod in creatis, nec datur, nec dari possit distinctio virtualis, aut formalis, in qua suppositione nunc loquimur, partim per hanc cognitionem *rationale est animal*, partim per hanc *Hiñibile est animal*, apparent nobis, ut distinctæ natura humana, & natura equina, quæ attenda hac sola cognitione *Animal* nobis non apparebant: ergo illa eadem cognitione differentia propriissima dividit, & distinguit quo ad nos inadæquatè speciem humanam ab alijs.

66. Probatur secunda pars. Illa quatuor fiunt in actu primo proximo, idest sunt proximè factibilia cognitione illa inter quam, & hanc cognitionem (seu rationem suadentem ad habendum illam; quia illo adverbio *proximè* non excludimus mediationem hujus rationis,

tionis, sicut nec supra quando agebamus de universali logico, & metaphysico.) *Rationale est animal*, quæ ista omnia fiunt in actu secundò, nulla alia mediat comparatio. At inter illam triplicem comparationem prædicati quod vocatur differentia, cum prædicato quod vocatur genus, & hanc comparationem compositam non mediat ulla alia comparatio, tamen mediare solet ratio suavis identitatis inter rationale, ac animal: ergo simplici eâ comparatione sunt illa quatuor per differentiam proximè factibilia proximitate dicta, excludente nimirum aliam comparationem, non verò rationem suavis identitatis dicta.

67. Sed objicies cum ista omnia hastenus dicta, & deinceps dicenda in his duabus disputationibus non sint, non contingant à parte rei: sed consistant adæquatè, vel inadæquatè in nostris apprehensionibus, reflexionibus, præcisionibus, secundisque intentionibus, ut quid inanis hic labor? Respondemus primò scientiæ, & artes intellectuales totaque Philosophia, & Theologia non traduntur ab unis, & discuntur ab aliis, & disputantur ab utrisque, nisi per universalia prædicata per genera, per differentias, per species, ut usu, & experientia deprehendes. Quomodo ergo scientias alias possidebis, nisi notitia imbutus fueris universalium, generum, differentiarum &c. atqui hæc omnia fiunt, ac pendent ex apprehensionibus, reflexionibus, præcisionibusque quibus in hoc misero statu cognoscimus obscurissimè, ac imperfectè substantias, quas utcumque cognoscimus; necesse est ergo laborare in intelligentia harum reflexionum, præcisionum, ac secundarum intentionum.

68. Secundò aliud est quod hucusque disputata, & deinceps disputanda non sint à parte rei, quatenus sint aliquod chymæricum, seu ens rationis fictum (& hoc est falsum, quoniam omnia hæc habent esse verum, physicum, & reale, siquidem cognitiones nostræ apprehensivæ, reflexivæ, ac præcisivæ quid physicum, verum, & reale sunt non minus quam illa, quæ sensu tangimus, licet corporalia non sint) aliud autem quatenus illæ neque sint, neque esse possint independenter à nostris quibusdam cognitionibus. Hoc est quod dicimus, sed non est inani labore terere tempus, quoniam in hoc sensu, nec ulla scientia, nec ulla opinio, imò, nec ipsa Fides, qua credimus in Deum existunt, aut existere possunt à parte rei, siquidem hæc omnia consistunt verè, & simpliciter coram Deo in quibusdam nostris cognitionibus; & tamen non est

ina-

inanis labor, qui impenditur opinionibus, scientijs, & Fidei Catholice addiscendis.


69. Quæres 4. *Differentia respectu quorum, aut cuius est universalis, seu Prædicabilis de multis?* Respondeo non est universalis respectu Generis, quod contrahit, aut constituit, ut rationale contrahit, sensibile autem constituit genus Animal. Quamvis enim rationale, utpotè conveniens etiam Angelis, quibus non convenit ratio animalis (quibus tamen convenire putavit aliquando S. Gregorius) non sit inferius respectu animalis; attamen hinnibile, latrabile, & reliquæ differentiæ, & rationale ipsum, ut præcisè differentia animalis, minus patent quam animal: ergo omne hinnibile, v. g. est animal, sed non omne animal est hinnibile: ergo hæc differentiæ, quatenus tales non sunt superiores respectu generis: ergo neque universales. Rursus neque respectu speciei, aut generis, quæ constituit, quia nil convertibile cum alio est universale respectu illius, siquidem est æquale, sed omnis differentia, ut talis est convertibilis cum specie, ac genere, quæ constituit, quoniam valet, *est hinnibile: ergo est equus*, & è converso. Item valet, *est sensibile: ergo est animal*, & è converso: ergo: solum itaque est differentia universalis respectu individuorum illius speciei, quam constituit, & respectu specierum illius generis, quod constituit, v. g. hinnibile respectu omnium equorum, quoniam hæc simplex cognitio, hinnibile, exprimit rationem verè multiplicatam in equis,

& eorundem nullatenus exprimit multiplicationem. Item sensibile respectu omnium specierum animalium; quoniam simplex hæc apprehensio *sensibile* exprimit sensibilitatem verè multiplicatam in tot speciebus animalium, quorum nullam exprimit multiplicatam.



CAPUT QUARTUM.

De Specie.

70.  **H**ÆC vox significare solet venustatem, juxta illud Danielis. *Species decepit te*, unde speciosa res valet idem, ac pulchra. Item significare solet perceptibilitatem externam, juxta illud. *A magnitudine enim speciei, & creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri*. Item qualitatem innuentem potentiam, visivam v. g. ad videndam, imaginativam, intellectivam ad cognoscendum, vel memorandum, & hæc vocetur *species impressa* de qua in libris de anima. Item significare solet cognitionem ipsam spirituales, qua res cognoscimus, & vocatur *species expressa*, de qua ibi. Nil horum disputamus modò, sed speciem logicam, sive in sensu logicorum, & prout est hoc prædicabile; Definiturque. *Prædicabile de multis tanquam tota essentia metaphysica illorum*, v. g. homo est species, quia prædicatur de singulis hominibus tanquam tota essentia metaphysica ipsorum.

71. Licet enim unusquisque identificetur realiter non solum cum animali rationali, sed etiam cum sua differentia individuali, cum risibilitate, & cum alijs prædicatis, ac proinde hæc omnia verè sint de essentia illius, nihilominus dicuntur esse de essentia quasi *physica* non autem *metaphysica*, quia ad hanc illa sola spectant prædicata rei, per quæ metaphysicè definitur res. At Petrus v. g. non definitur per Petreitatem, quia definitiones non sunt de singularibus, ut talibus, sed de universalibus: nec definitur per risibilitatem, nec per alia prædicata, nisi per hæc *Animal rationale*: ergo hæc sola duo spectant ad essentiam metaphysicam Petri: cumque species *Homo* sit formaliter *Animal rationale*, hac de causa species *Homo* dicitur prædicari tanquam tota essentia metaphysica.

72. Totam autem hanc doctrinam intelligere debes in sensu reflexo, significante nostras ipsas cognitiones, seu expressiones, ut sæpè monuimus. Si enim Petrus, v. g. definiretur per animal rationale, & non per Petreitatem in sensu directo, & reali aliquid verificaretur de illis prædicatis, quod negaretur de Petreitate in sensu directo, & reali: ergo hæc distingueretur realiter, aut virtualiter, aut formaliter ex natura rei ab illis prædicatis, quæ sunt

in

in Petro quod falsum esse diximus disput. i. quapropter quando dicitur Petrus definiri per animal rationale, & non per Petreitatem sensus est, essentiam illius explicari per hanc cognitionem *Animal rationale*, & non per hanc *Petreitas*: unde dumtaxat inferretur hanc esse realiter distinctam ab illa, quod verum est: quoties non memineris, sensum harum omnium propositionum esse reflexum, & alludere ad tales, & tales nostras cognitiones inter se distinctas, cogaris admittere prædicata contradictoria inter res realiter identificatas, aut fateri eas non esse identificatas realiter.

73. Species est quadruplex, *Logica* nempè species, prout logici tractant de illa, *Physica* idest prout consideratur à Physicis, *Moralis*, prout consideratur à viris sapientibus in ordine ad tales, vel tales res. *Theologica*, prout consideratur à Theologis; unusquisque enim ex his tractat suo modo speciem, & illorum nomen affigitur speciei quam tractant. Species logica, sive in consideratione logicorum est duplex, seu potius dupliciter consideratur ab ipsis eadem specificata natura. Nimirum, ut *subjicibilis*, & est quæ immediatè subjicitur generi, hoc est de qua genus prædicatur immediatè, ut animal prædicatur de homine juxta dicta cap. 2. §. 4. Atque, ut *Prædicabilis*, & est, quam initio definimus; utraque potest esse duplex; *subalterna*, seu *media*, & est illa, quæ supra, & infra habet alias species, v. g. vivens sensibile, nam infra se habet cunctas species animalium, & supra se species corporis, substantiæque, & *infima*, seu *atoma*, & est illa, quæ supra se, non autem infra habet alias species, v. g. Homo dici solet species infima (supposito quod non sint possibiles homines specie distincti) nam homo de solis individuis prædicatur, de ipso autem multæ species subalternæ, ut animal, corpus &c. species suprema, si admittitur erit quidem prædicabilis; non autem subjicibilis, quia eo ipso quoddam suprema sit, non habet supra se ullam aliam speciem.

74. Species physica est duplex. *Una adæquata*, nempè quando tota res, si fuerit indivisibilis, aut omnia, & singula constitutiva ipsius si fuerit composita, distinguuntur specie in consideratione Physicorum ab alia, sic anima rationalis, & homo totus distinguuntur specie physica adæquata ab Angelo, quia tota rationalis anima, quæ utique non constat partibus sicut anima brutorum, nec non omnia, & singula constitutiva hominis distinguuntur specie apud Physicos ab Angelis. Altera *inadæquata*; Nimirum quando una pars, sed non omnes alicujus complexi distinguuntur specie

M m 2

phy.

physica ab alia, v. g. casu quo Deus eidem corpori uniret animam rationalem, & animam equinam, ut multi putant possibile, ille homo, & ille equus distinguerentur specie physica inadæquata; (unde dici non posset *hic homo est equus*) quoniam licet una pars illius hominis specie distingueretur ab una parte illius equi, scilicet anima una ab altera; altera tamen pars essentialis utriusque, nimirum corpus, supponitur esse prorsus eadem etiam numero. Unde ille homo esset, non adæquatè, sed inadæquatè equus, & viceversa.

75. Species moralis etiam est duplex; una *purè moralis*, nempe quando duo non distinguuntur specie physica, in ordine tamen ad talem, vel talem effectum perindè se habent, ac si distinguerentur, v. g. panis crudus, & panis coctus non distinguuntur specie physica; in ordine verò ad consecrationem perindè se habent, ac si distinguerentur; quia coctus, non autem crudus est materia Eucharistiæ. Similiter mas, & scæmina non distinguuntur specie physica; sed specie morali in ordine ad matrimonium, cum scæmina possit contrahere cum mare, non tamen cum scæmina alia. Altera *moralis, & simul physica*. Videlicet quando duo distinguuntur specie morali, & simul physica, v. g. moneta aurea, & moneta argentea ejusdem ponderis, quæ specie physica differunt, & simul morali in ordine ad civilem appretiationem. Interdum etiam evenit, quod duo distinguantur specie physica, sed non morali in ordine ad talem, vel talem rem. Sic moneta aurea, & cumulus argentearum illius valorem æquans, distinguuntur specie physica, sed non morali in ordine ad civiles contractus. Quæ hujusmodi sunt, dici solent distincta in specie materiali; non autem in specie formali.

76. Species Theologica est multiplex. 1. Ratione objecti formalis, cui consona, aut dissona est operatio humana. Sic actus Fidei, ac Charitatis distinguuntur specie theologica, quia prima habet pro objecto formali adæquato divinam auctoritatem aliquid dicentem, secunda divinam bonitatem. Sic furtum simplex, & furtum sacrilegum distinguuntur specie Theologica, quia primum est contra objectum formale solius Justitiæ, & secundum contra objectum etiam formale religionis. 2. Ratione diversi modi quo una operatio, & altera sunt conformes, aut difformes eidem objecto formali, sic Spes, & Charitas distinguuntur specie Theologica, quia licet habeant eandem bonitatem divinam pro objecto for.

formali, spes tendit in illam, *ut nobis bonam*, & nostrum ultimum finem. Charitas in illam, ut sibi, ac in se *absolutè bonam*. Sic hæresis formalis, & seminatio hæresum purè externa distinguuntur hac specie theologica, quia diverso modo adverfantur eidem objecto formali fidei. 3. Ratione principij à quo procedunt operationes, sic actus naturalis, & supernaturalis distinguuntur Theologicè tametsi habeant idem objectum materiale, & formale, atque eodem modo vitali tendant in illud, si hoc possibile est.

77. 4. Interdum contingit quod duo distinguantur specie physica, & non theologica, v. g. duo actus Fidei, aut Charitatis, aut videndi Deum in omnibus, & per omnia prorsus equales, & tantum diversi ex eo, quòd unus fiat ab Angelo, & alter ab homine, distinguuntur sanè specie physica, ut potè essentialiter alligati positive, ac negativè principijs specie physica distinctis. Ast non distinguuntur specie theologica, quippe sunt omnindò æquales quoad illa, quæ Theologus expendit. Sic etiam aqua pura elementaris, si fortè est supra firmamentum, & aqua hæc usualis quam habemus infra lunam distinguuntur specie physica: quia aqua hæc imbibit colluvies innumerorum halituum, vaporum, exalationum, corpusculorum, athomorum emergentium ex subterraneis specubus, vagantiumque per atmosphæram, & tamen hæc duæ aquæ non distinguuntur specie theologica, nempe quoad baptismum, quia hoc est quod Theologus expendit in aqua. 5. E converso interdum distinguuntur specie Theologica, & non physica. Sic confessio peccati lethalis aliquando legitime subjecti clavibus, & confessio ejusdem nunquam subjecti non distinguuntur specie physica, quia illa circumstantia est prorsus extrinseca essentiæ confessionis illius specificativè sumptæ: & distinguuntur specie theologica, quia ommissio libera unius est peccatum lethale, secus ommissio libera alterius. Sic unæ guttulæ aquæ, permanentes in jure carneo non distinguuntur specie physica ab aqua fontis, & distinguuntur specie theologica, quia non sunt materia baptismi, sicut aqua fontis.



§. II.

78. **H**IS præmissis, & multis alijs prætermisissis, quæ scholarum usu discas, quatuor occurrunt difficultates speciales circa speciem ultra illas generales circa genus, & differentiam, jam explicatas. 1. Est, *quid sit ex parte rerum duo distingui specie physica*, (hæc est magis frequens & nota; sed proportione servata explicandæ sunt eodem modo cæteræ) & quam regulam habebimus ad discernendum, quæ distinguuntur, & quæ non distinguuntur specie physica.

79. *Resp.* Duo distingui specie physica stat in eo, quoddam ita distinguantur definitione (præsertim metaphysica, quæ est magis communis, & universalis) ut definitio unius realiter distinguatur ab altero: quapropter regula ad cognoscendum, quæ distinguantur, aut non distinguantur specie, est inspicere legitimas illarum rerum definitiones adæquatas. Si definitio unius, idest prædicata per quæ definitur, quamquam non sit definitio alterius, cum illo tamen identificatur realiter, itaut sub illis eisdem terminis (quamvis non individua illa prædicata) verè enuntietur de altero, ut contingit in definitionibus Animalis, & rationalis, necnon Petri, & Pauli: illa duo non distinguuntur specie. Sin definitio unius, nec sit definitio alterius, nec cum illo identificetur realiter, illa duo distinguuntur specie. Cumque definitiones rerum non sint probandæ, sed prudenter supponendæ, resolvitur tandem totum hoc negotium in iudicium prudens, sicut cæteræ omnes opiniones humanæ.

80. *Probatur* 1. Conclusio omnia, quæ distinguuntur specie, ita distinguuntur definitione, ut definitio unius non solum in individuo, verum neque sub illis generalibus terminis, sub quibus dari solent definitiones possit affirmari de altero, sive ut definitio, sive in sensu reali, ac materiali, v. g. definitio hominis respectu equi, & definitio huius respectu illius. Item quæcumque non distinguuntur specie, non ita distinguuntur definitione, ut definitio unius sub illis saltem generalibus terminis nequeat affirmari de altero in sensu reali, v. g. Petrus, & Joannes, qui non distinguuntur specie, habent eandem definitionem (non individua, quia ut sæpè diximus individua non definiuntur in singulari, sed in communi juxta scholarum usum) nempè *Animal rationale*. Ipsa verò

hæc

hæc prædicata licet habeant diversas definitiones; nihilominus vivens sensibile, quæ est definitio animalis, verè affirmatur in sensu reali de rationali humano; necnon principium discursus, quæ solet esse definitio rationalis, verè affirmatur in sensu reali de Animali humano: ergo *omnia & sola*, quæ distinguuntur specie distinguuntur definitione in sensu explicato: ergo explicatio quam dedimus distinctionis in specie convenit omnibus, & solis specie distinctis: ergo ex hac parte sufficiens est.

81. Ratio verò à priori sumitur ex eo, quoddam species sit tota essentia metaphysica individuorum, ut constat ex definitione illius; unde fit quod specie distinguantur illa, quæ essentia metaphysica, hoc est definitione distinguuntur in sensu dicto. Instituitur sic discursus. Omnia & sola, quæ distinguuntur essentia metaphysica, itaut essentia metaphysica unius distinguatur realiter ab alio, distinguuntur definitione, quoniam definitio est tota essentia metaphysica definiti; sed omnia & sola, quæ distinguuntur specie physica distinguuntur essentia metaphysica, quoniam omnia, & sola, quæ in consideratione Physicorum distinguuntur specie, habent definitiones ita diversas, ut definitio unius realiter saltem inadæquatè distinguatur ab altero, v. g. definitio aquæ distinguitur realiter à Terra, definitio hominis distinguitur realiter ab equo &c. ergo omnia, & sola, quæ distinguuntur specie apud Physicos, distinguuntur definitione metaphysica; nam etiam Physici definiunt res physicas juxta regulas definiendi, quibus utuntur metaphysici: ergo quod duo distinguantur specie physica stat in eo, quoddam distinguantur definitione metaphysica, non utcumque, sicut Animal, & rationale, sed itaut definitio unius realiter distinguatur ab altero, & de ipso nequeat affirmari in sensu reali.

82. *Explicatur.* Omnia, & sola quæ distinguuntur differentia specifica infima, sive propria, sive propriissima distinguuntur specie infima, sicut distinguuntur specie subalterna, idest *Genere*, illa quæ distinguuntur differentia specifica subalterna. Differentia quippe specifica est ultimum constitutivum, & distinctivum primum speciei. Sed omnia, & sola quæ distinguuntur definitione modo dicto, distinguuntur differentia alterutra specifica, infima, vel subalterna, quippe si distinguuntur definitione, opus est quod distinguantur, aut *Genere*, (ea speciem subalternam,) aut *differentia* quæ debet esse infima, aut subalterna, quibus constat illa definitio: ergo omnia, & sola quæ distinguuntur definitione modo

do

do dicto, distinguuntur specie, aut infima, aut subalterna. Ergo ad decidendum, distinguantur, nec ne specie res illæ de quibus fuerit sermo, necesse est recurrere ad ipsarum definitiones certas, aut probabiles; absque notitia enim certa, vel probabili definitionum non habetur notitia differentia specificæ propriæ, aut propriissimæ illarum rerum, & consequenter nec certè, nec probabiliter discerni potest, an res illæ distinguantur specie.

83. Hinc 1. non loquimur de *formali* definitione, nimirum terminis illis vocalibus, aut mentalibus, quibus explicamus quidditates rerum, nam illi distinguuntur realiter sine dubio à suo ipso definito immediato, sed de *objectiva*, hoc est de prædicatis illis, quæ clarè, ac expressè sonant in cognitione, qua definimus res. Licet enim omnia prædicata hominis: v. g. sint ex parte rerum unum, & idem, verum tamen voces, & cognitiones, quibus illa aperimus sunt invicem diversæ realiter: quamobrem datæ capacitas ut totam hominis essentiam benè explicemus sic *Animal rationale*; malè autem sic *substantia volitiva*, quia bonitas, ac malitia definitionis non tam sequitur identitatem objectivam rerum, quam regulas, & præcepta definiendi.

84. Rursus neque loquimur de definitione *objectiva in individuo*, & *singulari*, ut jam advertimus quia sic individuum illud animal rationale, quod identificatur cum Petro, distinguitur realiter à Joanne, quin hi duo distinguantur specie. Sed de definitione *objectiva in communi*, qui est solitus modus in scholis dandi definitiones: Est itaque nostra sententia. Duo distingui specie stat in eo, quod ita nequeamus uti eisdem terminis ad definiendum unum, & judicandum alterum, sicut nequimus uti ad definiendum hominem, & judicandum equum, agentes de utroque esse in sensu reali *Animal rationale*; v. g. & sicut possumus uti eisdem ad definiendum animal, & judicandum rationale, agentes de utroque in sensu reali, esse principium sensationis, & sicut possumus uti eisdem ad definiendum Petrum, & Joannem, utrumque definientes sic *Animal rationale*.

85. Hinc 2. quamvis multoties metaphysica definitio rerum sit magis ignota, quam quod res illæ distinguantur specie, solet quippe esse planum, quod distinguantur specie, & prorsus ignotus modus, quo definiantur, ut contingit columbæ, & cardueli. Non idcirco explicantes distinctionem in specie per distinctionem in definitione, explicamus ignotum per magis ignotum. Nam

aliud

aliud est dari actualem distinctionem specificam inter ista duo: Aliud, *quid sit*, & in quo consistat distinctio specifica: quæ divisio solet aliter explicari per distinctionem quoad *An est*, & quoad *quid est*. Illud primum est planum, sed non suscipimus illud in præsentî probandum, esset namque vitium probandi clarum per obscurum, si probaremus columbam, & carduelem distingui specie ex eo, quod distinguantur definitione, quam sanè ignoramus. Secundum est, quod definiendum, ac explicandum suscipimus, scilicet *quid sit duo distingui specie*: Hoc autem non est clarum; sed obscurum, & valde dubium. Et hoc explicamus penes id, quod distinguantur definitione modo dicto; quamquam enim definitiones in particulari soleant esse nobis ignotæ; attamen distingui *definitione* in genere tantillum plus lucis communicat, quam distingui *specie*, quod autem non sit tanta, ut fuget tenebras omnium cavillationum, ac tricarum, probat responsionem nostram non esse evidentem, sed opinativam, sicut cæteras, & consequenter obnoxiam altercationibus.

86. Igitur quoties dubium sit an duo distinguantur specie absolute, aut respectivè in ordine ad aliquid aliud, involandum est in definitionem absolutam, vel respectivam alterius saltem illorum. Si deprehendatur illam non posse affirmari in sensu reali de altero, dicendum quod illa duo specie distinguantur, quoniam eo ipso distinguuntur saltem differentia specifica, sive infima, sive subalterna, secus autem si deprehendatur illam posse affirmari. Hinc 3. Duæ cognitiones, quoad cætera omnia prorsus æquales, & solum diversæ, eo quod una terminetur ad Petrum, & altera ad Paulum, non distinguuntur specie physica. Quoniam licet prima aliquatenus plus distinguatur à secunda, quàm ab alia simili cognitione terminata ad Petrum eundem; verum tamen *Magis*, & *minus non mutant speciem*, saltem semper. Et ista majoritas intra spheram continetur distinctionis tantum numericæ. Nimirum convenit utrique cognitioni eadem definitio specifica infima, licet non conveniat individualis scilicet illud, *Petri*, *Pauli*. Idem de simili argumento fieri solito super unionem extremorum Petri, (quorum supponitur possibilis unio alia,) comparatam cum unione extremorum Pauli. Non distinguuntur specie, quia specifica definitio utriusque (licet non individualis) utrique convenit.

§. III.

87. **D**ifficultas 2. est: *An species exigat indispensabiliter; quod sint possibilia multa sua individua!* Coincidit hæc quæstio cum illa altera: *An sit possibilis creatura, cujus aliam specificè similem non possit Deus producere?* Resp. vel sermo est de specie possibili, vel de impossibili, quam pro nostri cerebri vacuitate, ac otiositate comminisci possumus. Si hoc secundum, non est de essentia speciei logicæ, aut physicæ habere multa individua sub se possibilia. Verumtamen hac licentia declinandi ad chymæras, ad impossibilia, & stultitias cerebri nostri rerum omnium stabiles definitiones subvertere possumus: v. g. dicentes. Non est de essentia hominis esse animal rationale, nam consideremus hominem chymæricum, & dicemus illum non esse animal rationale. Item non est de essentia animalis esse vivens sensibile, nam consideremus animal chymæricum, & dicemus illud non esse quoque vivens sensibile. Item non est de essentia Dei esse ens à se, quia consideremus Deum chymæricum, & inveniemus illum non esse etiam ens à se. Nil ergo firmum, & immobile erit in scholis, data ista licentia excurrendi ad inanes chymærarum fictiones. Contra quodcumque namque firmissimum in scholis possumus inaniter considerare chymæram ipsi oppositam, de cujus essentia certè non erit illud quod est de essentia illius firmissimi.

88. Sin vero loquamur de specie possibili non secundum *rationem* dumtaxat, quia hoc est relabi in impossibilitatem; sed secundum *rem*, idest de specie verè possibili coram Deo, ut congruum est, quod loquamur, dicimus de essentia omnis speciei, tum *logicæ*, tum *physicæ* esse quod sint possibilia multa sua inferiora. Quapropter omninò repugnat creatura specificè distincta ab omnibus penitus possibilibus, seu cujus in specie similem Deus non possit producere. Prob. prima pars de specie logica. Omne universale ex sua definitione est unum aptum esse in multis per realem sui multiplicationem in illis, aut unum aptum prædicari de multis, prædicatione vera, ut diximus Disput. 2. Cap. 1. sed omnis species logica est universale aliquod logicum, quia est unum è quinque prædicabilibus: Ergo: & sanè definitio speciei in sensu logico est esse prædicabilem de multis tanquam tota essentia metaphysica illorum.

Quæ-

Quærimus. Hæc *prædicabilitas* debet ne esse verà, atque *de multis*; quæ sint possibilia, vel sufficit, quod sit prædicabilitas quo ad nostram apprehensionem, quatenus nos apprehendamus esse possibilia multa de quibus illa species prædicetur, tametsi illa verè non sint possibilia. Si primum habemus intentum. Si secundum juxta singularem cogitationem Cajetani asserentis naturam abstractam ab uno solo individuo esse universalem, quatenus possumus apprehendere alia individua chymærica, de quibus prædicetur illa natura, quamquam prædicatione non vera.

89. Contra. Similiter Pagani possunt apprehendere multos Deos chymæricos, & de facto tot myriades mortalium idolatrarum apprehenderunt, & apprehendunt, de quibus natura divina falso prædicatur, & tamen, natura divina non est universalis, & consequenter non est species logica: Ergo ista apprehensio impossibile non sufficit ad universalitatem. Nempe aliud est naturam esse verè, & simpliciter universalem, universalitate non utique independente à nostris cognitionibus, sed constituta per veram, physicam, & realem cognitionem exprimentem naturam illam, sed non illius multipliciter. Aliud naturam *apprehendi* univalem, seu esse apparenter universalem, secundum rationem apparentem, sed erroneam: quam solam speciem universalitatis concedit in hoc nomine *Deus Sanctus Thomas* 1. parte quæst. 13. artic. 9.

90. Illud primum disputamus, atque illud ex sua notione, ac definitione postulat, quod natura sit verè multiplex, ac quod possit verè prædicari de multis, & non est contentum inanibus nostris apprehensionibus. Non disputamus secundum, quia etiam natura divina potest apprehendi, ut universalis, & esse apparenter universalis, & de facto fuit apprehensa per multa sæcula, & per multos hominum milliones, ut universalis; sed nec est necesse, potest universalis. Et ad illud secundum sufficit ista apprehensio. Contra 2. Impossibile est abstrahere naturam specificam; v. g. humanam ab uno solo individuo. Hæc namque abstractio non est aliqua physica separatio, aut quid simile; sed unicè consistit juxta veritatem in eo, quod cognitio exprimat naturam hujus solius, hæcæcitatem verè, sive differentiam individualem, non exprimat; quomodo autem potest hoc contingere, nisi quatenus habeat hunc præcisum modum tendendi *Homo*, sed eo ipso abstrahit naturam à cæteris, quia hæc abstractio stat in eo, quod illud, quod sonat in

Nn 2

hac

hac cognitione conveniat cæteris, quin horum appareant differentia, & eo ipso, quod cognitio habeat illum præcisum modum tendendi, id ita evenit: siquidem ibi sonat natura humana, quæ cæteris etiam convenit hominibus, & nulla apparet cæterorum differentia, ergo &c.

91. Gravior difficultas, est in secunda parte conclusionis: Nimirum quod sit de essentia speciei physicae multiplicitas individuum possibilem, & consequenter quod sit impossibilis creatura, cujus aliam similem in specie non possit Deus producere: Multi enim graves Doctores putant oppositum, censentes Angelos omnes invicem distingui specie, ita ut non possint duo Angeli distingui tantum numericè, sicut distinguuntur duo homines. Fundamentum è primarijs est axioma quoddam, quod *individuatio sumitur à materia*, cumque in Angelis, nec detur, nec dari possit materia, quia omnes sunt substantiæ completæ spirituales: inde concludunt, quod inter illos, nec detur, nec dari possit individuatio, id est distinctio purè numerica. Ergo non sunt possibilem duo Angeli solo numero distincti. Ergo in nulla specie Angelorum potest Deus creare duo individua. Ergo Michael; v. g. talis est, ut non sit possibilem alia creatura ipsi in specie similis.

92. Quod attinet ad proloquium illud explicuimus in Prologo ad finem Disput. 4. inter cætera axiomata, & explicabimus mox. Nunc directè probamus illam partem, circa quam adverte duo 1. nos non loqui de omni penitus creatura, sed de creatura distincta à complexo ex omnibus creaturis possibilem. Nam certum est, quod complexum hoc est quid creatum, & tamen certum quoque est non posse Deum producere ullam aliam creaturam huic similem, quoniam ultra, vel extra complexum ex omnibus creaturis possibilem, non est possibilem alia. Non loquimur juxta hoc sophisma.

93. Secundum. Aliud est quod cujusvis creaturæ particularis possibilem sit similis alia creatura *in specie*, & hoc solum dicimus. Aliud vero, quod ita in omnibus, & per omnia sit similis ut sola, pura differentia individuali distinguantur, & nullo penitus alio. Hoc non dicimus. Nam si sermo esset de creaturis fungentibus libero arbitrio, ambæ forent liberæ, ut supponitur, & neutra foret libera libertate, utique in differentia: quoniam utraque esset inevitabiliter determinata ad operandum, vel non operandum quoties altera operaretur, vel non operaretur, & eodem modo, & eisdem

dem penitus circumstantijs, (alias jam daretur inter ipsas alia dissimilitudo præter puram, & solam individualem,) sed hoc ipso neutra foret libera libertate indifferentia: Ergo: sin vero de alijs creaturis, adhuc videtur ardua ista totalis similitudo, præter puram differentiam individualem. Quoniam debebant incipere, ac deficere in eodem penitus momento, & loco, & per easdem penitus causas, & cum eisdem prorsus circumstantijs, & videri à Deo per eundem penitus actum scientiæ, & decerni per idem decretum, & existere in eodem loco, & denique talem reciprocam concatenationem, sive connexionem habere, ut ex nullo penitus angulo subreperet alia dissimilitudo distincta à pura, & mera differentia individuali. Hoc autem obnoxium est difficultatibus non contemnendis. Quo circa ab hac universali uniformitate, & similitudine præscindimus, & solam illam primam statuimus sic.

94. Quoties occurrit dubium, & pro neutra parte occurrit efficax ratio, ex natura ipsa rei, aut ex principijs generalibus metaphysicæ, recurrendum est ad principia prudentiæ, & his contentus esse debet intellectus docilis, juxta ea quæ diximus in logica minore, Disput. 2. sub finem Cap. 1. At in præsentis dubio pro neutra parte occurrit ratio efficax, aut ex natura ipsa rei, aut ex generalibus principijs metaphysicæ: Ergo recurrendum est ad principia Prudentiæ. Sed juxta hæc dicendum videtur repugnare creaturam, cujus similem aliam non possit Deus producere: Ergo repugnat. Minor prima constat ex ipso facto. Rationes enim, quas proferunt, qui defendunt possibilem esse creaturam, imo de facto dari, cujus aliam similem in specie Deus producere non valeat, siquidem ajunt non esse possibilem alium Angelum ejusdem speciei, cum Sancto Michael, nec alium ejusdem speciei, cum Sancto Gabriele &c. Rationes, inquam hæc non dura excipiuntur solutione.

95. Alteræ verò, quas ex metaphysica proferre solent Authores contrarij non videntur efficaces; tum quia conceptui generico creaturæ non repugnat excludere possibilitatem alius creaturæ similis quoad speciem; quandoquidem complexum ex omnibus creaturis possibilem verè, & simpliciter partipat genericum conceptum creaturæ, ut diximus, & tamen excludit possibilitatem, ut etiam diximus, alius creaturæ similis specie. Conceptui autem specifico, aut individuali talis, aut talis creaturæ unde repugnat ex principijs metaphysicis, aut ex natura talis rei excludere dictam possi-

possibilitatem? tum quia licet sit character divinitatis excludere possibilitatem omnis alius similis, & æqualis, & superioris; non tamen excludere possibilitatem omnis alius similis, permittendo possibilitatem alius superioris. At creatura, cujus aliam similem in specie non posset Deus producere, poterat admittere creaturam superiorem in specie: quia exclusio similitudinis specificæ, non est exclusio excessus quoad perfectionem, siquidem complexum ex omnibus hominibus possibilibus excludit, quod quippiam aliud sit ejusdem speciei physicæ cum ipso, & non excludit, quod Angeli, & multæ aliæ creaturæ sint ipso complexo perfectiores: Ergo neque ex natura rei, neque ex principijs generalibus ostendi videtur impossibilitas dictæ creaturæ: Ergo recurrendum est ad principia Prudentiæ.

96. Probatur itaque subsumpta illa minor, videlicet, quod juxta hæc, potius neganda, quam affirmanda sit possibilitas illius creaturæ: id est potius negandum, quam affirmandum posse Deum producere singularissimam istam creaturam. Juxta Prudentiam, rectamque rationem, neganda est Deo potentia, quæ traheret secum innumeras impotentias, non aliunde notas, & certas, & adstruenda est impotentia, quæ trahit secum potentiam ad infinita alia producenda: illa namque solo nomine est potentia, & re impotentia; hæc vero re est potentia, & nomine impotentia: At potentia producendi istam creaturam unicam, & singularem in specie, *A.* v. g. traheret secum impotentias innumeras, non aliunde notas, quam ex tua ipsa conclusione, quoniam traheret secum impotentiam producendi innumera alia individua in ista eadem specie. *A.* in qua non esse possibile ullum aliud individuum defendis: Impotentia vero producendi illam, hoc est, quod illa singularissima creatura in specie. *A.* sit impossibilis, trahit secum quod Deus in ista eadem specie possit producere innumera alia individua: nam ideo est impossibilis ista singularissima creatura, quia in ista specie. *A.* & in quacumque alia potest Deus producere infinita alia individua: v. g. in specie Michaelis infinitos alios Angelos, in specie Gabrielis infinitos alios Angelos &c. Ergo juxta rectam rationem videtur dicendum non posse Deum producere creaturam ullam, (& consequenter non esse possibilem,) cujus non sint similia quo ad speciem innumera alia individua.

§. IV.

§. IV.

97. **R**espondebis si semel agnoscutur possibilis creatura, cujus aliam similem nequeat Deus producere: & consequenter species, cujus unum dumtaxat individuum sit possibile, sequitur possibiles esse innumeras species creaturarum, quarum specierum unicum sit possibile individuum, quia non est cur una tantum sit possibilis species id generis: ergo si semel negatur possibilitas illius speciei, negatur possibilitas innumerarum specierum: ergo negare Deo potentiam ad illam speciem, est negare potentiam ad innumeras alias: ergo coarctamus infinitam amplitudinem omnipotentia: sed contra redit argumentum nostrum. Negare Deo potentiam ad infinitas istas singularissimas species fundatur in confessione potentia ad producendum infinita individua in unaquaque ex istis speciebus, quas vocas singularissimas: ergo est impotentia nomine, re autem ipsa est infinita potentia, seu potentia ad infinita individua producenda. E converso. Adstruere in Deo potentiam ad infinitas istas species, est re ipsa impotentia ad producendum plusquam unicum individuum in unaquaque, quæ impotentia non aliunde est nota, quam ex tua conclusione; ergo potentia ista ad species istas singularissimas, quarum unicum est possibile individuum, nomine quidem est potentia; re autem impotentia.

98. Jam basis illa, *Individuatio sumitur à materia*, super quam struunt adversarij possibilitatem dictæ creaturæ, & impossibilitatem quorumlibet Angelorum, qui solo numero invicem distinguuntur, non videtur firma. Tum quia in eodem loco in quo Aristoteles primus Author illius, illam stabilivit, probandi gratia, unicitatem Dei, varios errores commisit, v. g. mundum fuisse ab æterno, Deum operari sine libertate &c. Hujusmodi autem lapsus autoritatem adimunt isti propositioni. Tum quia ipsæ materiæ *A.* & *B.* ipsæ quantitates *A.* & *B.* per se præcisè independentes ab omni ordine, seu respectu ad aliud, distinguuntur numericè, nisi abire velis in infinitum materialium reflexarum: ergo non est prorsus universale, ac metaphysicum, quod omnis individualis distinctio sumitur, & regulatur per ordinem ad materiam, sive quantitatem: cur ergo duæ animæ rationales, duo Angeli non possunt distingui individualiter respectivè, etiam si, nec habeant, nec habere possint materiam corpoream.

99. Tum

99. Tum maximè. Aliud est quòd individuatio sensibilis, & quoad nos (non quidem speculative, sed practice sicut cognoscimus hunc digitum non esse alterum, hanc litteram non esse illam) sumatur, ac pendeat à materia, tanquam à termino extrinseco, sed necessario: & hoc est verum, & legitime probat nos pro hoc statu non posse practice dicere. *Hic Angelus non est ille.* Unde sequitur possibilem esse, & de facto dari speciem non habentem multa individua, imò nec unum, quæ à nobis sunt practice intuitivè discernibilia. Cum enim pro hoc statu non cognoscamus differentias purè, ac merè individuales, indè est quod ut possimus practice dicere, & non tantum speculative; *Hoc individuum non est illud*; necessarium est quod in eis detegamus aliqua accidentia, aliquas notas, aliqua signa, seu tesseras diversas; ob quorum defectum, quando clam exponitur aliquod pomum, moneta, ovum prorsus simile priori, putamus esse idem, quia non percipimus ullum externum sensibile diversitatis signum. Atqui hujusmodi notæ, accidentia, seu signa diversè exigunt materiam, & quantitatem, cum sint res corporeæ, ac materiales: ergo individuatio sensibilis, & materialis, quoad nos pendet ex aliquo pendente à materia: ergo & ipsa pendet à materia tanquam à termino extrinseco, sed necessario.

100. Aliud verò longè diversum est, quod individuatio ipsa intrinseca, essentialis, & coram Deo, cognita nec ne à nobis cognitione pratica pendeat essentialiter à materia quanta, tanquam à termino extrinseco, aut per ipsam constituitur tanquam per terminum extrinsecum: & hoc est falsum. Unde quamvis Angeli sint expertes quantitatis materialis, possunt habere distinctionem purè individualem coram Deo, & consequenter non datur species cujus unicum sit possibile individuum. Probatur illud esse falsum. Nil adæquatè identificatum cum anima rationali *A.* v. g. pendet essentialiter à materia tanquam à termino extrinseco, aut per ipsam constituitur, tanquam per terminum extrinsecum: quia ambo hæc repugnant ipsi animæ, & consequenter omni identificato adæquatè cum illa. At animam *A.* distingui numericè ab anima *B.* (sumptum utique inadæquatè, quoniam distinctio adæquata, seu reciproca utriusque, cum utraque identificatur adæquatè, & qualibet inadæquatè) adæquatè identificatur cum ipsa anima *A.* ergo neutro illo modo pendet essentialiter à materia: ergo distinctio individualis, seu numerica intrinseca, essentialis absoluta, & coram

Deo

Deo est utrolibet illo modo independens à materia quanta. Probatur minor; Anima *A.* per solam suam essentiam coram Deo, & ratione illius solius, vel distinguitur ex parte sua ab anima *B.*; vel identificatur: vel nec distinguitur, nec identificatur in sensu reali, physico, & objectivo semper coram Deo, omissis nostris præcisionibus mentalibus, utpotè impertinentibus ad rem præsentem, quæ tota est physica, & realis.

101. Si primum: ergo sola sua essentia est distinctio ipsius, ex parte ipsius ab anima *B.* atqui sola sua essentia identificatur adæquatè cum Anima *A.*: ergo distinctio hujus ab anima *B.* ex parte ipsius animæ *A.* cum ea identificatur adæquatè, sicut ex parte animæ *B.* cum hac identificatur adæquatè: & quidem distinctio numerica. Nam si hæc duæ animæ habent per solas suas essentias distingui realiter: & insuper habent per solas suas essentias esse speciei humanæ, palam fit, quòd per solas suas essentias distinguuntur, & non specificè: ergo numericè, ac individualiter. Si secundum: ergo impossibile est, quòd Anima per quidpiam distinctum distinguatur ab anima *B.* Quia nil per solam suam essentiam identificatum cum aliquo, potest per quidpiam à se distinctum, distingui intrinsecè coram Deo ab illo. Unde, quia homo per solam suam essentiam identificatur cum rationali, est chymæra, quòd per quidpiam aliud distinguatur intrinsecè coram Deo à rationali. Si tertium, nimirum Animam *A.* per solam suam essentiam, nec identificari, nec distingui ab anima *B.*: ergo per solam suam essentiam indifferens est, ut identificetur realiter, vel ut distinguatur realiter ab anima *B.*: sicut hæc charta secundum solam suam essentiam est indifferens, ut sit alba, vel nigra: ergo res possunt mutare identitates, ac distinctiones, sicut colores. Quid ergo est illud, quòd jam identificatur realiter cum aliquo, jam distinguitur realiter ab illo? Dicendum ergo videtur, unamquamque rem per solam suammet essentiam identificari cum eo, quocum identificatur, & per solam suammet essentiam distingui realiter coram Deo; quidquid sit de nostris ignorantibus, ab eo, à quo distinguitur: ergo hujusmodi distinctiones non pendent essentialiter ab alio, sive tanquam à termino extrinseco, sive tanquam à constitutivo.

102. Si dixeris. Animam *A.* per solam quidem suam essentiam distingui ab anima *B.*; sed hoc esse, quia per solam suam essentiam dicit ordinem, sive respectum ad materiam diversam; unde subsistet, quòd distinctio hæc pendet essentialiter à materia, ta-

O o

metfi

metri non constituatur per ipsam : sicut creatura pendet essentialiter à creatore , quamquam non constituatur per ipsum . Contra est . Nulla anima rationalis est per se ab intrinseco determinata ad illam materiam , seu corpus , cui nunc unitur ex mera divina determinatione . Illa enim individua anima , quæ modò est in corpore Regis , quia Deus id voluit , potuit esse in corpore bajuli , & viceversa . Unde homo nobilissimus , sapientissimus , & sanctissimus non distinguitur adæquatè , sed solum inadæquatè ratione corporis ab alio vilissimo , ignarissimo , & sceleratissimo , qui poterat constare eadem anima , sed corpore diverso , vel eodem corpore , idest materia , sed animà diversa . Differt verò anima à corpore , & ex hoc capite indifferentiæ , quoniam materia prima est indifferens ad componendum cum formis specie , ac genere diversis composita substantialia specie , ac genere diversa . Anima verò rationalis tamen indifferens sit ad diversa corpora , seu materias numero diversas ; compositum , quod ex illa resultabit , semper erit humanum ; sed de hoc alibi . Sufficit modò , quòd anima *A* individualiter distincta ab anima *B* non sit per se determinata ad materiam distinctam ab ea , quam hic , & nunc informat anima *B* . De hoc iterum redibit sermo disput. 4. num. 67.

§. V.

103. **D**ifficultas 3. est . *An species tota salvetur in unico individuo* : itaut tota speciei perfectio sit in quovis individuo , & tota perfectio generis in qualibet specie ? Resp. vel sermo est de totalitate *accidentali* , vel de *substantiali* , & *essentiali* ? Si primum certum est , quòd neque in quovis individuo sunt omnes perfectiones accidentales , quæ possunt comitari speciem humanam , v.g. sanctitas , sapientia &c. neque in quavis specie omnes accidentales perfectiones , quæ solent comitari species alias ejusdem generis , quoniam *Nos Aper auditu , lince visu , simia gustu , vultur odoratu , Vincit Aranea tactu* : ergo neque in quovis individuo est tota perfectio accidentalis speciei , neque in quavis specie tota perfectio accidentalis generis . Si secundum ; iterum distinguendum : vel sermo est de totalitate *extensiva* , vel de tota perfectione totalitate *intensiva* . Si 1. certum est quòd neque cuilibet individuo identificantur omnia individua illius speciei , neque cuilibet speciei omnes aliæ spe-

species . At substantialis perfectio extensiva speciei est multitudo suorum individuum , & substantialis perfectio extensiva generis est multitudo suarum specierum : ergo . Si secundum ; tota perfectio intensiva speciei identificatur cum singulis individuis , & in hoc sensu tota species salvatur in uno individuo : & tota perfectio intensiva generis identificatur cum singulis speciebus , & in hoc sensu totum genus salvatur in unica specie .

104. Probatur . Perfectio intensiva nil aliud est , quàm definitio , idest ratio illa , sive conceptus , sive prædicatio , sive perfectio , quæ exprimitur per formalem definitionem ; v. g. tota intensiva perfectio hominis est esse animal rationale , & tota intensiva perfectio Animalis est esse vivens sensibile : ergo eo ipso , quòd de quovis homine verificatur tota , & integra definitio speciei humanæ , & de quovis animali verificetur tota , & integra definitio hujus generis animal ; habebimus , in quovis individuo humano esse totam perfectionem intensivam speciei humanæ , & in quavis specie animalis esse totam perfectionem intensivam generis animal . At de quovis homine verificatur tota , & integra definitio speciei humanæ , nimirum *Animal rationale* ; quia quilibet verè , & propriè est animal rationale , licet non quilibet sit totum , quod est objectum hujus definitionis (quia omnes , & singuli homines sunt objectum illius definitionis , & non quilibet est omnes , & singuli homines) nempe quia hoc esset defectere à perfectione *intensiva* , quam solam modò affirmamus , ad *extensivam* , quam nuper negabamus . Et similiter de quavis specie animalis verificatur tota , & integra hæc definitio *vivens sensibile* , quæ est definitio animalis : ergo in quovis individuo est tota perfectio intensiva speciei , & in quavis specie tota intensiva perfectio generis . Ubi jam vides , nos loqui de genere , ac specie primò intentionaliter sumptis , non autem secundò .

105. Difficultas 4. *Per quid constituatur species subjicibilis generi , per quid prædicabilis de suis individuis* (species namque logica respicit duo , scilicet genus sub quo continetur , & individua , quæ infra se continet) & *an , ut subjicibilis sit prædicabilis , ac viceversa* . Resp. 1. vel sermo est de subjicibilitate , & prædicabilitate intentionali remota , vel de proxima ? Si primum ; per eandem cognitionem sit utrumque , nempe per cognitionem abstrahentem naturam humanam , v. g. à suis individuis , idest per hanc simplicem apprehensionem *Homo* , quia de natura tota humana sic cogni-

ta *Homo* verè prædicamus genus, agentes: *Homo est animal*: & naturam humanam eodem modo cognitam verè prædicamus de singulis hominibus, agentes. *Petrus est homo*. *Joannes est homo* &c. ergo eadem cognitio *Homo*, quæ subservire potest, ut natura sit subjectum, de quo prædicetur genus, subservire potest, ut sit prædicatum, quod prædicetur de suis inferioribus: ergo per eandem cognitionem, per quam est remotè subjicibilis generi, est remotè prædicabilis de individuis.

106. Si secundum non semper est proximè subjicibilis per eandem cognitionem, per quam est proximè prædicabilis, aut viceversa: quoniam simplex comparatio speciei cum genere non semper est simplex comparatio speciei cum individuis. At species constituitur proximè subjicibilis generi per simplicem comparisonem sui cum illo; quia inter illam, & actualem subjectionem, hoc est, inter illam, & hanc sententiam, *Homo est Animal*, nullus alius mediat necessariò actus intellectus in sensu supra explicato. Et constituitur proximè prædicabilis de suis individuis per simplicem comparisonem sui ad illa; quia inter eam, & actualem hanc prædicationem, *Petrus est Homo*, *Joannes est Homo*, nullus alius mediat necessariò actus intellectus, vel cedo illum: ergo &c. Minor probatur. Inquirere, examinare, cogitare, an homo sit animal, non semper est inquirere, examinare, cogitare, an Petrus sit homo, ut constat: sed simplex comparatio hominis cum animali est, ut explicuimus suo loco, quòd intellectus apprehendens *Homo*, & *Animal*, & unum conferens cum altero, inquirat, cogitet, examinet, num homo sit animal. Simplex verò comparatio hominis cum Petro, Joanne &c. est, quòd intellectus apprehendens *Homo*, *Petrus*, inquirat examinet, cogitet, num homo conveniat Petro: ergo simplex comparatio hominis cum animali non semper est simplex comparatio hominis cum Petro.

107. Et hinc infertur, speciem ut subjicibilem remotè esse in sensu directo prædicabilem: quoniam illud, ut in sensu directo, significat esse verè, ac realiter eandem formam per quam natura humana constituitur remotè subjicibilis generi, & remotè prædicabilis de suis individuis. Non autem in sensu reflexo logicorum proprio. Quoniam speciem ut subjicibilem esse in sensu formali, & reflexo prædicabilem, aut viceversa, stare in eo, quòd ex vi præcisè hujus cognitionis reflexæ. *Hæc species potest esse subjectum, de quo prædicetur Genus Animal*, v. g. possemus depræ-

depræhendere hanc aliam: *Hæc species potest esse prædicatum, quod affirmetur de multis*. Hunc sensum reddunt istæ reflexiones logicæ, ut explicuimus agentes de identitate, ac distinctione formalibus in sensu logico. At quamvis verè species, de qua potest prædicari genus, possit esse prædicatum, quod enunciatur de individuis, & viceversa; verum tamen ex vi præcisè primæ cognitionis non possumus depræhendere secundam: sicut quamvis *Animal* sit rationale, ex vi tamen hujus solius expressionis *Animal*, non possumus proferre hanc sententiam, *Animal est rationale*; sed hoc aliundè novimus ex alijs rationibus: ergo species, ut subjicibilis remotè, non est prædicabilis, nec vice versa, si illud ut intelligatur in sensu reflexo, & formali logicorum.

108. Multominus est prædicabilis, ut subjicibilis proximè, aut est subjicibilis, ut proximè prædicabilis. Nam cum constituatur proximè subjicibilis, & proximè prædicabilis per simplices comparationes, plerumque distinctas, ut colligitur ex discursu nuper prolato, fit quòd neque in sensu directo, neque in sensu reflexo sit species prædicabilis, ut proximè subjicibilis, aut sit subjicibilis, ut proximè prædicabilis.

CAPUT QUINTUM.

De Proprio, & Accidente.

109.



Proprium comparari potest cum individuo particulari, vel cum tota specie. Comparatum cum individuo potest esse illi essentialis in sensu reali, sicut cujusvis individuo est essentialis realiter sua differentia individualis, quamvis hæc sit extræ essentialiam metaphysicam, hoc est definitionem. Petrus namque licet non definiatur per Petreitatem, hæc tamen necessariò convenit, non quidem animali rationali, ut sic præcisè; sed *animali rationali Petro*. Potest item esse illi accidentalis, sicut sunt pleræque proprietates quibus una individua humana discernimus ab alijs; v. g. esse iracundum, esse benignum, habere talem stylum in componendo, talem characterem in ratiocinando, talem proprietatem in pingendo. Unde fit, quòd homines aliorum opera experti, citò dicant. Iste character est Senecæ, iste est stylus Ciceronianus, hæc pictura est Titiani,

110. Si proprium comparatur cum tota specie, potest quoque esse illi essentiali in sensu reali, ut risibile est essentiali toti speciei humanæ, vel accidentale, ut esse implumem, bipedem, quod etiam est proprium speciei humanæ, sed accidentale. Igitur quatuor Ordines priorum agnoscunt logici cum Porphyrio. 1. Quod convenit solis aliquibus individuis, sed neque omnibus, neque semper: v. g. esse *Musicum*, est in hoc sensu proprium naturæ humanæ, quoniam soli homines sunt corporaliter musici, sed neque omnes, neque semper. 2. Quod convenit per se loquendo omnibus individuis, sed non solis; v. g. esse bipedem, est proprium in hoc sensu naturæ humanæ. 3. Quod convenit omnibus, & solis individuis alicujus speciei, sed non semper: v. g. actu ridere, est proprium in hoc sensu naturæ humanæ. 4. Quod convenit omnibus individuis alicujus speciei, solis, & semper: v. g. esse risibile, & hoc est proprium omnium propriissimum, & quod vulgo emphaticè dicitur proprium in quarto modo, quia omni, soli, & semper convenit.

111. Proprium maximè in hoc quarto modo potest considerari dupliciter. Primò scilicet intentionaliter, & est quod cum sit extra essentialiam, necessariò consequitur essentialiam ex ejusdem determinatione, ut risibilitas consequitur essentialiam humanam ex determinatione rationalitatis imbibitæ in definitione naturæ humanæ: Item, secundò intentionaliter, & est Prædicabile de multis extra essentialiam necessariò, utrobique illud *extra essentialiam* debes intelligere, quando sermo fuerit de proprio metaphysico in sensu toties dicto. Nimirum extra essentialiam, *ratione nostra*, non quatenus illud distinguatur realiter ab essentialia, sed quatenus per illud non definiamus essentialiam. Neque hoc debes sic, utcumque intelligere, nam cum rationale v. g., & risibile sint prorsus idem ex parte rerum, nequit fieri, quòd verè definiatur per unum, quin verè definiatur per alterum; sed debes intelligere in sensu reflexo, alludente ad nostras cognitiones, juxta antiquam illam figuratam, toties notatam locutionem attribuendi objectis, quod verè, ac castigatè loquendo illis cognitionibus convenit. Homo itaque definitur per rationale, & non per risibile, quatenus in definitione hominis sonat hic terminus, seu hæc expressio *Rationale*, non autem hæc *risibile*.

112. Proprium hoc est duplex, *Physicum*, & *Metaphysicum*, 1. Illud est, quod cum distinguatur realiter ab essentialia (cujus proprium)

ipsam

ipsam in tali determinata specie consequitur ex ipsius essentiali determinatione, & hoc proprium vocari solet propria passio, seu proprietas physica rei. Sic color est propria passio ignis, quia cum hic, utpotè substantia distinguatur realiter ab illo, utpotè accidente, nihilominus suapte natura connectitur ignis cum calore determinatè non utcumque existente in mundo, sed ut existente in igne ipso, sic talis, & talis organizatio, seu membrorum coordinatio est physica proprietas naturæ humanæ, & talis alia est naturæ equinæ &c. quia cum hæ nature distinguantur realiter ab ea coordinatione (quod ultra substantiales partes ipsas corporis, nil est aliud, quam talis, & talis distantia reciproca unarum, talisque, & talis indistantia aliarum.) Verumtamen unaquæque ex se est determinata ad habendum, & quidem in se ipsa eam distantiam, & indistantiam membrorum.

113. Hinc 1. Forma substantialis, & ipsius substantialis unio cum materia, non justè dicuntur passionis, seu proprietates physice materiæ primæ, quia hæc connectitur quidem suapte natura cum utraque; sed neque est causa alterutrius plusquam merè passivè (& hoc quando forma est materialis) nec connectitur, specificativè sumpta, cum una specie determinata, nam qualibet forma substantiali, & qualibet hujus unione substantiali, sive unius, sive alterius speciei contenta est materia prima; quod non contingit igni respectu caloris, nam ille determinatè poscit calorem in specie hac, quidquid sit, an hæc subdividi possit materialiter in alias species minutiores, & natura humana determinatè postulat hanc figuram, & membrorum economiam, quæ vulgo censetur humana, quidquid sit de discrepantijs, quæ vulgo censentur accidentales, v. g. quòd unus sit gibbosus, alius rectus &c. 2. Actus divini, cum quibus intimè connectitur omnis creatura, v. g. decretum causativum, aut permissivum creaturæ ipsius: scientia, qua Deus scit creaturam esse possibilem, aut etiam existentem: item Deus ipse quoad suas necessarias perfectiones. Hæc non sunt passionis, aut proprietates physice creaturarum. 1. Quamvis enim hæc realiter distinguantur ab illis, & simul cum illis connectantur intimè; verumtamen non connectuntur cum illis, ut existentibus, immediatè, aut mediatè per unionem, seu receptionem in creaturis ipsis, ut constat. Proprium autem est illud, quod ex essentiali determinatione consequitur essentialiam, ut res *in ipsa essentiali* altero ex illis modis existens per unionem, aut receptionem. Insuper pro-

propter alteram rationem quam jam subjungo.

114. Hinc 3. Productio rei, sive eductiva, sive creativa: item unio formæ cum materia non sunt passiones, aut proprietates physicæ harum rerum, quoniam illa vox *consequitur* non significat connexionem ut cumque, sed posterioritatem etiam: Ergo omne quod non est posterius ad essentiam, idest, quod non producitur ullatenus per illam, aut saltem propter illius existentiam, non est proprietas physica illius, siquidem non consequitur ad illam, sed neque productio rei est posterior ad ipsam rem, ut constat, nec unio formæ est posterior ad ipsam formam, quia hæc nullo modo præcedit existens ad suam unionem cum materia: ergo. Quocirca proprium physicum, proprietas physica, propria passio quæ tria sunt idem, consequitur ad essentiam tanquam ipsius effectus naturalis; & in hoc sensu est vera prisca illa vox, *qui dat formam, dat consequentia ad formam*. Non quia causa productiva formæ ipsa sola, & semper producat consequentia, hoc est proprietates formæ ignis ut g. sed quia dans, sive producens formam, dat illud, quod est naturalis causa, ex qua naturaliter prodeunt illæ naturales proprietates.

115. Quartò. Quantitas est proprietas physica materiæ primæ. Præsentia in specie, licet non in individuo, est proprietas physica rei creatæ præsentis. Species materiales quas circumquaque diffundunt corpora quando libera sunt, ut undequaque videri possint, sunt proprietates physicæ eorundem, quia ista omnia respectivè distinguuntur realiter ab eis rebus, & eas respectivè consequuntur tamquam effectus naturales, sicut frigus aquam, & quamvis non sit in charta hac v. g. per hanc unionem aut receptionem tota illa series specierum visualium, quæ incipit ab ipsa, & definit in nostris oculis; Cæterum prima pars hujus seriei est in ipsa charta, quia à se ipsa incipit mittere speciem sui ipsius ad oculos; hoc autem sufficit, ut tota illa series denominetur recepta in charta: sicut tota catena, & omnes illius annuli dicuntur teneri à te, quando solum primum physicè immediatè tenes, cæteros autem propter concatenationem cum primo.

116. Quintò. Non est de ratione proprii physici, quodd essentiam consequatur consequentiâ metaphysicæ connexionis essentia cum ipso, (quia ignis v. g. non connectitur metaphysicè cum calore in se ipso,) nec consequentiâ solum connexionis moralis, idest juxta rectam rationem, sicut reverentia subditorum consequi-

tur

tur regiam majestatem, quia illa est proprietas moralis, non autem physica hujus, nec consequentia connexionis physicæ infrustrabilis toti naturæ, qualis est connexio ignis cum calore, Solis cum luce: quia frigus jure dicitur proprietas, seu passio physica à quo; & tamen agentia naturalia possunt illam frigore orbare. Solum igitur est de essentia hujus proprii consequentia connexionis physicæ, ac naturalis, sive violabilis, sive inviolabilis per causas naturales.

117. 6. Propriè loquendo non dicitur passio, sive proprietas physica, nisi respectivè ad naturam sumptam pro substantia completa, aut incompleta, aut saltem pro subiecto, aut forma specialibus specificativè sumptis (puta quantitatem &c.) quo circa licet materia, ut ultimo disposita ad formam ignis determinatè sit connexa cum ea forma, ut posteriore, atque ut habenda in materia illa; nihilominus non est usitata locutio, quod illa forma, aut ipsius unio sint propria passio, seu proprietas physica materiæ, ut ultimo dispositæ ad ipsas: quia materia, ut ultimo sic disposita non est materia specificè sumpta; sed accidentale complexum ex illa, & dispositionibus eis. Quod si hoc non obstante arrideat tibi opposita locutio, per me licet. Denique propria passio, seu proprietas physica est duplex: una strictè talis, nempe quæ convenit omnibus, vel majori saltem parti individuorum, ut calor respectu ignis; bini pedes respectu hominum; quatuor respectu equorum &c. Altera minus propriè talis, nempe quæ convenit alicui portioni solæ individuorum, ut aliqua specialia, & propria solent dici alicujus familiæ, alicujus nationis &c. sed hæc verè non conveniunt ex determinatione essentiæ; sed ex determinatione aliquorum accidentium, quæ à Patribus transmittuntur in Filios.

§. II.

118. Jam Proprium metaphysicum est, quod cum sit ratione sola nostra distinctum ab essentia, hanc consequitur ob intimam identitatem realem essentiæ cum ipso: tale est risibile respectu hominis. Hoc proprium est duplex: unum specificum infimum, & est, quod per legitimam consequentiam infertur ex differentia propriissima, idest ex differentia constitutiva speciei. Sic risibile consequitur essentiam hominis, non ratione prædicati generici *Animal*, quia esset mala hæc consequentia: *est animal: ergo est*

P p

risi-

risibile, sed ratione differentia specificæ; quia hæc est bona consequentia. *Est rationalis creatura: ergo capax est admirationis*; pro qua supponit in omnibus his rebus risibilitas. Aliàs constat, Angelos esse rationales, & tamen utpotè incorporeos non esse vulgaris risus capaces. Alterum genericum, sive specificum subalternum; & est illud, quod per legitimam consequentiam sequitur ex prædicato generico constitutivo speciei: sic virtus loco motiva est quoddam proprium metaphysicum hominis, quoniam sequitur ex genere animal constituyente speciem humanam. Valet enim *est animal: ergo habet virtutem radicalem movendi se ab uno in alium locum*: cumque genera, & differentia multiplicentur una supra altera usque ad ens, quod omnium supremum vulgò dicitur; Jam vides multiplicari propria metaphysica, tum generica, tum specifica.

119. Dux hic occurrunt difficultates. 1. *An definitio data per proprium metaphysicum, sit bona?* Respondeo esse malam, si detur per proprium genericum, v. g. *Homo est animal loco motivum*; quia ambo prædicata sunt genus respectu hominis: ergo definitio sic data non constat genere, & differentia, quæ sit talis respectu definiti. Præterea quia definitio debet converti cum definito, debetque illi omni, & soli convenire: ergo omnis definitio, quæ non sit huiusmodi, non est recta: sed talis est ista: quia virtus loco motiva convenit alijs animalibus distinctis ab homine, & quamvis ex homine arguatur bene ad locomotivum; non tamen è converso. Cæterùm si definitio detur per proprium specificum infimum: v. g. *homo est animal risibile*, non est spernenda, sed plerumque admittenda, licet dicatur descriptiva.

120. Cum enim tanta laboremus ignorantia circa quidditates, & essentias harum etiam rerum, quas præ manibus habemus (quid de alijs magis reconditis?) Inde est, quod rarò, vel nunquam deprehendimus differentiam specificam propriissimam rerum, quas disputamus, idest prædicatum illud, quod apud nos esset prima radix, & origo cæterorum: ergo semper, aut fere semper debemus contenti esse definitione, quæ detur per differentiam saltem propriam, idest quæ omnibus, & solis conveniat individuis illius speciei, quam disputamus: & sic pro equo contenti sumus hac definitione, *Animal hinnibile*, licet hinnibilitas non sit prima radix apud nos reliquarum proprietatum equi; & pro Leone contenti sumus hac, *animal rugibile*, tametsi virtus rugiendi non sit prima origo cæterorum attributorum illius animalis, & pro innumeris alijs rebus, quæ

passim

passim occurrunt, non habemus definitiones adhuc his similes, ut experientiâ constat, v. g. quid est Columba, quid est Adamas, quid est Amygdalum &c. ergo definitio data per proprium specificum infimum, quando hoc inveniri possit, admittenda est.

121. 2. *Proprium metaphysicum respectu cuius est universale?* Respondeo respectu individuorum speciei, cuius est proprium, v. g. risibile respectu hujus, & illius hominis, quia cum habeat cætera attributa universalitatis, latius patet, quàm hic homo: & latius, quàm ille homo &c. siquidem hinc bene arguitur ad risibile; sed ex eo, quod aliquid sit risibile, non bene arguitur esse hunc hominem: Præterea est universale respectu priorum inferiorum, idest respectu hujus, & illius risibilis, v. g. ut talium præcisè: quoniam respectu horum non jam est proprium, quàm species. Sicut enim tota essentia, quæ nobis apparet in Petro sic cognito *hoc animal* est esse animal. Ita tota essentia, quæ nobis apparet de eodem sic cognito: *Hoc risibile*, est esse risibile. Vide quæ diximus de individuis incompletis, quando genus disputabamus.

122. Non verò est universale respectu illius speciei, cuius est proprium specificum. Unde risibile non est universale respectu speciei humanæ: & locomotivum non est universale respectu generis *Animal*: quia nil convertibile cum alio est universale respectu illius (est enim æquale illi, & nil æquale est universale respectu illius, quia non est superius) sed omne proprium metaphysicum specificum est convertibile cum illa specie infima, aut subalterna, cuius est proprium. Valet namque, est homo: ergo habet radicalem capacitatem ridendi. Item habet hanc capacitatem: ergo est homo: similiter valet reciprocè; est animal: ergo est locomotivum; est locomotivum: ergo est animal: ergo.

§. III.

123. **D**enique Accidens primo intentionaliter sumptum, definitur à Porphyrio, *quod abest, & adest præter subiecti corruptionem*: quæ definitio, quam aliqui abjiciunt, ut parum aptam, non est intelligenda in sensu copulativo, quia esset conjungere duo contradictoria, sed in disiunctivo, seu contemptivo, scilicet, *sive adsit, sive absit*. Subiectum non corrumpitur sumptum secundo intentionaliter est, *Prædicabile de multis extra essen-*

P p 2

tiam

iam contingenter; v. g. album, quod licet non sit contingenter, nec extra essentiam, sed species, & tota essentia respectu propriorum individuorum, idest respectu hujus *albi*, ut talis, & illius *albi*, ut talis, quia ex vi præcisè harum incompletarum expressio- num, non apparet nobis alia essentia, quàm habere sibi unitam albedinem, cum capacitate denominationis albi, ut nuper dicebamus de proprio, attamen respectu subjecti, quod est album, v. g. Petri, neque est tota essentia, neque pars essentiæ, neque quid necessariò consequens ad essentiam Petri. Accidens autem dicitur prædicabile de multis sumptum in concreto; v. g. *album, frigidum*, non verò in abstracto: v. g. *Albedo, frigus*, quia albedo si sit una, determinatè Albedo non est prædicabilis de multis. Si sit albedo in communi est prædicabilis de multis albedinibus; sed sicut *Homo* de multis hominibus; nimirum, ut species.

124. Neque dicas contra hanc definitionem implicare in terminis, esse prædicabile, hoc est, identificabile, & simul esse extra essentiam, & contingenter. Etenim album v. g. affirmatum de Petro significat duo: Subjectum scilicet, (& hoc est, quod prædicatur, quod identificatur cum Petro, quod non est ipsi contingenter, aut extra essentiam,) & formam albedinis, & hæc cum sua unione non prædicatur, nec identificatur cum Petro, & est ipsi contingens, atque extra essentiam. Sensus enim, quem reddunt hujusmodi propositiones, est hic v. g. *Petrus identificatur cum subjecto, cui unitur physicè albedo*, qui sensus contingentis, & accidentalis veritatis est, ut jam monuimus: quia licet non sit contingens, neque accidentale Petro esse illud subjectum; contingens, & accidentarium est ei, quodd subjecto, cum quo identificatur, uniat albedo; quocirca ejusmodi propositiones cum sint copulativæ, & una pars subjecti, scilicet *cui uniat albedo*, sit contingens: ideo quamquam altera sit necessaria, scilicet, *Petrus identificatur cum subjecto*, veritas propositionis evadit absolutè, ac simpliciter contingens, & accidentalis, sicut veritas hujus, *Deus, & creatura existunt*.

125. Neque dicas contra definitionem primam. Mortem esse accidens respectu animalis, & tamen non posse dici, quodd sive illa adfit, sive absit non corrumpatur subjectum. Quoniam, vel loqueris de morte ipsa formaliter immediatè in se ipsa; & sic non est accidens respectu animalis, sed defectus formalis, & immediatus illius, quod priùs vixerat. Vel de morte sumpta pro causa

actū

actū inducente mortem, v. g. pro nimio calore, nimio frigore &c. & neque hoc venit ad rem, quia licet ista sint accidentia physica, non sunt accidentia logica. At in præsentì solum definiuntur accidentia logica, physica verò definiuntur per illam aliam, *Ens in alio*, de qua agemus Disput. 4. Cap. de substantia: ergo ista non impugnant præsentem definitionem. Probatür ma: Nil formaliter, vel illativè oppositum cum alio, est accidens logicum respectu illius, (quia hoc vocabulo *accidens logicum*, intelligimus rem, quæ sine corruptione subjecti, idest sine ipsius defectu, aut violentia potest de illa verè affirmari, & potest de illa verè negari; Hoc autem verificari nequit de re formaliter, aut illativè opposita subjecto,) sed ista omnia actū inducentia mortem sunt formaliter, aut illativè opposita cum vivente, ut constat; ergo ista non sunt accidens illud, de quo in præsentì, sicut nec destructio unionis formæ materialis, nec cessatio à conservatione creaturæ, nec ullum aliud utrovis illo modo oppositum cum re est accidens logicum respectu rei. Sin oppositio non fuerit actualis, & efficax; sed tantum aptitudinalis, & in actu primo; potest esse accidens logicum respectu rei cui sic opponitur; & hac de causa hæc est prædicatio accidentalis: *Homo est ægrotus*. Quoniam licet ægrotudo ex se tendat in destructionem hominis, & ipsius valetudini violentiam inferat, verumtamen neque illa tendentia est adhuc efficax in actu secundo, quia non est ille ultimus gradus morbi, ob quem moritur homo, neque illa violentia adhuc fortitur effectum destruendi hominem.

126. Instabis: nimius calor, qui aquam orbet omni penitus frigore, est accidens logicum respectu aquæ, quia vera, & accidentalis est hæc prædicatio. *Aqua est nimis calida: ergo sine aquæ corruptione potest illi deesse omne frigus*: sed sine eadem potest illi adesse, ut constat, proportionatum frigus: ergo hoc potest adesse, & deesse aquæ sine hujus corruptione. Sed frigus est proprietas physica aquæ: ergo illa definitio convenit etiam proprietati physica: ergo convenit alijs ab accidente, quod erat definiendum: ergo est mala. Resp. nec insolitum, nec violentum est accipere corruptionem, destructionem, & interitum, non pro sola carentia formali, & immediata rei; sed etiam pro insigni aliqua jactura. Sic de Rege Sodomorum cum alijs dicit Scriptura: *Cecideruntque ibi*: cum tamen paucis injectis lineis addat. *Egressus est autem Rex Sodomorum in occursum ejus*. Idest Abraham. Dicitur tamen *cecidiſſe*, quia accepit ibi, insignem illam cladem, tametsi

Gen. 147

tamen mortuus non fuerit. Sic Scriptura alia de quibusdam Sacerdotibus dicit *percuferunt Ducem*, (idest Antiochum,) & *eos, qui cum eo erant*, & *diviserunt membratim* &c. cum tamen juxta Prophetiam Danielis, Antiochus hic *sine manu* conterendus esset, idest non per homines. Propter insignem verò cladem, quam accepit in eo templo, dicitur ibi percussus &c. Cum igitur quando subiectum violenter spoliatur sua naturali proprietate, v. g. aqua omni frigiditate, ingentem patitur jacturam in sua natura; inde est quoddam neque insolitum, neque violentum est dicere, verbum illud, *sine corruptione*, positum in definitione accidentis significare sine actuali defectu, & *sine ingenti violentia*, & jactura propriæ conditionis. At hoc non potest convenire naturali proprietati, seu passioni rei, quia licet aqua, v. g. non deficiat à rebus, quando omni penitus orbatur frigiditate; non est dubium, quin patitur ingentem violentiam, & jacturam conditionis suæ: ergo illa definitio non convenit proprietati physicæ, ac naturali aquæ.

127. Ex hac definitione ortum habet frequens illa locutio, videlicet, *istud se habet per accidens, seu materialiter*. Nimirum, quando sive sit verum, sive falsum, integra nihilominus subsistit substantia, & veritas rei, quæ tunc disputatur, v. g. per accidens se habet in ordine ad vitam æternam, quoddam sit servus, quoddam sit liber, quoddam sit mas, quoddam sit fœmina. Quicumque enim in Christo baptizati estis, *Christum induistis*. *Non est Judæus, neque Græcus, non est servus, neque liber, non est masculus, neque fœmina*. Nempe quia sive adsint, sive absint hæc qualitates, sive unæ, & non aliæ, sive aliæ, & non unæ, *Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu*, subjungit ibidem Paulus.

128. Accidens multifariam dividitur. Aliud namque est physicum, entitativum, & prædicamentale, ut vulgo dicitur. Nimirum quod opponitur substantiæ, & passim definitur, *Ens in alio*: cum substantia definiatur *Ens per se*. Aliud logicum, & prædicabile. Scilicet quod nuper definivimus. Hoc potest esse substantia physica, & entitativa, quoniam hæc prædicatio est accidentaliter logicæ. *Homo est armatus, est vestitus* &c. & tamen vestes, & arma, quæ sonant in obliquo, sunt substantia physice, & entitative in se ipsis, & potest quoque esse accidens physicum, & entitativum, quia hæc etiam est prædicatio accidentaliter. *Homo est albus, & niger* &c. albedo autem, & nigredo, quæ veniunt in obliquo, sunt accidentia physice, ac entitative in se. Præterea accidens logicum, sive potius

in

in sensu logico potest esse triplex. Morale, Physicum, metaphysicum (& idem cum proportione de alijs scientijs, seu facultatibus.) Accidens morale in sensu logico est illud, quod sive adsit, sive absit modò detur aliud æquivalens, perseverat essentia rei in communi existimatione. V. g. valor contractuum emptionis, conductionis, donationis, & similibus, idem est in communi existimatione, sive fiat monetis argenteis, sive non his, sed aureis, nisi specialis detur obex. Accidens physicum est illud, quod sive absit, sive adsit, integra perseverat essentia physica, & connaturalis rei status, v. g. albedo hujus chartæ.

129. Accidens metaphysicum est illud, quod cum realiter identificetur cum subjecto, & solum ratione nostra ab illo distinguuntur, tale est, ut sive affirmetur, sive negetur de illo, illius tamen perseverat apud nos integra essentia metaphysica. Tales sunt differentie individuales respectu speciei, necnon differentie specificæ respectu generum. Nam cum illæ identificentur realiter cum homine, v. g. à quo sola ratione nostra distinguuntur: & hæc similiter cum animali, v. g. Nihilominus integra perseverat mente nostra essentia metaphysica hominis, sive dicamus, *Homo est Petrus*, sive dicamus, *Homo non est Petrus*: & integra perseverat essentia metaphysica animalis, nempe vivens sensibile, sive dicamus, *Animal est rationale*, sive dicamus, *Animal non est rationale*. Cum enim species præcindat à differentijs individualibus, & genus à specificis, præcindat inquam quoad entitatem, ac distinctionem cum illis, non est cur apprehendere nequeamus totam essentiam metaphysicam speciei, aut generis, sive affirmemus, sive negemus illorum identitatem cum suis differentijs, quam identitatem novimus, non ex vi præcisè conceptus specifici, aut generici, sed ex alijs principijs: quamobrem una species hujus quinti prædicabilis, *Accidens*, coincidit cum secundo prædicabili *Differentia*, quin absurda sit hæc combinatio unorum prædicabilium cum alijs.

§. IV.

130. O Ccasionem hujus quinti Prædicabilis, *Accidens*, quod ut tale est prædicabile de multis sumptum non in abstracto, sed in concreto, solet quæri; *Quid & quotuplicia sint concreta? Quid abstracta? Quid substracta?* Concretum est aggregatum, quod-

quoddam, sive totum, sive complexum resultans ex duobus saltem, quamvis non utcumque (sicut acervus lapidum, aut sicut binarium, aut sicut hæc charta resultat ex multis punctis unitis,) sed quorum unum subeat per alterum talem, aut talem denominationem. Abstractum est res illa, seu forma, quæ denominat, Substractum est res illa, sed subjectum, quod denominatur v. g. Album est concretum quoddam resultans ex duobus unitis physicè, nempe ex subjecto, & albedine. Subjectum, quod est, ac dicitur album, est substractum. Albedo, quæ est forma, per quam immediatè formaliter res est alba, dicitur abstractum.

131. Concretum, (& similiter abstractum, & substractum,) potest esse physicum, morale, logicum, & metaphysicum, idest unaqueque ex his facultatibus diversimodè utitur illis vocibus concretum, abstractum &c. Concretum physicum est illud, quod resultat ex subjecto, & forma, seu ex substracto, & abstracto realiter invicem distinctis, & realiter existentibus v. g. album, nigrum, frigidum, & similia. Concretum morale est illud, quod resultat ex subjecto, & forma, quæ non est quid actù physicè existens; perinde tamen se habet in ordine ad denominandum subjectum, ac formæ aliæ, quarum naturæ non est adversum physicè actù existere, v. g. senex est concretum morale, cujus substractum est homo ille; abstractum, seu forma est *senectus ipsa*, quæ cum sit complexum ex multis retroactis annis, non est quid physicè, actù de præsentia existens; in ordine tamen ad denominandum hominem senem, perinde se habet, ac aliæ formæ, quarum naturæ consentaneum est actù physicè existere. Idem de concreto hoc *Maritus*: de hoc, *Religiosus*: de hoc *Futurum*: de hoc *Præteritum*. Abstracta enim formaliter immediatè constitutiva harum denominationum non semper existunt actù physicè de præsentia, per inde tamen se habent.

132. Concretum logicum est illud, quod resultat ex objecto, & una ex illis determinatè cognitionibus, quæ vocantur secundæ intentiones, v. g. Genus, Differentia, Species, &c. Quia substractum, seu subjectum, quod denominatur genus, est natura, quæ fuerit generica; Abstractum verò sive genericitas, idest forma, per quam fit genus, est cognitio, quæ vocatur secunda intentio. Concretum metaphysicum est, quod resultat ex subjecto, & forma, ex substracto, & abstracto, quæ sola ratione nostra sunt talia, & distinguuntur mutud; verè tamen in sensu reali non distinguuntur mutud, & consequenter non sunt verè substractum, aut abstractum,

v.g.

v.g. animal, & animalitas, rationale, & rationalitas. Quoniam omne animal per suam met essentiam est sua animalitas; aliàs esset indifferens, ut esset animal, vel saxum: & omne rationale per solam suam essentiam est rationale; aliàs inspectum secundum suam solam essentiam, (& quænam foret hæc?) esset indifferens, ut esset rationale, vel charta hæc: ergo omne animal est sua animalitas, & omne rationale est sua rationalitas. Item species est concretum quoddam metaphysicum ex animali v. g. instar subjecti, & rationali instar formæ. Sed hoc est, non quia ita verè sit, sed quia apprehendimus hæc per species subjecti, & formæ, sicut Angelos per speciem juvenum, tametsi aliunde sciamus, illos non esse Juvenes; quocirca in his quatuor concretorum speciebus contingit hoc: nempe quòd in metaphysico non distinguuntur substractum, & abstractum; in alijs distinguuntur.

133. Rursus concretum physicum est quadruplex. Aliud resultat ex substracto, & abstracto substantialibus, ut homo qui corpore, & anima substantialibus constat: Aliud ex substracto, & abstracto accidentalibus, ut *color præsens*; nam color qui est subjectum denominatum, & præsentia quæ est forma denominans sunt accidentia physica. Aliud ex substracto substantiali, & forma accidentali, ut *materia producta, anima cognoscens*. Aliud ex substracto accidentali, & abstracto, substantiali: ut actus vitalis, operatio libera: Id namque, quod subit hanc denominationem, est cognitio, v. g. & amor, quæ ambo sunt accidens physicum, ut potè distincta adæquatè à supposito juxta dicenda Disputatione sequenti. Id verò, à quo formaliter immediatè dominantur est principium ipsum vitale, atque liberum. Quod principium est anima, seu homo ipse.

134. Præterea concretum ex subjecto, & forma accidentali, aliud est ex forma accidentali unita, sed non recepta in subjecto, v. g. materia prima actù creata: anima rationalis actù creata; quia creatio, quæ est forma harum denominationum, unitur quidem materiæ primæ, at non recipitur in illa, quia materia non est subjectum præsuppositum ad suam creationem. Aliud ex forma accidentali omnino extrinseca, idest neque unita, neque recepta in subjecto, ut objectum extraneum visum, cognitum, amatum. Hæc namque formæ, utpotè actus vitales, manent in potentia vidente, &c. Et non sunt per unionem, aut receptionem in objectis visis, cognitis, amatis. Aliud ex forma accidentali unita, & re-

Q 9

cepta

cepta in subiecto; ut album, calidum, frigidum. Ex forma, verò accidentali recepta, sed non unita subiecto, non datur. Quia omne accidens unitur subiecto, in quo recipitur. Rursus concretum physicum, ex subiecto, & forma substantialibus est triplex. Aliud namque dicit subiectum, & formam in recto, ut homo. Aliud dicit subiectum in recto, & formam in obliquo, ut *materia prima cum anima rationali*. Nam prædicata, quæ de illa sub his terminis afficentur, aut negentur, cum illa sola identificari debent, aut ab ea distingui, v. g. esse partem compositi, non esse intellectivam, capacemvè liberi arbitrij. Aliud dicit formam in recto, & subiectum in obliquo, v. g. anima cum corpore.

135. Alij tandem, qui censent creatam subsistentiam esse formam substantialem positivam, ponunt aliam divisionem. Nimirum concretum physicum substantiale dicens subiectum, & formam in recto, sed unum ex his determinatè, alterum vagè, ut *Persona Divina*, quæ determinatè dicit hypostasim, seu personalitatem *Divinam*; vagè autem naturam, sive humanam, sive divinam, & *Homo*, qui determinatè dicit naturam humanam; vagè autem personalitatem divinam, aut humanam. Et concretum physicum substantiale dicens ambas partes in recto, & ambas determinatè, ut homo, qui in recto, ac determinatè dicit materiam primam corpoream; nec non animam spiritualem; sed cum nos dicturi simus, creatam subsistentiam non esse formam adæquatè positivam, idcirco huic distinctioni parcimus.

136. Hic & per totam Logicam invenies multas divisiones, atque explicationes terminorum. Ne mireris: nam hæc omnia sunt quasi materialia, quibus constant discursus Philosophici, & Theologici. Sunt voces illius idiomatis. Ægrè autem fabricabis discursus illos sine his materialibus, aut capies fabricatos per alium, si idioma non didiceris.

Finis Disputationis Tertie.

DISPUTATIO QUARTA. DE PRÆDICAMENTIS.

Decem sunt Classes, sive Ordines, sive Categoriæ, sive prædicamenta (omnia hæc ferè sunt idem) in quæ Philosophi, Aristotelem secuti, redigunt omnes divisiones *Entis*. Non quia hæc prædicamenta necessariò debeant esse distincta realiter inter se, (eadem quippè res spectare potest ad diversa prædicamenta, ut præsentia, quæ simul est *Ubi*, & *Relatio* sui ad rem præsentem, educatio, quæ simul est actio, & passio, &c.) Sed quia inspectiones solùm sunt diversæ. De his itaque egit Aristoteles, 5. Metaphysicorum, & sunt: *Substantia*, *Quantitas*, *Qualitas*, *Relatio*, *Actio*, *Passio*, *Quando*, *Ubi*, *Situs*, *Habitus*. In hac divisione, seu combinatione licèt non sit eximium illud divinum, quod etiam tempore Augustini ponderabant Philosophi; verùm tamen est illa idonea valdè ad formandum Ideam, & Systema verum ferè omnium, quæ disputantur in Philosophia, & Theologia. Aristoteles illa omnia adjunxit Logicæ, ut haberent logici materiam, in qua exercerent præcepta, quibus abundat Logica; cæterùm cum sint multa, mandatis cæteris ad Physicam, ubi de Actione, ac Passione; de *Quando*, seu duratione, de *Ubi*, seu præsentia; de *Situ*, seu loco; de *Qualitate*, quoad intensiorem, remissionem, &c. Hæc sola quatuor modò disputabimus, *Substantia*, *Quantitas*, *Relatio*, *Habitus*.


Lib. 2. confy. cap. 15.



- Caput I. *Quidditas substantiæ, ac suppositi. Ubi de Subsistentia; & Personalitate, an sint quid positivum.*
- Caput II. *Quid, & quotuplex sit Quantitas. Ubi de distinctione à materia prima. De individuatione. De motu sine quantitate.*
- Caput III. *Quid sint corpus, & spiritus. Ubi utriusque multiplex divisio.*
- Caput IV. *Quid, & quotuplex sit Relatio. Ubi quatuor resolvuntur quasiuncule.*
- Caput V. *An aliqua Relatio Prædicamentalis identificetur adæquatè cum fundamento, solum connotando terminum. Ubi de distinctione inter constitutum, & connotatum.*
- Caput VI. *De Relatione transcendentali Dei ad creaturas, & earum inter se.*
- Caput VII. *In quonam, sicut physicè Relatio.*
- Caput VIII. *De Habitu, Dispositione, &c.*

CAPUT PRIMUM.

Quidditas Substantiæ, & Suppositi.

1.  Onjungimus hæc duo, quia primum explicaturi sumus per secundum, & substantiæ quidditas si esset unanimiter intellecta ab omnibus, non excluderent multi Deum à prædicamento substantiæ secuti, & quidem meritò SS. Augustinum, & Thomam; sed quia ambo hi PP. loquuntur de substantia in alia acceptione, nempe de substantia prout *composita* ex genere & differentia, prout univocè conveniente multis, prout *obnoxia* novem accidentibus, *quæ ei necessariò inbærent*, ut loquitur Sanctus Augustinus, prout prædicatur de *universalibus*, & *individuis*, ut ibidem inquit, prout versatur in generibus, & speciebus. Nos autem non loquamur de substantia in hoc sensu, sed in mox dan-

S. Aug. de
cognitione
veræ vitæ
cap. 2
S. Th. 1. p.
qu. 3. art. 5

do, hac de causa, nec veritati, nec utrique S. Doctori, nec alijs, quos citat Vasquez, adversamur agentes, Deum habere locum in prædicamento substantiæ. P. Vasquez
l. 1. disp. 22
cap. 6

2. Substantia igitur definitur, *Ens per se*, cujus definitionis sensus est, *Ens, quod vel est suppositum, aut persona, vel constitutum essentiale illius*. Ne objicias explicationem dari per distinctiones, quia in præsentiarum contenti sumus definitione, ac explicatione conveniente omni, & soli definito, nec aspiramus in re valde controversa ad perfectiones illas definitionum, quas præscribunt logici, quæque non passim inveniuntur. Neque hæreas in eo, quod explicemus substantiam, & perfectam per suppositum aut personam, quæ cum solum sint nota nobis ex principiis fidei reprobantibus tum Arianos, & Macedonianos inimicos trium hypotheseon divinarum: Tum Nestorianos agentes, eum, qui natus est ex Maria Virgine, non esse personam Divinam, sed humanam: videmur explicare notum per ignotius, nempe rem naturaliter notam per rem ex sola Fide cognitam: Ne in quam hic hæreas. Quoniam licet substantia, & sua perfectitas sint magis notæ *quo ad existentiam*, quàm persona, & personalitas, seu hyposthasis; non tamen *quo ad quidditatem*, quia circa quidditatem substantiæ valde discrepant Authores, ut constat ex diversitate opinionum hac super re: unde natum est, quod unis Auctoribus indubitatum sit Deum esse substantiam; Augustino verd supra citato manifestum fuerit oppositum, ait enim, *sed quod ex his* (nempe Prædicamentis,) *nullum propriè Deo conveniat, manifesta ratio probat; Nam si dixerimus, quod Deus substantia sit, &c.* Et quamvis Sanctus Thomas eandem negativam conclusionem amplectatur, ex alijs argumentatur formalitatibus substantiæ nuper insinuatæ. Est ergo nota existentia perfectitatis, & substantiæ, sed ignota, ac valde dubia *quidditas*. Non ita quidditas suppositi, aut personæ. Nam ferè omnes Doctores conveniunt in definitione postea danda. At in præsentiarum non conferimus, nec probamus *existentiam* substantiæ per *existentiam* personæ: sed quidditatem illius per quidditatem hujus: ergo non explicamus, aut probamus notum, per ignotum.

3. Ut autem sensum illius definitionis, *Ens per se* (non dicimus definitionem illius definitionis, quia aggredi nolumus processum in infinitum) capias. Adverte, Personam juxta Boëtium, quem communiter sequuntur Doctores, immeritò contradicente Grammatico

matico quodam, esse *Rationalis naturæ individuum substantiam*. Cumque individuum sit indivisum in se, & divisum ab alio, seu distinctum in se, & distinctum ab alio, ut suo loco diximus: idcirco, atque vitandi causa verbum illud *substantia*, quod nunc explicamus, ne videamur explicare idem per idem, retento tamen hujus definitionis sensu, sic definitur persona. *Rationalis naturæ incommunicabilis existentia*. Nimirum res illa rationalis, quæ neque est physice unita alteri, eo unionis genere, quo ununtur corpus & anima, neque ex natura sua est ordinata ad talem unionem, seu communicationem. Hæc incommunicatio, seu incommunicabilitas potest esse quid positivum, ut contingit in divinis, ubi hypostasis, personalitates, seu subsistentiæ sunt quid positivum. Vel quid negativum, ut graves Doctores censent contingere in creatis. Si primum: quoddam res habens eam incommunicabilitatem, actu communicetur contingenter, non tollit, quoddam sit persona, quippe verbum Divinum est Persona, tametsi actu uniatur humanitati. Si secundum; tollit, quoddam res illa sit persona. Quia humanitas Christi, nec est suppositum, nec persona, quamvis *homo, Christus* persona sit.

4. Hinc 1. cum solus Deus, Angeli, & homines natura fungantur rationali, hi soli sunt personæ. Cætera omnia, quæ de facto existunt, quæro: sunt aut composita substantialia, v.g. equus, arbor, hæc charta; aut sunt partes essentielles horum; aut neutrum? Si primum; sunt suppositum, quod definitur *completæ, ac integræ naturæ incommunicabilis existentia*. (Unde patet, quoddam suppositum latius patet, quam Persona, & est genus, cujus una species est persona, & divisio sic facienda. Suppositum aliud est Persona, aliud non est Persona. Suppositum Persona est *rationalis naturæ &c.* Suppositum non Persona est *irrationalis Naturæ incommunicabilis &c.* Si secundum; nullum ex illis est suppositum, aut Persona, sed pars alterutrius. Si tertium; sunt adæquatè distincta à supposito, & idè sunt accidentia. Ut calor, cognitio, & sanctitas &c.

5. Hinc 2. Tametsi multa substantialia composita suapte natura sint ordinata ad unionem cum accidentibus, v.g. ignis suapte natura unitur calori; sol fulguri; materia quantitati, & similia: non idè cadunt à conceptu substantiæ, aut suppositi, aut personæ. Quia non ordinantur ad eas uniones, tanquam ad constitutivas naturæ integræ, ac completæ, sed tanquam ad superadditas perfectiones: tam integra namque, & completa foret natura ignis, & natura solis supernè privata calore, ac luce; quàm utrolibet orna-

tæ,

tæ, & solum contingeret, quoddam in primo casu violentiam paterentur, secus in secundo. Corpus autem, & anima, materia, & forma suapte natura ordinantur ad reciprocam unionem, quæ est constitutiva naturæ integræ, ac completæ, ut suo loco dicitur, & hæc de causa, nec sunt suppositum, nec persona, sed alterutrius partes: quo circa preces illæ Christianæ, *S. Petre ora pro nobis, S. Paule &c.* non intelligendæ sunt quasi alloqueremur illas personas; quia multis ab hinc sæculis non sunt in rebus tales homines, aut tales personæ, sed alloquimur beatas illas animas, quibus per figuratam locutionem tribuimus idem nomen, quod olim habuerunt illæ personæ, seu illi homines, cujus erant constitutivæ, & qui jam non sunt. Tertio. Natura divina verè est substantia, & consequenter verè est in Prædicamentis, quam vis non in acceptione illa, quam meritò repellit Augustinus, neque instar generis, speciei, aut individui logici, cujus est habere æquale; sed instar individui physici, cujus dumtaxat est *esse indivisum in se, & divisum ab alio*, habeat necne æquale. Etenim, aut loquimur de natura divina in concreto, *Deus*; & sic certè est persona: vel in abstracto *Deitas*; & sic est intimum, & penitus essentialiter constitutum Personæ Patris, Personæ filij, & Personæ Spiritus Sancti: ergo utrovis modo consideretur est Persona, aut pars non utique physica, sed metaphysica Personæ: ergo utrovis modo est substantia.

6. Probatur jam tandem rectitudo illius definitionis in sensu, ibi adjuncto. Omnis definitio, quæ convenit omni, & soli definito est recta quantum sufficit, quandiu alia non occurrit melior; sed ea definitio, *Ens per se*, prout ibi explicata, idèst, *Ens, quod vel est suppositum, vel essentialiter constitutum ipsius*, convenit omni, & soli substantiæ. *Omnis* quidem; quia omnis substantia vel est completa, (& sic erit suppositum Persona, si fuerit rationalis, aut suppositum non Persona, si fuerit rationis expertis,) vel est incompleta, & sic vel est materia, vel forma, vel unio utriusque, vel integra natura assumpta per aliam Personam, ut assumpta est per Verbum natura humana Christi Domini: & omnia hæc sunt constitutiva essentialia suppositi; Humanitas quippè Christi Domini licet non constituat personam Verbi specificativè, ac secundum se præcisè inspecti, constituit personam Verbi ut incarnati, idèst constituit hoc totum *Christus Jesus*, quod totum est Persona Divina per Verbi personalitatem. Materia autem, forma, unio constituunt essentialiter ens naturale, quod vel est persona, vel solum

suppo-

suppositum: ergo ea definitio juxta illum sensum convenit omni substantiæ. Deinde *Soli*: quoniam nil distinctum à substantia est suppositum, aut pars essentialis suppositi. Prob. Nullum accidens entitativum est suppositum, aut pars essentialis suppositi, licet enim vestes, arma, & similia sint accidentia logica, quia contingenter prædicantur de subjectis; at non sunt accidentia entitativa, & physica, sed substantiæ, unde sunt suppositum. Sed omne possibile positivum distinctum à substantia est accidens entitativum, quia non datur medium: ergo nullum possibile distinctum à substantia est suppositum, aut pars essentialis suppositi.

3. p. 9. 77. art. 1. ad 2. Contra Gen. c. 25. 7. Objicies S. Thomam agentem, substantiam non esse ens per se, sed naturam, cui debetur ens per se. Confirmatur. Idem S. Doctor inquit substantiam non constituere speciem entis: eo quod substantia dicat negationem dependentiæ; negatio autem non facit entis speciem. Ad 1. responderemus, ibi loqui S. Doctorem de ente, prout coincidente cum existente: quamobrem dicere, substantiam non esse, ens est dicere, substantiam non definiri per existens, quod fatemur: cum non sit de conceptu omnis substantiæ actu existere; sed aptitudo, sive capacitas existendi, & hanc solam aptitudinem intelligimus in definitione data. Ad 2. respondetur, substantiam secundum istud negativum inspectam, non constituere speciem entis. At absolutè, & secundum positivum considerata, nempe prout est natura completa, aut pars hujus, constituit speciem.

8. Ex his demum habes definitionem Accidentis physici, ac entitativi, quæ definitio est correlativè opposita definitioni Substantiæ. Sicut enim hæc definitur *ens per se*; ita Accidentis definitur *ens in alio*, non quomodolibet, nam etiam forma substantialis materialis est in alio, nimirum in materia; sed *in alio*, quatenus cum sit ens, verumtamen nec est suppositum, nec constitutum suppositi, sed est ex illis, quæ integritati suppositi adjunguntur in bonum, vel in malum positivum, aut negativum. Hujusmodi sunt omnia accidentia materialia, spiritualia, naturalia, supernaturalia &c. quorum existentiam probabimus suo loco.

§. II.

9. **D**Uæ hic occurrunt non leves quæstiones 1. an à Substantia, & Accidente; imò an à Deo, & creaturis abstrahibilis sit aliquis conceptus communis, in quo univocè conveniant? Quod aliis

aliis terminis solet proponi sic. An hic conceptus *Ens* sit communis, & univocus Deo, & creaturis, substantiæ, & accidenti? Ubi equivocatio cavenda est, quam aliqui patiuntur hic. Cum enim audiant quæstionem propositam his terminis, Deus, creatura, & illicè detegatur tanta distantia inter objectum unius, & objectum alterius nequeunt apprehendere, quomodo Deus, & creatura, substantia, & accidens, retinendo hos terminos, possint univocari; sed neque nos id dicimus, aut apprehendimus. Igitur quemadmodum passim his terminis *Homo*, *Canis*, dicimus, hæc duo posse univocari, tamen si eis terminis appareat etiam discrimen magnum inter hæc duo animalia (quæ apparentia inæqualitatis etiam obstat univocationi, quia hæc poscit, quodd nulla appareat distinctio inter illa, quæ univocari dicuntur.) Nempe quia eis terminis dicimus posse univocari; non autem posse univocari sub eis terminis, sed sub hoc *Animal*. Ita his terminis *Deus*, *Creatura*, *Substantia*, *Accidens*, dicimus hæc omnia posse univocari: at non dicimus posse univocari sub his terminis. Frequenter itaque morendi sunt contrarii inter disputandum, super hac appellationum diversitate, quam ut explicemus.

10. Sit Conclusio. Deus, & creatura, substantia, & accidens in nulla ratione possunt convenire univocè univocatione physica. Neque univocatione logica sub ullo ex dictis quatuor terminis, sive conceptibus. At conveniunt univocè univocatione logica sub hoc puro, & præciso conceptu *Ens*, quo circa abstrahibilis est ab illis omnibus aliqua ratio communis, & univoca univocatione tantum logica, & apparente. Probatur prima pars. Duo convenire univocè univocatione physica stat, juxta veritatem, in eo, quodd ex parte rerum verè coram Deo sint æqualia, & profus similia quoad entitativam perfectionem; Physici enim agunt de rebus, prout sunt ex sua natura coram Deo; Logici autem parum id curantes agunt de rebus, prout *apparentibus* per tales, aut tales cognitiones: ergo quæcumque repugnant esse æqualia, & sic similia ex parte rerum coram Deo, repugnant convenire univocè inter se univocatione physica. At Deus, & creatura, substantia, & accidens repugnant esse invicem æqualia, & sic similia ex parte rerum, ut constat: ergo repugnant convenire univocè univocatione physica.

11. Hinc 1. Hæc univocationis species solum potest certè dari inter individua ejusdem speciei, quia hæc sola certè habent eandem essentiam metaphysicam, idest definiuntur eadem definitione. Unde

homo, & canis non habent hanc univocationem. 2. Cùm pleraque argumenta contra univocationem Dei, & creaturæ alludant directè, aut indirectè ad hanc summam inæqualitatem, ac dissimilitudinem inter ea duo, idcirco solum probant, quòd ultro fateamur, scilicet ista quatuor non posse convenire univocè univocatione physica, & sic solvenda sunt; & sic explicandus Anselmus negans, Deum cum aliis convenire in natura. Item S. Thomas, & demum PP. illi, quorum verba contra hanc univocationem, seu convenientiam Dei cum creaturis profert Vasquez. Nempè curant PP. realitates, non apparentias; unde solum negant univocationem physicam: non verò logicam.

12. Probatur secunda pars videlicet, nec convenire univocè univocatione logica sub ullo ex illis quatuor conceptibus. Aliqua convenire sic sub conceptu *A*. v. g. stat in illis duobus, uno positivo, & altero negativo, quæ toties diximus disp. 2. Nimirum, quòd ille conceptus exprimat rationem, naturam, seu prædicatum verè conveniens illis, & quòd non exprimat eorundem multipliciter: ergo quoties conceptus *A*. non habet hæc duo respectu Dei, & creaturæ; substantiæ, & accidentis, non est univocus univocatione logica respectu illorum. At neque ille conceptus, siue terminus *Deus*, neque ille *Creatura*, neque ille *Substantia*, neque ille *Accidens* habet illa duo, ut consideranti patebit: quandoquidem est certum, quòd ille conceptus *Deus*, v. g. non exprimit rationem verè convenientem creaturæ, nam licèt attingat rationem Entis, quæ etiam affirmatur verè de creatura; verumtamen quòd exprimit, seu expressè immediatè, ac directè attingit est sola Deitas, quæ utique non convenit creaturæ: ergo sub nullo ex eis quatuor conceptibus conveniunt univocè univocatione logica illa quatuor objecta. Neque sub illis quatuor simul: quoniam licèt omnes quatuor expriment respectivè rationem verè convenientem respectivè illis quatuor: at deficit univocatio logica ex alia parte scilicet, quia sub illis quatuor conceptibus apparet expressè multipliciter illarum quatuor rerum: ergo.

13. Probatur tertia pars, quæ est primaria. Nempè Deum, & creaturam; substantiam, & accidens convenire univocè univocatione logica sub illo determinato, & peculiari conceptu *Ens*. Omnis conceptus exprimens rationem, seu prædicatum verè, ac simpliciter conveniens absolutè physicè Deo, & creaturis, substantiæ, & accidentibus (quidquid sit de moralibus considerationibus) & neutiquam

tiquam exprimens eorundem diversitatem, quæ verè à parte rei datur, est conceptus logicè univocus respectu illorum, & cùm ex alia parte illæ differant inter se specie, est conceptus genericus respectu illorum: Nam ut sæpè inculcavimus in eis solis duobus stat tota quidditas, & realitas conceptus logicè univoci; siquidem eo ipso illa, ut subjacentia illi conceptui sunt definiabilia per eandem definitionem, non utique absolutè; sed ut subjacentia illi conceptui, & quid aliud est univocatio logica sub conceptu *A* determinatè, ut contraposta univocationi alij? At ille determinatus conceptus *Ens* habet illa duo, quoniam exprimit entitatem, siue aptitudinem ad existendum, quæ verè physicè competit creaturis, quamvis tota ipsarum entitas comparata cum Deo, sit quasi *momentum statera*, & quasi *gutta voris antelucani*, ut loquitur Scriptura. Deinde ex vi præcisè hujus conceptus, *Ens*, nequimus discernere, an sit ens divinum, an ens creatum, an ens per se, an ens in alio: ergo ille conceptus est logicè univocus, & genericus respectu illorum quatuor. Explicatur. Univocationi logicæ æquè officit parvum, ac magnum discrimen inter univocata: quoniam stat in eo, quòd nulla penitus appareat multipliciter: & huic universali negationi æquè contradicitur per parvum, ac per magnum discrimen, cùm ambo importent multipliciter, & tamen quamvis inter animal rationale, & lumbricum detur non modicum discrimen in perfectione animalitatis, quia hoc discrimen non apparet ex vi præcisè hujus conceptus *Animal*, idèd homo, & lumbricus conveniunt univocè logicè sub hoc conceptu, quamvis, nec conveniant univocè physicè, imò neque logicè sub conceptibus alijs. Idem in præsentiarum. Magnum discrimen datur inter substantiam, & accidens. Infinitum inter Deum, & creaturam; verumtamen ex vi præcisè hujus abstractissimi conceptus *Ens* assequi nequimus illa discrimina: ergo quamvis illa non possint convenire univocè physicè, imò neque logicè sub alijs conceptibus, possunt tamen sub hoc, *ens*.

14. Objic. 1. Argumentum sumptum ex transcendentia entis, juxta quam ens formaliter ut tale invenitur in multis; unde formaliter ut tale videtur multiplex; unde formaliter ut tale non est univocum. Solvimus hunc nodum Disput. 1. agentes de transcendentia entis.

15. Objic. 2. Juxta morem Scripturæ negatur uni, quòd in comparatione alterius est longe minus, v. g. *Non addam ultra misereri* Op. 1.

Malach. 1. domus Israel: cum tamen paulò post addat idem Propheta congregantur filij Juda, & filij Israel pariter &c. Nempe quia uberior longè futura erat misericordia divina erga unos, quam erga alios. Item *Exech. 16.* Dilexi Jacob, Esau autem odio habui, nempe in comparatione alterius. Item *justificasti Sorores tuas in omnibus abominationibus tuis.* Nempe Sodoma, & Gomorra fuerunt Justæ, ac Sanctæ in comparatione tui, & alibi passim: at tota entitas creaturarum est infinite minor entitate Divina: ergo in comparatione Dei nullam entitatem habent creaturæ: ergo non possunt univocari cum Deo in ratione entis, seu entitatis. Hoc distingo. Non possunt univocari univocatione physica; concedo: Univocatione logica subdistinguo: sub alijs conceptibus; permitto: sub hoc determinato *Ens*; nego: quia sicut non obstante Textu Ezechielis Sodoma, & Gomorra verè, ac simpliciter fuerunt sceleratissimæ Civitates: & non obstante Textu Malachicæ Deus dilexit Esau, quia *nil odisti eorum, quæ fecisti.* Ita non obstante infinito excessu, quo superat Deus hanc chartam, hæc charta verè, & simpliciter existit, verè sine metaphoris apta est ad existendum: ergo ille conceptus *Ens* exprimit rationem verè, & simpliciter convenientem huic chartæ, & non sicut convenit homini picto, ratio significata per hunc conceptum *Homo*: ex alia parte per illum conceptum non apparet discrimen infinitum, quod datur inter Deum, & hanc chartam: ergo per illum conceptum, & illo solo inspecto, univocantur logicè Deus, & hæc charta. Prætereo scripturas non loqui scholastico rigore, sed juxta morem usitatum vulgò inter homines, cum quibus Deus ibi loquitur. In scholis verò disputatur in rigore scholastico, & non juxta sensus, & considerationes morales. Est autem vastissimum discrimen inter unum, & alium loquendi modum.

§. III.

16. **S**ecunda Quæstio: quid est ex parte rerum illa perfectas, illud per se, quod sonat in definitione substantiæ. Item, cum hanc explicuerimus per suppositum, seu personam, quid est à parte rei suppositivitas, sive personalitas, sive hypostasis, sive substantia, quæ omnia verba idem significant? hoc explicato, explicabitur simul illud per se, sive illa perfectas, quia hæc sum.

pta

pta in actu secundo, secus in actu primo, ut jam dicemus, nil aliud est quam substantia. Famosa est æquè, ac probabilis sententia Scoti agentis, substantiam creatam consistere in negativo, hoc est in carentia unionis actualis, & aptitudinalis, cum alio supposito adæquatè, seu inadæquatè sumpto, quamobrem naturam aliquam esse per se, habere perfectatè adæquatam, esse suppositum, aut personam, (prout fuerit rationalis, aut irrationalis natura,) esse substantiam, nil aliud est ex parte rerum, ac terminorum pulverè discussio, quam, naturam illam tali fungi integritate, atque completionè, ut neque uniat, neque apta sit uniri unionè actus, & potentiæ (uniones quippè continuativæ, ac integrales passim dantur inter substantias substantialiter completas ex vi nutritionis, &c.) alij supposito, idest alij naturæ fruenti simili integritate, ac completionè: esse autem substantiam inadæquatam, seu partialem esse constitutum essentialè illius, quod nec unitur, nec natum est uniri cum alio supposito, tametsi substantia illa inadæquata naturaliter exigit unionem cum altera comparte, ut verè exigit, quia hoc differt substantia inadæquata, & incompleta ab adæquata, & completa.

17. Igitur hoc ipso, quod *A. & B.* ita sint constituta ut neutrum uniat, aut exigit uniri alij supposito, sunt substantiæ, & sunt supposita, & sunt per se: licet enim multoties suapte natura exigant unionem cum aliquibus accidentibus, ut supra notavimus, illa accidentia, nec sunt suppositum, nec constitutum suppositi: ergo exigere unionem cum illis, non est exigere unionem cum supposito adæquato, aut inadæquato. Antecedens constat ex doctrina data initio hujus capituli. Accidentia nec sunt, nec constituunt essentialiter id, quod nec unitur, nec aptum est uniri alij supposito, quoniam accidentia omnia suapte natura habent uniri, vel supposito, vel suppositi constitutivo: ergo nec sunt suppositum, nec constitutum suppositi; sed res adjacentes supposito, aut constitutivis ejusdem: sicut chartæ adjacentes albedo, homini adjacentes suæ cogitationes, desideria, &c.

18. Hæc explicatio perfectatis, seu substantiæ, seu personalitatis creatæ infert duo; Primò, suppositum, seu Personam importare aliquid, sive positivum, sive negativum ultra naturam, & consequenter substantiam esse conceptum positivum, aut negativum distinctum à substantia. In primis hoc constat ex principijs Fidei: quoniam in Concilio 4. Generali scilicet Calcedonensi fuit definitum contra Eutychetem prius damnatum Constantino-

poli

poli per Sanctum Martyrem Flavianum, in Christo Domino esse naturam humanam, juxta mirabilem illam epistolam Sancti Leonis Papæ ibi lectam, & reverenter admittam: ex alia parte in Concilio 3. nimirum Ephesino admittente illos duodecim Anathematismos Sancti Cyrilli Alexandrini fuit definitum contra Nestorium, Christum Dominum non esse personam humanam, sed divinam, & severissimum anathema fuit promulgatum contra admittentem in Christo duas personas: ergo persona, suppositum, seu substantia humana aliquid, sive positivum, sive negativum dicit ultra naturam humanam: alias ubicumque fuisset natura humana, fuisset persona; sive substantia humana. Ratio autem hujus dogmatis est plana in sententia Scoti. Persona humana stat in eo, quod natura humana, nec actu uniat, nec apta sit uniri alij supposito: ergo quoties defecerit unum ex his duobus, deficit persona humana, sive personalitas, sive substantia. At licet in sacra illa humanitate perseveret unum scilicet non esse naturaliter aptam uniri supposito Verbi divini, deficit alterum nempe non esse actu unitam, siquidem de facto est unita: ergo in ea deficit substantia, seu personalitas humana: ergo illa non est suppositum, aut persona humana: unde subsistit dogma, quod Verbum assumpsit naturam, non substantiam humanam: assumpsit namque naturam, & unam partem substantiæ, videlicet *incapacitatem naturalem unionis cum ipso Verbo*, sed non alteram partem, scilicet *carentiam actualem actualis unionis cum Verbo*, quin imò exclusit hanc carentiam.

19. Alterum est. In ea sua sancta humanitate perseverare quidditatem, & perfectitatem substantiæ humanæ. Etenim aliud est perfectitas *in actu primo*, aliud perfectitas *in actu secundo*, illa stat in eo, quod res talis sit, ut neque ex natura sua actu uniat, neque actu sit apta, ut uniat alij supposito. Hæc perfectitas est, quæ est de quidditate, ac essentia substantiæ, quia verba in definitionibus non significant actum, sed potentiam: Unde quando definimus hominem per animal rationale, non significamus quidditatem hominis stare in eo, quod sit rationalis in actu secundo, imò neque in actu primo remoto radicali. In hoc sensu definitur substantia per *Perfectitatem*: nimirum substantia est illud, quod suapte naturâ nec habet unionem dictam, nec naturalem aptitudinem ad illam unionem, & sic differt ab accidente, quod suapte natura est in alio, quatenus suapte natura exigit unionem cum supposito, vel parte suppositi: Hæc perfectitas est in Humanitate Christi Domini,

ni, quia licet actu uniat Verbo; ex sua tamen natura non habet hæc unionem, nec capacitatem naturalem ad illam; & demum hæc perfectitas non coincidit cum substantia, personalitate, supposito, aut persona, quia hæc voces significant actum ipsum secundum, nisi dicere audeas, Christum Dominum esse personam humanam in actu primo. Perfectitas in actu secundo stat in eo, quod res actu absolutè, neque ex natura sua, neque aliunde actu uniat alij supposito, nec apta sit proximè quæ uniat. Hæc perfectitatis species non est de essentia substantiæ, sicut nec rationalitas actualis est de essentia hominis, & hæc perfectitas est, quam dicimus, & initio hujus capituli dicebamus coincidere cum substantia, sive personalitate, & hæc perfectitas non fuit in sacra illa humanitate, quandoquidem actu absolutè fuit unita cœlitus alij supposito, nempe Verbo, siquidem stat *Verbum caro factum est*. In quæstione igitur utrinque satis probabili, vero similiter videtur sententia Scoti redacta ad mox dandum sensum, tum quia simpliciter explicat difficultates oriundas ex principiis Fidei; tum quia liberat nos ab innumeris alijs quæstionculis reflexis, quæ resultant ex eo, quod substantia creata sit forma positiva, v. g. An sit forma modalis. An unicuique parti compositi substantialis respondeat sua particula substantiæ. An unum individuum possit subsistere per substantiam alterius. An possit habere geminam substantiam. An possit spoliari omni substantia, & similibus, quæ in sententia Scoti laborant falsa suppositione, vel huic vitio proxima sunt. Tum demum quia validiora habet pro se, quam contra se argumenta.

§. IV.

20. **E**sto conclusio: Personalitates, sive hypostases, sive substantiæ divinæ sunt quid positivum. Substantiæ verò creatarum, & consequenter perfectitates in actu secundo substantiarum creatarum, sunt partim quid positivum, partim negativum, sive substantiæ illæ sint Angelicæ, sive humanæ, sive irracionales, sive viventes, sive non viventes, &c. Unde suppositum, sive Persona Divina importat aliquid positivum supra naturam; suppositum verò creatum nil positivum dicit supra naturam. Prima pars cum sit theologica, non oportet probare illam per otium, sufficit probationem insinuare. Omne, quod verè physicè producit, vel produci-

tur, est quid positivum, sed omnes Divinæ Personalitates verè physicè producunt, aut producuntur respectivè. Probat. Pater verè physicè producit filium. *Dominus dixit ad me Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Item *in splendoribus Sanctorum ex utero ante Luciferum genui te*: & consequenter filius verè, ac physicè producitur à Patre. Rursus Pater, & Filius tanquam *unicum principium, & unica spiratione* producit Spiritum Sanctum, juxta sessionem ultimam Florentinam. Tunc sic. Hæ productiones activæ, ac passivæ, vel verificantur immediatè, ac directè de sola natura divina (& hoc est falsum, quoniam juxta Concilium Magnum Lateranense, essentia, seu natura divina non est *generans, neque genita, neque procedens*) vel verificantur de ipsis personalitatibus divinis, sive hypostasibus, sive subsistentijs: & sic habebimus illa verè physicè producere, ac produci respectivè. Verè inquam *physicè*, quia cum non habeamus in doctrina Fidei aliud fundamentum distinctionis divinarum personarum, nisi productiones activas, & passivas; si hæ non sunt verè tales, ac physicè, sequetur, quòd in Scripturis non habebimus fundamentum distinctionis physicæ, ac realis inter divinas personas, & consequenter quòd in scripturis non habemus fundamentum ad refutandum Sabellianos agentes Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum non esse tres Personas distinctas, sed unam solam habentem hæc tria nomina, juxta diversas functiones, quas exercuit: modò hoc sufficit.

Florent.
sess. ult.

Lateran.
Innoc. 3.
cap. 2.

21. Cæterùm cum hæc ratio non urgeat pro subsistentijs, ac personalitatibus creatis, quia non constat has physicè producere, aut produci, juxta ea, quæ dicimus in Prodro-mo inter exponendum actiones esse suppositorum: idcirco est disparitas inter divinas, & creatas: & de his proferimus secundam partem conclusionis: scilicet illas esse partim quid positivum, partim quid negativum; quocirca ratio suppositi communis, & in genere est. *Quod ita existit, ut neque uniatur, neque suapte natura sit capax ut uniatur alij, tanquam potentia, aut actui subjecto, aut formæ.* Hoc autem in divinis contingit ratione positivæ perfectionis, nimirum divinarum hypostaseon; In creatis verò ratione partim positiva, partim negativa, quod sic probatur. Naturam creatam esse actum in se subsistentem subsistentia propria, & consequenter esse personam, si sit natura rationalis, aut esse merum suppositum, si sit natura irrationalis, stat ex parte rerum præcisè in eo, quòd neque sit unita alij substantiæ unione materiæ, ac formæ, seu universalis unione actus, &

po-

potentiæ; neque ex natura sua sit apta nata, ut illi uniatur. At illud primum est quid merè negativum; hoc secundum est quid positivum, tametsi explicetur verbis negativis. Probat. Quemadmodum impenetrabilitas explicatur hoc verbo negativo, & est à parte rei quid positivum, nimirum essentia ipsa quantitatis: & irrationalitas explicatur hoc verbo negativo; & tamen est quid positivum, nimirum essentia ipsa brutorum: & impeccabilitas divina, explicatur verbo negativo; & tamen est quid positivum, nimirum ipsa divina essentia.

22. Ità naturalis ineptitudo, seu incapacitas, ut hæc charta, v. g. uniatur alteri substantialiter (non quidem unione *continua-tiva*, quia hac passim uniuntur unæ substantiæ alijs substantijs, v. g. partes hujus chartæ, ligni &c. non item unione *integrali*, quia sic substantia brachij, v. g. unitur substantiæ humeri, & per nutritionem unit sibi homo novas, & novas partes substantiæ alimenti; sed unione potentia, ac actus, materiæ, ac formæ) naturalis inquam incapacitas hujus unionis nil aliud est, quàm essentia ipsa, & natura completa hujus chartæ: sicut naturalis incapacitas ignis ad producendam nivem, & nivis ad producendum ignem nil est aliud, quàm utriusque essentia, & natura: ergo naturam creatam esse actum in se subsistentem subsistentiâ propria, & consequenter esse personam, aut merum suppositum, solum dicit conceptum partim positivum, nimirum ipsam naturam, & partim negativum, nimirum dictæ unionis carentiam: sed quod dicit ultra naturam est subsistentia, suppositalitas, aut personalitas: ergo hæc sunt conceptus partim positivus, partim negativus.

23. Probat major hujus discursus. Tum quia sic explicato conceptu subsistenti actum in se subsistentia propria; simplicius explicatur, quomodo humanitas Christi unita Verbo non careat ulla perfectione positiva naturæ humanæ, & consequenter quomodo sit profus similis nobis in perfectionibus positivis naturæ humanæ, juxta Paulum scribentem, *debit per omnia fratribus similari.* Item, *in similitudinem hominum factus, & habitu inventus, ut homo.* Egrè autem salvantur hæc, si caruit perfectione positiva intrinseca naturæ nostræ, tametsi loco illius habuerit aliam meliorem: quemadmodum egrè salvarentur, si non habuisset corpus terreum, sicut nostrum, etiam si habuisset aliud ex nobiliore materia. In nostra verò sententia salvantur, quia cum subsistentia propria humana non sit perfectio adæquatè positiva; idcirco licet caruerit ea parte, quæ est

Ad Heb. 2.
Ad Phi-
lip. 2.

non esse actū unitam unione potentia, ac actus alii supposito, non caruit ulla perfectione positiva naturæ humanæ: ergo per omnia similis fuit fratribus, idest nobis aliis hominibus, quoad perfectiones positivas nostræ naturæ. Tum quia non debent multiplicari perfectiones positivæ absque necessitate: sed, ut constabit solutione argumentorum, non est necessitas ponendi substantiam creatam, quæ sit perfectio adæquatè positiva: ergo &c.

24. Probatur illa major à priori. Quoties natura creata est in rebus, & neque actu, neque aptitudine est in alio, est actu in se, & stat actu per se: & consequenter subsistit substantia propria: quia non videtur dari medium inter non esse in alio, & esse in se, nisi quod natura, de qua fuerit sermo, non sit in rebus: & quia eo ipso potest substare accidentibus, recipere, ac sustentare illa quorum fuerit capax: at quoties existit, & neque est unita alii substantiæ unione materiæ, ac formæ, seu in genere, unione potentia & actus: neque ex sua natura est apta nata, ut illi sic uniatur (ut est anima rationalis separata à corpore, essetque materia prima, si orbaretur omni forma) contingit, quod natura illa existit in rebus, & neque actu, neque aptitudine est in alio, ut constat: ergo quoties neque actu, neque aptitudine habeat illam unionem, est actu in se, & stat per se, & subsistit substantia propria, & existit modo connaturali ex hac parte, & potest substare accidentibus, quorum fuerit capax.

25. Dicere autem, naturam in hoc casu subsistere, atque stare per se purè negativè, quatenus non est in alio; secus positivè, quia ipsi deest complementum substantiale positivum; videtur petitio principii: quoniam de isto positivo est quæstio, & est quod dicimus non esse necessarium: ergo nil refert, quod natura in casu dicto non subsistat, neque stet per se positivè in isto sensu: Præterea ista distinctione conceditur, quod intendimus: nimirum naturam esse in se, & stare, ac subsistere negativè: non enim agnoscimus aliam actualem perfectiorem, & substantiam in se, quàm istam partim negativam, partim positivam, videlicet quod natura, de qua fit sermo, talis sit, ut neque uniatur, neque apta sit uniri alii substantiæ unione dicta: Dicere rursus, naturam divinam præcisam à personalitatibus non esse suppositum, aut personam: & tamen non habere unionem actualem, aut aptitudinalem, est dicere equivocum: quoniam, quidquid sit de nostris præcisionibus, quas minimè curamus inter disputandum realitates, natura divina est verè, ac

rea-

realiter unita per identitatem tribus personalitatibus, etiam quando mentaliter illam præcindimus: ergo verè, & realiter, in sensu autem materiali, atque identico est persona, tametsi nobis non appareat esse talis, quando imperfectè illam cognoscimus præcisionibus nostris, & quamvis, attento solo conceptu, naturæ non sit Persona.

26. Respondebis, hunc discursum parem quidem esse probando naturam illam esse completam, quandoquidem non eget unione sui cum alia substantia tanquam cum actu, vel potentia: Imparem verò esse probando illam naturam esse suppositum, aut personam, aut actu subsistentem: Humanitas enim Christi Domini est natura creata integra, & completa, & tamen non est persona creata. Contra. Discursus nuper factus probat, illam naturam esse completam, sed hoc ipso, quod sit completa, & non sit actu unita alii substantiæ tanquam actui perficienti ipsam, aut tanquam materiæ, cui innitatur, subsistit in se, & est per se, & est suppositum, vel persona juxta ibi dicta: ergo implicat in terminis inquiring, discursum eum probare unum, & non probare alterum. Fatemur, propter istud exemplum posse naturam esse completam in ratione entis naturalis, quin fruatur propria substantia: sed hoc idè fatemur, quia non sumus argumentati ex eo præcisè, quod natura illa non sit apta nata ad istam unionem; sed ex hoc, & insuper ex eo, quod illam non habeat actu miraculosè per Deum. At licèt sacrosancta illa Humanitas non habeat illam unionem aptitudinis naturalis, habet tamen illam actu absolutè ratione aptitudinis obediæntialis, & miraculi, quod Deus patravit in illa: ergo subsistit discursus datus. Quamobrem non dicimus, quod natura creata est suppositum, aut persona eo præcisè, quod sit completa; sed eo præcisè, quod sit completa, & non sit actu unita illa unionis specie alii substantiæ.

§. V.

27. **O**bjicies primò. Suppositum constituitur per carentiam unionis actualis cum alia substantia tanquam cum actu, vel potentia; sed illæ substantiæ, per quas perfici potest hæc charta, aut quæ per illam perfici possunt, sunt infinitæ: ergo suppositum, hæc charta, constituitur per carentiam unionis cum infinitis alijs sub-

stantijs. At neque unio hæc est aliqua individua, sed tot sunt hæ uniones, quot sunt illæ substantiæ possibiles: neque illa carentia est una individua, sed sunt tot carentiæ unionum, quot sunt uniones ipsæ: ergo suppositum, *hæc charta*, constituitur per infinitas carentias infinitarum unionum hujus chartæ cum infinitis substantijs possibilibus; unde subinfertur, quamvis personam humanam constitui per infinitas carentias, & rursus nullam personam humanam distingui adæquatè ab alia persona humana, imò neque ab Angelica, imò neque suppositum irrationale distingui adæquatè à supposito humano, vel Angelico; Unde persona Judæ non distinguitur adæquatè à persona Deiparæ, & persona Luciferi non distinguitur adæquatè à persona Sancti Michaelis: quia cum omnes personæ creatæ constituantur per omnes carentias omnium unionum cum alijs substantijs, omnes personæ creatæ, ut tales personæ constituentur per multa constitutiva, quæ sint profus eadem: ergo sicut duo composita substantialia habentia eandem materiam (v. g. casu, quo forma ignis, & forma ligni informarent eandem materiam) non distinguerentur adæquatè inter se; ita personæ omnes creatæ non distinguuntur adæquatè inter se. Inferretur demum dari infinitum cathegorematicum carentiarum unionum dictarum.

28. Negamus has omnes sequelas, si procedant de persona humana specificativè, ac secundùm se inspecta, atque ut *quod*: quia sic non constituitur per istas infinitas carentias, sed consistit adæquatè in illo, quod denominatur persona. At quod denominatur persona est sola natura: sicut quod est, ac denominatur album v. g. non est complexum ex subiecto, & albedine, sed subiectum solum: ergo persona humana, ut *quod*, specificativè, ac secundùm se inspecta consistit adæquatè in sola natura, quam non dicimus constitui per istas carentias. Quod si inferas, in Christo Domino dari personam humanam, ut *quod*, specificativè, ac secundùm se, nimirum dari *id*, quod aliàs esset persona humana; transeat locutio, quæ ratione hujus specialis materiæ parum castigata est, & temporibus Nestorij foret periculosa: ast verum simpliciter est, Verbum assumptisse *id*, quod aliàs esset persona humana: concedimus verò omnes istas sequelas, si procedant de persona creata, aut supposito reduplicativè ut talibus. Illas autem non esse absurdas, probatur exemplis obvijs: Omnis libertas creata indifferentiæ constituitur per carentiam omnis antecedentis necessitatis, ac impossibilitatis. Atqui sunt possibiles infinitæ necessitates, ac impossibilitates hujusmodi; ergo

ergo constituitur per infinitas carentias: ergo libertas Judæ, & Deiparæ, Luciferi, & Michaelis non distinguebantur adæquatè, utpotè constitutæ per multas easdem carentias. Item amicitia integra, & adæquata Dei cum creatura constituitur per carentiam omnis læthalis. At læthalia possibilia sunt infinita: ergo amicitia, adæquata, & integra Dei cum creatura constituitur per infinitas carentias: ergo amicitia Dei cum Deipara non distinguitur adæquatè ab amicitia Dei cum privato quovis justo, utpotè constituta per multas easdem carentias. Item omnis justificatio, cum sit juxta Tridentinum *translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius Primi Adæ, in statum gratiæ*, constituitur per carentiam omnis læthalis, tanquam per terminum à quo, qui enim nunquam peccavit graviter, potest quidem esse justus coram Deo, v. g. Beatissima Virgo Maria; sed justificari non potest. At læthalia possibilia cuivis creaturæ sunt infinita: ergo constituitur per infinitas carentias.

29. Verumtamen si adhuc sit tibi arduum, quòd persona quævis creata ut talis, & suppositum quod vis ut tale constituatur per tantum numerum carentiarum, dicito, suppositum, & personam ut talem constitui non per carentias formales unionum cum alia substantia, sed per illativam, idest per decretum efficax divinum de eo, quòd natura illa, quæ non est apta, & capax naturaliter ut uniatur alij, non uniatur illi. Sicut quivis actus primus proximus creaturæ ad operandum constituitur obliquè per divinam omnipotentiam, per hujusque applicativum decretum. Unde subsistentia & personaiitas creata consistit partim in aliquo creato, nempe naturali incapacitate, ut natura uniatur alteri, (& hæc incapacitas venit in recto) partim in aliquo divino, nempe in decreto annuendi huic incapacitati naturali. Nec propterea subsistentia creata evadet quid divinum, sicut nec libertas creata est quid divinum, etiam si constituatur per omnipotentiam, & decretum applicativum. Nempe utrobique est quid creatum, quod significatur in recto. Neque item deserimus sententiam, quam dare incepimus. Quia illa primariè stat in eo, quòd subsistentia creata non sit positiva forma creata intrinsecè unita naturæ, sed quòd sit partim incapacitas naturalis, ut res uniatur alteri tanquam actui, vel potentiæ; partim quid merè negativum, sive quia sit formalis negatio, sive quia illativa.

30. Objicies secundò primaria argumenta contra hanc sententiam petita ex mysterio Incarnationis: sed priùs adverte, *Authores contrarios* frequenter uti his terminis: *Dependentia, carentia depen.*

dependentiæ ab alio supposito, conservari sine alio supposito, & similibus. Qui licet veri essent, quia tamen subrepat abusus, negandi sunt, quia tacite declinant ad aliud, dicendumque, sententiam nostram esse, supposititalitatem, personalitatem, aut subsistentiam creatam consistere in eo, quod natura, de qua fuerit sermo, neque actu uniat, neque naturaliter sit capax, quæ uniat alteri substantiæ, tanquam formæ, aut tanquam subjecto, utcumque præsupposito, (sicut materia prima utcumque præsupponitur ad animam etiam rationalem, nempe præsupponitur cum dispositionibus naturaliter requisitis ad illa, ut per illam informetur,) cumque inter Humanitatem Christi Domini, & Verbum Divinum præter alias disparitates, sit etiam hæc, quod humanitas actu unitur Verbo, tanquam actui purissimo illam perficienti; Verbum autem non uniat humanitati tanquam actui, quo perficiatur, nec tanquam subjecto ullatenus præsupposito ad ipsum Verbum: idcirco humanitas in Christo Domino non habet subsistentiam, aut personalitatem propriam; illam tamen conservat Verbum. En rationem per quam unio hypostatica adimit humanitati, & non Verbo rationem personæ; nimirum facit, quod humanitas, non autem Verbum, uniat alij substantiæ, tanquam actui purissimo illam substantialiter perficienti.

31. Dicunt ergo conceptus suppositi, seu Personæ communis est, & univocus Deo, & creaturis: sed personalitas Divina est quid positivum ut diximus: ergo etiam creata: quia positivum & negativum in nullo conveniunt univocè, idest ens, & non ens. Confirmatur. Natura divina, utpotè actus purissimus infinite superat naturam creatam: & tamen indiget personalitate, ac subsistentia positiva: ergo multo magis natura creata indigebit, ut subsistat, fulcro aliquo positivo subsistentiæ positivæ. Obiectio instatur in libertate creata indifferentiæ, quæ consistit inadæquatè in aliquo negativo, scilicet in carentia omnis antecedentis necessitatis, atque impossibilitatis ad illam operationem liberam, & tamen convenit univocè logicè tantum, (ut supra dicebamus de ente) cum divina, quæ tota est quid positivum. Dist. majorem. Univocus physicè; negamus, ut supra dicebamus de ente. Univocus logicè; concedimus: & concessa minore, negamus consequentiam: quia licet ens, & non ens nequeant convenire univocè *physicè*, possunt convenire univocè *logicè*, nimirum sub confuso illo conceptu, sub quo non apparuerit ipsorum vastum discrimen. Præterquam quod

quod persona dicit in recto quid positivum, scilicet naturam naturaliter incapacem, quæ uniat unione dicta, & tantum obliquè dicit carentiam actualis unionis. Confirmatio probat naturam creatam, utpotè debiliorem non uno, sed tribus fulcris positivis sustentandam esse, ut possit subsistere, quandoquidem robustissima natura divina tribus indiget (hæc nascuntur ex locutionibus istis metaphoricis; *indiget sustentari &c.*) Distinguo itaque. Et tamen indiget indigentia propriè tali; negamus. Indigentia, quæ potius est perfectio simpliciter infinita, nempe cum unitate essentiæ conservare trinitatem Personarum, concedimus: & ob id ipsum negamus consequentiam. Jam protulimus supra disparitatem, ob quam hypostases divinæ sunt quid positivum: secus creatæ secundum totum, quod dicunt.

§. VI.

32. **O**bjicies 3. Humanitas Christi Domini unita Verbo habet omnes reales conceptus, per quos si dimitteretur à Verbo subsisteret sine dependentiâ à Verbo in ratione suppositi: ut enim à Verbo dimissa subsistat, non requiritur, juxta nos, nova ulla entitas, aut modus positivus: ergo per illos eisdem conceptus est modò independens à Verbo in ratione suppositi, quia illi jidem conceptus reales, quos Humanitas haberet dimissa à Verbo, tam efficaces sunt ad illius conservationem in Verbo, quàm extra Verbum: ergo modò habet carentiam dependentiæ actualis à Verbo, & ex alia parte habet etiam carentiam dependentiæ aptitudinalis: ergo modò est persona humana. Confirmatur. Facta unione humanitatis Petri ad Verbum adhuc non pendet ab illo, quia perseverant eadem causæ, à quibus prius sufficienter penderat, & tantum deficit carentia unionis cum Verbo, à quo, cum sit purum nil, humanitas illa non penderat: ergo facta illa unione adhuc est persona humana. 2. Verbum debet efficere in humanitate, quod efficeret hujus suppositum connaturale, sed ab hoc non penderet humanitas, quia non penderet, aut à se ipsa, aut à negatione unionis cum alia substantia: ergo neque pendet à Verbo: ergo adhuc post unionem cum hoc est actu independens ab illo.

33. Respondeo, cum hæ voces *dependentia*, *independentia* nil aliud significant in præsentî, quàm unionem, ac carentiam unionis,

nis, jam vides implicationem in terminis, vel eorūdem abūsum; in eo, quōd facta unione ad Verbum non pendeat actu. ab illo, idest facta unione ad Verbum non fit unita illi: hac de causa monuimus oportere non uti illis verbis *dependentia. independentia* actuali propter ipsorum frequentem abūsum; sed his aliis, *Unio, carentia unionis*. Ad objectionem distinguo antecedens, omnes positivos, concedo: omnes negativos etiam nego: quia unita Verbo non habet carentiam unionis cum illo, per quam carentiam partim subsisteret in se, & staret per se, si dimitteretur à Verbo: & distinguo consequens, est modò independentis, independentia unionis, implicat in terminis: independentia alia, de qua non loquimur, concedo primum consequens, & distinguo secundum: modò habet carentiam dependentiæ actualis, idest unionis, nego: dependentiæ actualis alius rationis, concedo consequentiam. Ad primam confirmationem, distinguo antecedens. Facta unione adhuc non penderet à Verbo dependentia unionis, implicat in terminis: Dependentia speciei alius, quæ non venit ad rem, concedo antecedens: & distinguo consequens, adhuc datur carentia dependentiæ actualis, quæ fit unio, implicat in terminis: dependentiæ actualis, quæ non fit unio; permitto consequens: sed non dicimus subsistentiam creatam stare in carentia hujus, sed in carentia illius.

34. Ad secundum respondeo, istam esse phrasim eorum, qui docent, subsistentiam creatam esse positivam aliquam perfectionem, & consequenter agentium Verbum supplere in humanitate vices, & absentiam subsistentiæ creatæ: cum autem hæc non sit forma positiva, sed conceptus ille complexus, quem dicimus partim positivum, partim negativum: Inde est, quōd non aliter facit in humanitate, quod faceret proprium illius suppositum (melius diceretur *suppositalitas, sive subsistentia*,) item non aliter supplet absentiam, & vices subsistentiæ, quàm faciendo, quod illa humanitas post unionem cum verbo possit eodem modo elicere suas naturales operationes, suscipere, & sustentare omnia accidentia respectivè, ac sine illa unione, idest fungens subsistentia propria: quæ expeditio ad agendum, & sustentandum, cum non sit æquè certa, si humanitas illa uniretur alij substantiæ creatæ infinitè minus capaci, quàm est divina: quia tunc fortè una esset impedimentum alteri: idcirco non est æquè certum unam, creatam naturam posse subsistere per alienam subsistentiam creatam.

35. Distinguendæ itaque sunt istæ propositiones. Verbum facit, supplet, &c. *posito*, quōd subsistentia humana sit quidd positivum; permitto (hoc namque habet etiam suas explanationes,) *negato*, quōd sit quidd positivum, subdistinguo: facit, supplet, &c. in sensu positivo, nego; quia nil fieri, aut suppleri potest strictè, ac positivè loco illius, quod est mera carentia, & purum nil: in sensu virtuali concedo: sensus autem virtualis est, quem diximus modò. Unde habes obiter sensum, quo hypostatica unio supplet vices, sive absentiam suæ carentiæ. Supplet inquam virtualiter, virtualitate stante in eo, quod humanitas perindè possit agere, ac pati unita Verbo, ac non unita. *Agit enim utraque forma*, (idest utraque natura in Christo Domino,) *cum alterius communiōne, quod proprium est Verbo, scilicet operante, quod Verbi est: & carne exequente, quod carnis est: unum horum coruscet miraculis, aliud succumbit injuriis, &c.* Ut graviter scribit S. Leo ad Martyrem Flavianum epistola 10. lecta & subscripta à PP. Calcedonensibus: Actione 2. Supplere autem absentiam, & gerere vices sui contradictorij in hoc sensu: absurdum non est.

36. Objicies 4. Humanitas Christi Domini sine unione hypostatica esset homo, & suppositum: At unio nil ei demit: cur ergo cum unione hypostatica non perseverat suppositum humanum! Confirmatur 1. Actiones, & passionis sunt suppositorum. Non enim dicimus, *Anima irascitur, sed Homo irascitur, &c.* Atqui si humanitas illa non esset unita Verbo, actiones, & passionis tribuerentur ipsi, quia esset suppositum. Cur ergo non tribuuntur ipsi etiam post per unionem. 2. Concilia docent, Verbum assumpsisse naturam humanam, non vero humanam personam. At hæc doctrina esset profus ridicula, si esset vera nostra sententia. Probatur, nos dicimus naturam esse personam humanam stare in eo, quōd non uniatur unione totius dicta, cum alia substantia: ergo stat in eo, quōd non uniatur cum Verbo: ergo dicere, Verbum non assumpsisse personam humanam est dicere verbum non univisse sibi carentiam unionis naturæ humanæ secum ipso, sed univisse sibi naturam humanam. At cum hæc sit ex terminis evidens esset ridiculum cogere Concilia ad hoc definiendum, & memorabiles illæ tragediæ hac super re excitatæ inter Cyrillum, & Memnonem ex una parte, ac Nestorium, Joannem Antiochenum, Theodoretum, Theodosium Imperatorem, & Candidianum Comitem ex altera; essent tragediæ hominum profus ignarorum: ergo. 3. Homo, ut

homo est substantia : sed homo ut homo est suppositum : ergo suppositum ut suppositum est substantia : sed suppositum ut suppositum imbibit substantiam : ergo substantia est substantia, sed omnis substantia est quid positivum : ergo .

37. Distinguo minorem objectionis : nil positivum ei demit : concedo ; nil negativum , nego quia unio hypostatica excludit carentiam sui ipsius , per quam constituitur humanitas in esse suppositi humani , & ecce cur non perseverat suppositum humanum , quia per illam unionem privatur uno constitutivo humani suppositi : Idem ad primam confirmationem , quæ tamen non est universaliter vera juxta Disput. 3. Prodromi cap. 1. vide Vasq. 3. parte disp. 21. num. 20. Nihilominus permissis reliquis , respondemus : Ideo post unionem non tribuuntur ista humanitati , quia post unionem illam non est suppositum , aut persona : & ideo non est , quia deficit illi unum constitutum personæ humanæ , & ideo deficit quia carentia illius ejusdem unionis hypostaticæ est unum constitutum personæ humanæ , & carentia illius excluditur per illam unionem : unde habes , quod quando dicitur illa humanitas æquè subsistere per substantiam Verbi , ac subsisteret per propriam : perinde se habere cum illa , & cum hac . Non debes intelligere illud æquè , & illud perinde universaliter quoad omnia . Cum enim subsistere per propriam substantiam , imbibat non habere substantiam verbi , sequeretur humanitatem habere hanc perinde esse , ac non habere illam : quo circa illud æquè , ac perinde intelligere , debes particulariter quo ad subjectam materiam , quatenus scilicet humanitas illa eodem penitus modo potest agere , & sustentare suas naturales operationes unita verbo , idest subsistens per verbum , ac non unita , idest subsistens substantia propria , ut supra diximus . Ad secundam nego minorem . Ad probationem concessio entimemate distinguo secundum consequens est identitate objectiva dicere verbum non univisse , &c. Concedo : est identitate vocum , terminorum , seu expressione nego , & similiter quæ annectuntur : Mirum est quod aliqui tanti faciant hoc argumentum . Profecto esse animal rationale est realiter , & formaliter logicè esse hominem : ergo probare rem *A.* esse hominem , quia est animal rationale , est probare esse hominem , quia est Homo ! absit . Nam primum est philosophari , arguereque ex definitione rei ; secundum est nugari , & probare idem per idem , similiter quando res aliqua definitur cum enim prædicata per quæ res definitur , sint re ipsa , ipsa res , seque-

sequetur juxta argumentum istud , quod omnis definitio traditur per ipsum definitum . Et consequenter omnem esse obnoxiam illi probro scholastico . Defines idem per idem : Hoc , quod omnis fatessitur de *Probare* ; item de *Definire* dicimus in præsentia de ipso *Dicere* , aut *Docere* .

38. Ratio autem est . Quoties agitur non tam de veritate , aut fallitate rerum , quàm de *Prudentia* , aut *Imprudencia* doctrinæ , aut propositionum , non solum sunt inspiciendæ res ipsæ ; verum etiam termini , voces , expressiones , quibus utimur , ut patet in exemplis prolatis . Nam certè quærenti quid est homo , respondere , est homo , est respondere imprudens . Respondere verò , est animal rationale , est respondere prudens , & tamen re ipsa sunt idem homo , & animal rationale . At fieri potest quod res de quibus fuerit sermo sint prorsus idem ; & tamen expressiones voces , five termini sint omnino diversa : ergo fieri potest quod res sint prorsus idem , & tamen quod dicere unum , non sit dicere alterum , *A* dicere unum sit prudens , ac necessarium ; dicere verò alterum sit imprudentia , & supervacaneum . Hoc in præsentiarum . Humanitatem esse personam humanam , est re ipsa ex parte rerum præter alia , non habere unionem cum Verbo . Cæterum dicere , docere , definire Verbum non univisse sibi personam humanam , non est recepta , docere , aut definire Verbum univisse sibi naturam humanam , & non univisse sibi carentiam hujus ejusdem unionis . Tum quia licet res sint prorsus idem ex parte objecti , expressiones , five termini sunt penitus diversi : ergo licet res sint prorsus idem patet locus , ut unum *dicere* sit prudens , ac necessarium , & alterum *dicere* sit imprudens . Tum quia PP. Concilia , & scripturæ tradunt nobis dogmata credenda quidquid sit de scholasticis speculationibus , atque explicationibus rerum illarum : sic traditur nobis Mysterium Trinitatis abstrahendo à modo adæquato , quo existit traditur Mysterium Eucharistiæ præscindendo a modo adæquato quo contingit . Traditur Mysterium incarnationis præscindendo à modo adæquato , quo factum fuit . Similiter traditur credendum omnino Verbum non assumpsisse personam , sed humanam naturam , quidquid sit de constitutivis , quæ habuerit , aut non habuerit persona humana . Itaut dicant quidquid velint hac super re scholastici omnes credant Christum Dominum non esse personam humanam ; sed divinam : ergo illud *dicere* , aut *docere* , aut *definire* Patrum , prout dictum illorum non est istud alterum .

dicere aut docere: quod jure vocatis ridiculum.

39. Præterquam quod si conclusionem istam Catholicam, scilicet Verbum non assumpsisse personam humanam, resolvamus in suum principium, & in primum authorem, quem eligit Deus ad explicandum hoc mysterium, quemque secuta est tota Ecclesia in subsequenter Conciliis Generalibus, deprehendimus alienam esse, adhuc stante nostra sententia, ab isto sensu ridiculo. Ille ergo primus Author fuit S. Cyrillus Alexandrinus, & primum principium, ex quo posteriores deduxerunt istam conclusionem, fuit, inter Verbum, & humanitatem illam sacrosanctam fuisse *veram, & substantialem unionem*, non autem unionem purè moralem puræ benevolentiae, aut puræ inhabitationis Verbi in illa, sicut in suo templo, prout dogmatizabat Nestorius. In hanc unionem, quam etiam vocat unitatem, & contra separationem, seu divisionem ei unioni contrariam, collimant famosi illi duodecim Anathematismi lecti, & approbati in Concilio 1. Ephesino. Hanc unionem spirant duæ illæ monitoriæ litteræ, quas scripsit ad Nestorium. Hanc unionem veram, & substantialem persuasit in responsione ad objectiones orientalium. Hanc in refutatione privata, & singulari Theodoretii. Hanc in libro ad Reginas semper, & ubique inculcans illud, *Verbum caro factum est*, & Symbolum Nicænum, ubi de illo eodem, quem confitemur consubstantialem Patri, confitemur, & dicimus, *Incarnatum, crucifixum, mortuum, & sepultum*, ex hoc principio deducit cætera, quæ sunt de fide hac super re. Quomodo autem hinc infertur, quod si subsistentia humana est partim carentia unionis veræ, ac substantialis Humanitatis cum Verbo, Concilia, præsertim Ephesinum illud, & tragedias illas, quas excitarunt Orientales, maximè Joannes Antiochenus pro suo olim Clerico Nestorio, & Theodoretus fuerint super hac ridicula propositione. *Posita unione vera, & substantiali Verbi cum humanitate, non permansit carentia hujus unionis?* Controversia fuit de ipso posito. An nimirum fuerit talis unio vera physica, & substantialis.

40. Denique ad tertiam. Resp. illam formam non valere ob diversitatem sensuum, quos reddunt illæ reduplications. Nam similiter. Homo ut liber libertate indifferentiæ est aliquid. Sed ut sic liber importat ipsam libertatem: ergo hæc libertas est aliquid. Sed hæc libertas importat carentiam omnis antecedentis necessitatis, & impossibilitatis: ergo hæc carentia est aliquid. Similiter,

ut

ut amicus Dei est aliquid. Sed ut amicus importat amicitiam: ergo hæc amicitia est aliquid, sed hæc amicitia includit essentialiter carentiam omnis læthalis: ergo hæc carentia est aliquid, & similiter in alijs. Unde permissio primo syllogismo cum subjuncta minore, negamus secundam consequentiam, quam non esse legitimam constat nuperis exemplis, & quia ex constituto arguit fore, ut idem prædicatum conveniat constitutivo: qui modus arguendi ratione materiæ solet esse bonus; nunquam tamen ratione formæ. Si malueris distingue illud consequens, subsistentia est adæquatè substantia, nego: est inadæquatè, nempe partim quid positivum, partim quid negativum; concedo.

§. VII.

41. **E**X hucusque dictis infertur 1. Subsistentiam creatam adæquatè sumptam esse quidem complementum naturæ. At non est complementum adæquatè, quoad omnia sua constitutiva *substantiale*: quoniam carentia illius actualis unionis cum alia substantia, non est *ens per se*, ut patet; sed conceptus merè negativus. 2. Anima rationalis separata à corpore existit, sed non *subsistit*; non est persona, aut suppositum simpliciter loquendo: quia licet habeat carentiam actualis unionis; non habet carentiam unionis aptitudinalis. Suapte namque natura est apta nata, ut uniatur alij substantiæ, nempe corpori, eo quod suapte natura sit entitas incompleta: quia verò agentia naturalia inducentia mortem hominis sunt magis potentia ad operandum, quàm anima rationalis ad resistendum: & ex alia parte ipsa est natura suà immortalis, & incorruptibilis, idcirco existit, sed violenter physicè separata à corpore, sicut aqua, quæ per validiora agentia contraria orbat in nata sua frigiditate. Hæc violentia physica est tormentum novum in animabus damnatis: in Sanctis autem, quibus dictum est, *ut requiescerent adhuc tempus modicum donec compleantur conservi eorum* ^{6.} *Apocalyp.* est jucunditas conformandi se cum divina voluntate: & quamquam in eo statu separationis, ac perfectitatis, non quidem *positive*, quia non constat de qualitate ista supernè infixæ animæ, sed tantum *negative*, idest non unionis cum alia substantia, possit elicere, ac sustentare multas operationes, non tamen omnes suas proprias, & naturales (unde patet disparitas ad Christi Domini humanitatem) quia

quia non potest ullam ex materialibus, v. g. sensationes, nutritiones, quibus homo sentit, ac nutritur. Non item multas ex spiritualibus, v. g. illas quæ pendent determinatè ex organis corporalibus, quibus caret. Cruciatum autem ignis materialis sentiunt Deo supernaturaliter operante, sicut etiam cum pravis Angelis.

42. Infertur tertio, quisnam sit effectus formalis subsistentiæ: effectus formalis cuiuslibet formæ est totum illud quod resultat ex ipsa, & subiecto, quod denominatur, v. g. effectus formalis visionis unus est *esse videntem*, alter *esse visum*. Cum autem quod resultat ex subsistentia, & natura sit *esse personam* si natura fuerit rationalis, aut *esse merum suppositum* si fuerit irrationalis: idè effectus formalis subsistentiæ est esse suppositum, aut esse personam. Rursus cum subsistentia connaturalis, & propria creata non sit quid adæquatè positivum, sed partim positivum, & partim negativum, sicut libertas indifferentiæ creata est quid partim positivum, & partim negativum; necnon amicitia cum Deo, ut diximus. Idè effectus formalis subsistentiæ illius, sicut & libertatis, & amicitiae cum Deo, partim est positivus, & partim negativus: & sic describi potest *existentia substantiæ, nec unita, nec natura sua unibilis cum alia substantia tanquam cum subiecto, aut forma*, quæ explicatio, nec convenit animæ separatæ à corpore, nec quaeritati Eucharistiæ, nec ulli accidenti, quia hæc omnia sunt unibilia positivè ex natura sua cum alio: Nec convenit humanitati Christi, quia actù est unita. Sed convenit Verbo collato cum humanitate, nam licet huic uniatur, sed tanquam subiecto, aut formæ.

43. Infertur quarto, naturam non posse terminari gemina subsistentia propria, & multò minus gemina, quarum una sit propria, & altera aliena, & denique non posse terminari aliena subsistentia creata: quoniam subsistentia creata consistit in eo, quòd natura, nec actu uniatur, nec sit unibilis plusquam obedientialiter, ac divinitus ulli alii substantiæ tanquam subiecto, aut formæ, ut diximus. At repugnat quod eadem individua natura habeat duas universales carentias illarum unionum, ac duas sibi intrinsecas inaptitudines ad illas, sicut repugnat quod idem homo habeat duas animalitates, duas rationalitates &c. Deinde eo ipso quod duæ naturæ creatæ sint completæ non possunt adhuc divinitus uniri instar subiecti, & formæ, quo circa neutra subsisteret per alteram. Si sint incompletæ debent uniri tanquam subiectum, aut forma: ergo repugnant illa tria: Infertur 5. Verbum, nec assumpsisse suppositum

tum humanum, ut est cerium, neque potuisse assumere illud, aut Angelicum, aut ullum aliud creatum. Nam eo ipso desineret illud esse suppositum. Nam eo ipso careret carentia unionis ad Verbum, quæ carentia est una ex illis per quas constituitur suppositum, aut persona creata.

44. Infertur 6. Non solum hominem, ut supra diximus, verum etiam Angelos, & cæteras omnes irracionales naturas distinguere à suis subsistentiis, sive suppositis ut loquuntur alij: quoniam omne positivum distinguitur saltem inadæquatè ab omni negativo, idè omne aliquid ab omni nihilo: sed omnes naturæ creatæ sunt aliquid positivum, & omnes subsistentiæ creatæ constituuntur per conceptum negativum, videlicet per carentiam unionis dictæ: distinguuntur saltem inadæquatè ab omni creata subsistentia: quod si eligas illud, quod supra permisimus, nempe subsistentias hæc constitui per negativum illativum, perinde est: Nam omnis natura creata distinguitur, saltem inadæquatè ab omni decreto divino: Præterquam quod cum persona divina possit assumere aliam naturam creatam distinctam ob humana, (quod mirum ab aliquo dubitari de natura saltem Angelica,) subsistit pro cæteris naturis super ratio, quæ probet naturam humanam distinguere à sua subsistentia.

45. Septimò. Subsistentiam partim esse rem, & partim, neque esse rem, neque modum; quia omne resultans ex natura substantiali, & ex carentia dictæ unionis, partim est res nempe natura ille, & partim neque res, neque modus; quia illa carentia, utpotè conceptus purè negativus non est res - aut modus castigatè loquendo; sed omnis creata subsistentia resultat ex natura substantiali; & ex illa carentia, quia consistit partim in illa naturali inaptitudine ad unionem dictam, quæ naturalis inaptitudo est realiter identificata cum natura ipsa, sicut in aptitudo brutorum ad ratiocinandum, quamvis multo major sit, identificatur cum natura ipsa brutorum: ergo 8. Nulla natura ex illis quæ habent subsistentiam, (completam utique, & adæquetam nam subsistentiæ partiales, & inadæquatæ sunt locutiones eorum, qui censent subsistentiam esse formam adæquatè positivam,) quales sunt omnes naturæ, potest privari omni penitus subsistentia, vel enim natura completa unitur alij tanquam actui, sive instar actus; eam perficientis, sicut humanitas Christi unitur Verbo, vel tanquam subiecto præsupposito cum naturalibus dispositionibus. Vel neutro modo unitur si primum, subsistit per subsistentiam illius alius, sicut humanitas Chri-

Christi Domini subsistit per subsistentiam Verbi. Secundum est impossibile, quia est impossibile, quod una completa natura, sit subiectum naturaliter præsuppositum, ut uniatur alij naturæ completæ. Si tertium; ergo illa natura, nec actu unitur, nec apta est uniri alij tanquam subiecto, aut formæ: ergo retinet suam propriam subsistentiam, quæ in hoc consistit. ergo non privatur omni subsistentia.

CAPUT SECUNDUM.

Quid, & quotuplex sit Quantitas.

45. **N**on loquimur de quantitate perfectionis, ut quando dicimus, v. g. Homo tanto superat perfectionem entitativam equi. Unus ordo Angelorum quanto exceditur ab alio? Non de hac, sed de quantitate *Molis*, nempe de ista, quam sensu experimur in his rebus corporeis, quas præ manibus habemus, vi cuius una truditur à suo loco per aliam, vel aliam trudit, ita ut non possit existere simul in eodem penitus loco. *Quantum* ergo sic definit Aristoteles, quod est divisibile in ea, quæ insuat, quorum utrumque, vel unum quodque, unum quid, & hoc aliquid aptum est esse. Hæc definitio ægrè aptatur punctis indivisibilibus numero finitis, quibus dicitur à multis constare hæc charta juxta sententiam Zenonis, quam veram putant. Præterea est ex illis, quæ dantur non per quidditatem, sed per effectum definiti, quas notavimus Disput. 2. Dialecticæ, v. g. hæc, *Deus est ille, qui solus omnia potest*.

47. Igitur quantitas *Molis* sic vulgo definitur: *Ens impenetrabile proximè per se ac ratione sui*. Quinque hic præstare debemus. 1. Explicare hanc definitionem: 2. Illam probare. 3. Dare effectum formalem quantitatis. 4. Inferre solutionem aliquarum quæstionum particularum. 5. Aperire divisiones quantitatis. In primis dicitur *Ens* quia certè existit in rebus quantitas. Sicut enim experimur, aliqua corpora spontè sua moveri deorsum, & hinc inferimus inesse illis aliquam rem propendentem in illum motum, & hanc rem vocamus: *Gravitatem*: Item alia corpora absque impulsu ex trinfeco moveri sursum; & hinc inferimus inesse illis aliquam rem propenden-

tem.

dentem in eum motum, & hanc rem vocamus levitatem. Ita experimur una corpora omnino resistere ingressui aliorum corporum in proprium locum; & cedere loco, si resistere nequeant, quin habentis experti simus vires in tota natura ad faciendum, quoddam quantitates sint in eodem penitus loco: & hinc inferimus illis inesse aliquam vim resistitivam penetrationi locali, & hanc vim vocamus *quantitatem*. Non autem diximus substantiam, aut accidens, quia sub iudice adhuc lis est affirmantibus unis, & negantibus alijs, quantitatem distingui à substantia ipsa corporea materiæ primæ. Definitiones autem, quoad fieri possit, debent dari per prædicata minus dubia.

48. Dicitur *impenetrabile*, sicut enim Stygia vocatur à Poeta *irremeabilis unda*; quia ex natura rei homo mortuus non potest iterum vivere, & sicut ignis est irrefrigerabilis, quia ex natura sua resistit frigori. Ita quantitas dicitur impenetrabilis, quia ex natura sua resistit penetrationi, circa quod adverte quatuor. 1. Hæc impenetrabilitas explicatur quidem verbo hoc negationem sonante: at revera est quid positivum, nempe vis ipsa, & natura ipsa quantitatis resistentis suæ penetrationi. Sicut impeccabilitas divina explicatur hoc verbo negationem præferente, & tamen est quid positivum, nempe ipsa divina sanctitas, ut jam advertimus. Idem dicimus de irrationalitate brutorum. Idem de incorporeitate Angelorum; Idem de incorruptibilitate animæ rationalis, quæ omnia verba negationem innuunt, sed objectum significatum est quid physicum, & positivum. Adverte 2. Impenetrabilitas potest considerari quadrupliciter: Nimirum purè *moralis*, non hæc, sed major est de essentia quantitatis.

49. Item *Metaphysici*, quasi nec divinitus posset una quantitas penetrari cum alia. Non hæc, sed minor est de essentia quantitatis. Quoniam illud Sacrosanctum Corpus Christi, quod certè erat *quantum*, quandoquidem piæ illæ mulieres tenuerunt pedes ejus, & ipse Dominus dixit Apostolis, *Palpate, & videte*, quater penetratum fuit cum alia quantitate, videlicet in nativitate, quia Jesus natus est ex Maria Virgine, in resurrectione, quia sepulcro clauso egressus est, & demum in prima, & secunda apparitione ad Apostolos; quia ingressus est *cùm fores essent clausæ*, & tandem quotidie penetratur in Eucharistia: Non ergo est de essentia quantitatis impenetrabilitas metaphysica, & multo minus actualis impenetratio. Rursus impenetrabilitas *physica*, & *naturalis*, sed violabilis per causas naturales,

V u

sicut

sicut est violabilis connexio naturalis aquæ cum frigiditate, & naturalis repugnantia corporis gravis cum motu sursum. Neque hæc est de essentia quantitatis; sed major; quia in tota natura non sunt vires ad compenetrandum duas quantitates. Historiolæ autem de strigibus, quæ dicuntur penetrari per oclusas januas, sunt nugæ. Denique impenetrabilitas *physica* duntaxat; sed *invioabilis*, & irresistibilis toti naturæ, sicut est connexio materiæ primæ cum aliqua forma, & ignis cum calore in se ipso; hæc est, quam dicimus esse de essentia quantitatis: & hæc naturalis impenetrabilitas stat cum penetrabilitate miraculosa, quia quod suapte natura est impenetrabile, potest divinitus penetrari: unde fallax est hic syllogismus. Nil ex sua natura penetrabile est ex sua natura impenetrabile: sed omnis quantitas est ex sua natura penetrabilis, quia ex sua natura est capax, quæ divinitus penetretur: ergo. Distinguo majorem. Penetrabile penetratione naturali non est ex sua natura impenetrabile, concedo: Penetratione supernaturali, nego: quia licet Deus, ut supremus Dominus possit penetrare duas quantitates: ipsæ tamen ex sua natura penetrationi resistunt. De hoc iterum agam in *Physica speculativa* Disp. 4.

50. Adverte 3. Cum non omnis oppositio purè physica sit mutua, ut dixi in *Prodomo* Disp. 5. num. 162. datur locus ut duæ quantitates physicè opponantur cum sui ipsarum penetratione, idest coexistentia in eodem prorsus loco: & tamen quod hæc penetratio non opponatur, quinimò metaphysicè connectatur, ut verè connectitur cum illis, sicut ignis, v. g. ex natura sua opponitur cum decreto divino conservandi ipsum sine ullo calore, & hoc decretum nihilominus metaphysicè connectitur cum existentia ipsius ignis. Adverte 4. Non omnis impotentia duorum coeundi in eodem prorsus loco est impenetrabilitas eorundem, de qua in præsentiarum, sed impotentia coeundi, consistens formaliter immediatè in *vi*, & *resistentia*, qua unum reluctatur alteri, & alterum conetur illud unum removere à suo loco. Hanc solam impenetrabilitatis speciem dicimus esse de essentia quantitatis. Nam certè si præsentia Madritensis, & præsentia Romana sint essentialiter affixæ proprijs locis, non poterunt adhuc divinitus coire in eodem loco, & tamen nec sunt quantitates, nec dici possunt impenetrabiles: quoniam illa impotentia non stat in *vi*, aut *resistentia*, qua una obstat alteri, si ingrederetur suum locum; sed stat in *co*, quod essentialiter distent inter se, eo quia sunt rationes formales distandi,

standi, & consequenter est impossibile, quod una ingrediatur eundem locum, cui altera est affixa.

51. Dicitur *proximè*, ac *ratione sui*. Multa enim sunt impenetrabilia, quæ non sunt quantitas v. g. materialis anima equi, & materialia accidentia, quæ sunt in toto illo corpore non possunt penetrari cum hac charta, & tamen non sunt quantitas, licet sine quanta, hoc est unita sint quantitati. Qua propter sicut non est color, aut lux omne, quod videtur, (siquidem videmus hominem, videmus motum, & tamen neuter est lux, aut color,) sed illud, quod proximè, ac ratione sui est visibile. Ita non est quantitas omne impenetrabile, sed omne quod proximè, immediatè, ac ratione sui est impenetrabile; non verò illud quod solum ratione alterius est impenetrabile, ut contingit animæ equinæ, & suis accidentibus, quæ non ratione sui, sed quantitatis, cui adhærent in illo equo penetrari nequeunt cum alio equo v. g. & quemadmodum lux, & color non solum sunt ratio proxima formalis, per quam objectum constituitur ex parte rei visibile; sed etiam ipsa verè, & simpliciter videntur, & existentia non solum est ratio proxima formalis existendi, sed etiam ipsa existit, (etiam si aliquando eveniat, quod ratio proxima formalis subeundi aliquam denominationem, non subeat illam denominationem, quia albedo; v. g. non est alba, hoc est, non est subjectum habens albedinem, & similiter in multis alijs. Nempè quia ratio formalis, sive forma per se immediatè constituens aliquam denominationem, interdum subit, interdum non subit illam denominationem, quod pendet ex quidditate talis denominationis, & ex communi usu terminorum;) Ita quantitas non solum est forma, per quam formaliter immediatè res illæ sunt impenetrabiles, verum etiam ipsa verè, ac simpliciter est impenetrabilis, quia hæc vox non significat determinatè subjectum habens quantitatem, sed hoc, vel quantitatem ipsam.

52. Demùm non diximus. Impenetrabile cum alio *ejusdem rationis*, sive *cum alia quantitate*. Quamvis enim revera debet esse alia quantitas, vel res unita alij quantitati id, cum quo ex natura sua est impenetrabilis quantitas: sicut debet esse risibile, & esse capax amicitiae cum Deo id quod est animal rationale: Verum tamen, sicut hæc risibilitas, & capacitas non debet poni formaliter, & expressè in definitione hominis, quia aliunde supponuntur notæ, vel inferuntur ex ipsa definitione per legitimas consequentias, vel

adduntur, quando explicatur ipsa definitio, ut plerumque est necessarium, quod clariùs, & particulatim explicentur definitiones ipsæ, & ita passim fit ab Auctoribus. Ita quamquam terminus, quorum est impenetrabilis quantitas, sit alia quantitas, aut res huic unita non debet hæc formaliter poni in ipsa definitione; tum quia aliàs quantitas definiretur per seipsam: Tum quia definitio quippe quæ exprimeret multipliciter quantitatum, non foret conceptus univocus omni quantitati: infertur tamen per legitimam consequentiam debere esse quantitatem quoque illud cum quo impenetrabilis dicitur quantitas.

53. Et hinc detegitur fallacia hujus objectionis. Illud cum quo impenetrabilis dicitur quantitas, vel est alia quantitas, vel non? Si hoc, est falsum, quia quantitas proximè, & ratione sui dumtaxat est impenetrabilis cum alia quantitate. Si illud: ergo quando in definitione dicitur quantitas *impenetrabilis*, significatur esse impenetrabilis *cum alia quantitate*: quoniam non bene explicatur connexio, aut oppositio, nisi dicatur terminus, cum quo est connexio, aut oppositio; Aliàs reddet explicatio hunc mutilum sensum. Hæc *res est opposita cum, est connexa cum*: ergo in data definitione quantitatis necessariò debet intelligi alia quantitas, tanquam terminus cum quo est impenetrabilis quantitas, quæ definitur: ergo necessario debet ingredi *quantitas* eam definitionem: ergo est mala. Resp. Aliud est prima, recta apprehensio illius, quod primò occurrit menti in quantitate. Aliud autem notitia magis perfecta, & explicata totius suæ essentia, ac terminorum connexionis, oppositionisque. Hæc notitia est, quæ non debet sistere in illo *cum*, sed aperire in particulari quodnam sit illud, cum quo est connexio, vel oppositio. Illa autem prima apprehensio, seu explicatio quamvis sit bona; cum non sit bona bonitate comprehensionis objecti sui, aut bonitate integræ scientiæ illius, potest hære in explicatione oppositionis, seu resistantiæ, quoad locum in genere, quin formaliter explicet, quodnam sit illud in particulari, contra quod est resistantia, quoad locum: quia cum genera sint magis nota, quàm particularia, rectè possumus prius apprehendere resistantiam in genere quoad locum, & postea posteriore cognitione scire quodnam sit illud, contra quod est resistantia.

54. At definitiones sunt primæ apprehensiones illius, quod primò occurrit menti in definito: & quamquam sint bonæ, non sunt formaliter comprehensiones, aut scientiæ integræ suorum objecto-
rum

rum: ergo possunt aliquando hære in illo *cum* aperiendo scilicet in genere oppositionem, sive resistantiam quoad locum, quam facit definitum, relinquendo alii posteriori cognitioni explicationem, illius in particulari, contra quod facit resistantiam quoad locum; & hoc in præsentî, definimus quantitatem per oppositionem, seu resistantiam quoad locum in genere, quam facit quantitas. Contra quodnam autem sit hæc resistantia, relinquimus explicandum per aliam cognitionem. Sicut definimus hominem per animalitatem, rationalem. Utrum autem hoc animal sit, vel non sit volitivum, sit, vel non sit capax amicitia cum Deo (nam certè unum ex alterutris contradictoriis indispenfabilitèr habere debet) relinquimus explicandum per alias cognitiones, quæ vel præsupponuntur habitæ, vel inferuntur ex illa definitione, vel adduntur, quando illa magis, & magis explicatur: ex quo solum infertur, datam definitionem quantitatis non esse integram, & perfectam scientiam illius, & multo minus esse comprehensionem: sed cum hoc contingat in plerisque definitionibus, ne dicam in omnibus, idcirco non est absurdum, & hætenus de definitione.

§. II.

55. **P**robatur ipsius rectitudo 1. quia ut initio philosophabamur ex eo, quòd experiamur una corpora moveri sursum, alia deorsum, alia ab extrinseco &c. rectè inferimus dari aliquid, quod sit ratio formalis, sive causa proxima immediata illorum motuum, nempe dari levitatem, gravitatem, impulsivumque, quia absolum est à bona Philosophia figere in decretis divinis rationem causandi proximè immediatè hos motus: ergo cum experiamur una corpora non penetrari unquam cum alio, sed mutuo collidi, & unumquodque conari trudere alterum, oportet fateri esse aliquid, quod sit ratio proxima, & formalis hujus luctæ; sed hoc est, quod vocamus *quantitas molis*: ergo hæc quantitas est ratio proxima, & formalis hujus luctæ: ergo hujus impenetrabilitatis. Sed ratio proxima formalis impenetrabilitatis rectè definitur *ens proximè, ac ratione sui impenetrabile*, quia, ut supra advertimus, hæc ratio proxima est ex illis, quæ subeunt denominationem, quam dant: ergo. 2. Quia ea definitio convenit omni, & soli quantitati molis. Nulla quippe assignatur, quæ non sit proximè ratione sui impenetrabilis. Nil item quod cum non sit quantitas, sit proximè, ac ratione sui impenetra-
bile,

bile, ut constat ex explicationibus particularum illius definitionis: ergo est recta quantum sufficit ex hac parte.

56. Jam ratio est. Omnis definitio, quæ datur per primam originem, seu radicem omnium proprietatum rei est bona: quia hoc ipso datur per differentiam specificam infimam, seu propriissimam, quæ profecto est prima radix proprietatum rei, non quidem semper physica; sed logica, quatenus utimur illa, & recurrimus semper ad illam, probandi ergo proprietates rei; sed impenetrabilitas intellecta, prout supra est explicata, est prima origo, seu radix omnium proprietatum quantitatis: Probatur: Proprietates quantitatis, non quidem indivisibilis (quia specialis est difficultas circa hujus possibilitatem, quam disputabimus inter explicandum compositionem continui) sed hujus vulgaris, quam experimur, solent numerari hæc. 1. Quod habeat partes extensas in ordine ad locum. 2. Quod sit physicè divisibilis. 3. Quod sit mensura, & mensurabilis passivè. 4. Quod tribuat substantiæ partes distinctas. Sed in primis hæc quarta non est proprietas, seu effectus quantitatis. Deinde illæ tres nascuntur logicè, idest legitimè probantur ex impenetrabilitate, & non hæc ex ulla illarum: ergo impenetrabilitas est prima origo, seu radix omnium cæterarum proprietatum quantitatis.

57. Quod illa distinctio partium substantiæ (quam distinctionem vocant aliqui extensionem partium in ordine ad se) non sit effectus quantitatis, itaut in illa sola radicetur, & ex illa sola nascatur, probatur. Nil, quod identificatur adæquatè cum ipsis partibus substantiæ, aut cum figura, aut cum alio distincto adæquatè à quantitate, radicatur, seu consistit formaliter immediatè in quantitate, etiam si aliundè cum illa connectatur ex natura rei, itaut sine miraculo non possit carere illa. At talis est distinctio substantiæ partium. Probatur: vel loquimur de distinctione intrinseca, entitativa, & coram Deo illarum partium; vel de extrinseca, & quoad nos, qua discernimus partem *A*. non esse partem *B*. v.g. caput non esse manum, Si primum; illa distinctio adæquatè identificatur cum ipsis partibus, quæ distinguuntur, ut sæpè diximus, quia unumquodque habet per solam suam entitatem, & realitatem esse individuum illud, quod est, & non esse individuum illud quod non est. Prædictæ enim identitatis, ac distinctionis realis non sunt sicut esse album, aut esse nigrum. Itaut illud idem, quod hodiè est individualiter distinctum coram Deo ab alio, cras possit esse verè, & simpli-

citer

citer identificatum cum illo eodem individuo. Absit. Unde licèt verum sit quod eadem individua pars substantiæ, quæ modò est caput, potuerit esse pes; hoc non ideò est, quia potuerit identificari cum illa individua parte substantiæ, quæ modò est pes; sed quia illa individua substantia, quæ modò est caput, potuit non habere figuram, nec locum, quem habet, sed habere figuram pedum, & esse in loco, in quo modò sunt pedes. Si secundum: illa distinctio sensibilis, & quoad nos consistit formaliter immediatè in diversitate accidentium sensibilium, quæ deprehendimus in unis, & alteris partibus, v. g. quod habeant diversam figuram, diversum colorem, diversum locum, diversam longitudinem, aut latitudinem, aut profunditatem, diversum motum &c. quæ omnia realiter distinguuntur à quantitate, tametsi cum hac connectantur naturaliter, & consequenter illa sit necessaria ad hæc omnia: ergo utravis distinctio partium substantiæ, aut identificatur adæquatè cum partibus ipsis substantiæ, aut cum figura, aliisvè accidentibus illarum distinctis adæquatè à quantitate: ergo neutra radicatur formaliter immediatè in quantitate, tanquam in forma constituyente ipsam: Imò neque physicè, quia hæc individua quantitas, quæ modò inest huic individua substantiæ habenti tales partes distinctas in se, & quoad nos, potuit inesse alii substantiæ non habenti has individuas partes: sicut hæc albedo, quæ est in hac charta, potuit esse in alia.

58. Probatur jam impenetrabilitatem esse primam radicem logicè illarum trium proprietatum certarum quantitatis. Differentia specifica, ut toties advertimus, propriissima rei non alium exercet primatum, sive prioritatem, respectu cæterarum proprietatum specificarum sumptarum in actu primo quàm logicam stantem in eo, quod illa differentia sit medium idoneum ad probandum illas alias; v. g. homo est risibilis, quia est rationalis: est volitivus, quia est rationalis. Est capax liberi arbitrij, quia est rationalis: est capax amicitiae cum Deo, quia est rationalis: est capax fruendi Deo, quia est rationalis: & similiter de illis proprietatibus humanis specificis, quæ in quarto modo conveniunt homini. At impenetrabilitas sic se habet respectu illarum trium proprietatum certarum, & non è converso. Probatur tametsi actualitas extensionis, divisionis, & mensurationis activæ, ac passivæ, quæ conveniunt huic chartæ, proveniant ex aliis principiis; Verum tamen mensurabilitas utralibet, divisibilitas, & extensibilitas, aptè, ac legitimè proban-

tur

tur per unam impenetrabilitatem . Nam eo ipso, quod partes hujus chartæ sint reciproce impenetrabiles, non possunt esse in eodem penitus loco : ergo eo ipso si sunt in rebus , & sunt continuæ, debent esse unæ extra alias : ergo eo ipso debent esse extensæ quoad locum : ergo hæc extensio nascitur , seu bene probatur à priori per impenetrabilitatem . Rursus eo ipso , quod extensæ sint , atque penetrationi cum ferro , v. g. resistant , sed non invincibiliter , possunt per ferrum dividi physicè , & invicem separari : ergo &c.

59. Item eo ipso, quod extensæ sint possunt esse mensura ad cognoscendum longitudinem , latitudinem , ac profunditatem aliarum chartarum : necnon possumus metiri ipsius longitudinem , latitudinem , ac profunditatem per instrumentum aliud : ergo divisibilitas , ac mensurabilitas utraque hujus chartæ bene probantur ex illius extensione : ergo si hæc resolvitur in impenetrabilitatem harum partium, sequitur, quod omnes hæ tres proprietates quantitatis nascantur , sive probentur à priori ex impenetrabilitate : sed hæc non probatur legitimè à priori per illas . Nam potest Deus ponere in hac aula seriem longam Angelorum , vel animarum separatarum , itaut unusquisque spiritus sit in loco distincto , sed contiguo . In qua hypotesi ea series haberet extensionem in ordine ad locum , & esset per Deum divisibilis , ponendo alibi unam medietatem illius seriei ; & insuper longitudine illius seriei , quæ poterat esse visibilis à nobis , poteramus metiri aliam longitudinem , & alia longitudine possemus metiri illam seriem , & tamen neutra series haberet impenetrabilitatem : ergo hæc est prima radix , seu origo logica proprietatum quantitatis : ergo est differentia specifica propriissima illius : ergo per illam bene definitur quantitas . Quæ objici possunt, solvimus inter explicandum hanc definitionem .

§. III.

60. **H**inc apparet quisnam sit effectus formalis quantitatis . Duplicem effectum formalem solent agnoscere Philosophi . Unum vocant *positivum* , & *primarium* , nempe *totum* illud , sive *complexum* , quod resultat ex subjecto capace , & forma ei proportionatè unita . Unde effectus formalis positivus , & primarius albedinis est *album* ; caloris, est *calidum* : Sanctitatis est *sanctum* . Sed oportet , quod subjectum sit capax , & forma sit capax respectu illius subjecti , & unio sit proportionata ; aliquo enim ex his deficiente ,
non

non erit effectus formalis positivus, v.g. quamvis gratia sanctificans, aut intellectio divinitus uniretur huic chartæ, hæc non esset intelligens, nec sancta formaliter, & hæres gloriæ: quia charta hæc, ut potè subjectum irrationale, non est capax illorum effectuum formalium . Similiter quamvis intellectiones , & volitiones , quæ sunt in alio , tibi unirentur divinitus , non idèd esses intelligens, aut volens illis, quia licet aliundè sis capax intelligendi, ac volendi , illæ tamen non sunt capaces faciendi intelligentem , aut volentem , nisi subjectum, cujus sunt actiones vitales , & immanentes , ut suo loco dicitur . Similiter visio corporea physicè unita oculis , non reddit hos visos , sed videntes ; quia licèt visio sit capax denominandi visos oculos , & hi sint capaces , ut denominentur visi ; unio tamen physica , & intrinseca visionis cum oculis non est proportionata , sed potiùs improporcionata , ut illos denominet visos , nam visio debet esse extrinseca objecto viso .

61. Alterum vocant effectum formalem *negativum* , & *secundarium* , & est expulsio formæ contrariæ, si præcessit, in illo subjecto, vel impedimentum , ne illud occupet . Unde effectus formalis negativus , & secundarius albedinis est *non esse nigrum* , formæ vitæ est *non esse cadaver* , sanctitatis est *non esse peccatorem* . Inter utrumque est discrimen : 1. Quod nec divinitus potest suppleri forma pro effectu formali positivo : quia nec divinitus potest dari album sine ulla albedine, idèd *totum* sine suo constitutivo . Potest verò suppleri pro illo, quod esse poterat effectus formalis negativus : quia sine albedine potest subjectum non esse nigrum . 2. Quod posita forma capace in subjecto capace , & modo proportionato non potest adhuc divinitus impediri effectus formalis primarius positivus : sicut posita materia , forma & unione non potest deficere compositum, quia quodvis, dum est, necesse est esse . Potest autem impediri effectus formalis negativus, & secundarius etiam in sensu composito illorum omnium juxta opinionem satis probabilem docentem: posse Deum conjungere in eodem subjecto duas formas physicè oppositas , v. g. summum frigus , & summum calorem , formam vitæ , & formam cadaveris .

62. Tertio effectus formalis negativus semper connectitur cum positivo ; quia licèt subjectum possit esse non frigidum , etiam quando non est calidum, & possit non habere peccatum etiam quando non habet sanctitatem loquendo in alia providentia ; tunc tamen non esset actù effectus formalis caloris , quod *subjectum non*

esset frigidum, siquidem aliunde quàm à calore proveniret, quod subiectum non esset frigidum: & ob eandem rationem non foret actu effectus formalis negativus sanctitatis, quod persona illa non esset peccatrix. Vel enim persona illa frueretur sanctitate; vel non. Si 1. ergo esset sancta, ergo daretur effectus formalis positivus sanctitatis. Si secundum, quo jure potest actu esse effectus sanctitatis non existentis in illa persona, quòd persona illa non habeat peccatum? Potest ergo citra violentiam propriam dari sine aliqua forma id, quod aliàs potest esse effectus formalis negativus illius, ut numero antecedente insinuabamus, at non potest esse actu effectus illius. Cæterùm effectus formalis positivus semper connectitur ex se in actu primo (quamvis connexio possit divinitus violari, ut nuper dicebamus) cum effectu formali negativo secundo; unde non potest citra violentiam carere illo; nam licet possit poni forma in subiecto, quin expellatur contraria, eo quòd hæc non præcesserit in subiecto illo, vel eo quòd Deus illam miraculosè conservet; atamen calor v. g. intensus semper ex sua natura est connexus cum expulsionem frigoris intensi, si præcessit, item cum eo, quòd non conservetur in illo subiecto, & demùm cum eo, quòd in illo non introducatur.

63. Dicimus ergo effectum formalem positivum, & primum quantitatis esse *impenetrabile*: quoniam omne, cujus effectus formalis in hoc sensu est *quantum*; est, cujus effectus formalis in hoc sensu est impenetrabile: per hoc enim definimus illud, definitum autem, & definitio sunt termini convertibiles. At effectus formalis positivus, & primum quantitatis est *quantum*, sicut effectus formalis positivus, & primum albedinis est *album*, nempe quia ejusmodi effectus est totum illud, sive complexum, quod resultat ex forma capace, & subiecto capace unitis modo proportionato: ergo. Effectus verò formalis negativus, & secundarius quantitatis est, quod, nec ipsa, nec ipsius partes, si aliqua fuerint, sint in loco, in quo est alia quantitas; quia licet hoc sumptum in actu secundo consistat formaliter immediatè, partim in ubicatione, seu præsentia, partim in carentiis aliarum ubicationum; id tamen, quod suapte natura determinat hanc chartam, & ipsius partes ad unas ubicationes, & carentias aliarum, est quantitas hujus chartæ, quamvis hæc determinatio possit aliundè quoque haberi, ut diximus paulò ante: non enim est novum, quòd idem effectus, quoad speciem possit haberi ex diversis titulis. Sic quamquam subiectum non esse summè frigidum

dum consistat formaliter immediatè in carentia frigoris summi: hæcque carentia possit aliundè haberi, quàm ex summo calore, hoc non impedit, quòd subiectum non esse summè frigidum, non sit etiam effectus formalis negativus, secundarius summi caloris.

64. Hinc si Deus miraculosè uniret Angelo quantitatem mollis, sicut Angelis nequam, animabusque damnatis unit qualitatem, qua verè ardent, verè comburuntur igne corporeo. Angelus tunc, & pro tunc foret quantus ac impenetrabilis cum alia quantitate, cum rebusque existentibus cum alia quantitate (extrinsecè sanè, ac contra suam naturam,) quia licet non habeat naturalem capacitatem ad has denominationes, eo quia est Spiritus; attamen habet capacitatem obedientialem: quemadmodum licet non habeat capacitatem naturalem ut torréatur, ut comburatur, ut ardeat igne materiali, habet tamen capacitatem obedientialem, quam cum non habeat lapis ad ratiocinandum, aut volendum, ideo nec vellet, nec ratiocinaretur, tametsi Deus illi uniret tuos discursus, aut volitiones; non tamen propterea foret, castigatè loquendo, *Corporeus*. Tum quia anima nostra dum est in hoc corpore verè est impenetrabilis cum saxo, cum hac charta, &c. verè item ac simpliciter torquetur igne, aut alijs instrumentis materialibus immediatè exercentibus suas vires supra corpus, & tamen non est corporea adhuc dum est in hoc corpore. Tum maximè quia, ut mox dicemus, quidditas corporis stat in eo, quòd res *ex sua natura* habeat intrinsecam unionem cum quantitate tanquam cum termino, sine quo naturaliter existere nequeat. At neque Angelo illi subjacenti quantitati, nec animabus nostris clausis in hoc corpore, convenit hic conceptus, licet conveniat extrinseca impenetrabilitas, & tortura dicta: ergo &c.

§. IV.

65. **EX** Doctrina data inferitur solutio quæstiuncularum quinque. 1. *An quantitas distinguatur à substantia, sed à materia prima?* Respondetur affirmativè tum ob paritatem gravitatis, levitatis, caloris in igne, frigoris in aqua, & similibus rerum, quas experimur in corporibus, & quæ distinguuntur realiter à substantiis, quibus insunt, à quarum classe non est, cur excipiamus quantitatem. Tum maximè propter vetustum argumentum, cui multæ pulchræ solutiones; solida verò nulla forsan datur; omne

realiter separabile à substantia, realiter distinguitur ab illa, sed quantitas panis, & vini, & aquæ huic mixtæ in calice realiter separatur ab his substantijs; quoniam post horum consecrationem non perseverant hæ substantiæ, quippe est de fide transubstantiatio in corpus, & sanguinem Christi Domini; & tamen perseverat quantitas earundem, siquidem omnia illa accidentia restant impenetrabilia, sicut prius cum digitis, & ore fidelium: ergo. Respondebis. 1. Restare impenetrabilia ratione divini decreti statuentis, ne penetrentur, ut mysterium Eucharisticum sit magis occultum. Contra: Non est necessarium istud novum miraculum ad occultandum mysterium satis ex se arcanum, quod præscindendo ab isto novo titulo vocat Tridentinum: *Mirabilem illam, & singularem conversionem totius substantiæ, &c.* Præterea iste recursus ad divinum decretum impediens penetrationem, excogitatus videtur ad tuendum positum sine speciali fundamento, & similiter dici poterat non perseverare ibi gravitatem, sed cadere illa accidentia ob divinum decretum de eo, quod non maneat pendula in aere. Et effectus naturales non oriri ex causis, quas videmus, sed ex divinis decretis. Non decet dicere omnia, quæ sine evidente falsitate dici possunt.

66. Respondebis 2. Manere impenetrabilia ratione præsentiaæ quantitatis, quæ fuit. Sed contra. In primis si ibi deficit quantitas, certè ibi non datur præsentia ipsius. Nam quidquid non est in rebus, nullibi est præsens. Deinde, quod prius ibi fuerit præsens quantitas, non facit, quod tunc accidentia illa, seu illa moles sit impenetrabilis. Sicut quod homo prius fuerit Sanctus, non facit, quod Sanctus sit, quando peccat graviter. Quod prius habuerit frigus non facit, quod frigidus sit, quando comburitur, &c. Resp. 3. Manere impenetrabilia ratione novæ quantitatis de novo productæ. Prima enim utpotè identificata cum substantia panis annihilata fuit cum illa. Sed contra. Satis violentum, & sine speciali fundamento videtur hoc. Et idem poterat dici de gravitate, de albedine, de figura, aliisque accidentibus, nimirum illa omnia deficere, & nova alia produci per Deum similia prioribus. 2. Quia saltem habebimus jam non omnem quantitatem identificari cum substantia, nempe istam, quam de novo produci dicitis. Quamobrem rationabilius, & simplicius dicendum videtur cum Thomistis, contra Nominales, in Eucharistia perseverare eandem quantitatem, quæ prius erat cum illis substantijs, quæ convertuntur in Corpus, & Sanguinem Christi Domini, & hanc eandem penetrari cum Corpore, & San-

Sanguine ipsius, quod corpus, cum jam sit gloriosum, mirum non est, quod cum dotibus incorruptibilitatis, & agilitatis fruatur dote subtilitatis, & penetrabilitatis. Item illam eandem quantitatem perseverare, quando corruptis accidentibus illis, generantur de novo vermes, qui sunt utique impenetrabiles. Et illam eandem quantitatem esse subjectum, in quo recipiuntur omnia Eucharistica accidentia, & demum illam, cum suapte natura deberet produci per eductionem, produci in instanti, in quo absolvitur forma consecrationis, per creationem, & sic conservatur; quandoquidem, nec habet pro subjecto, in quo recipiatur, Corpus Domini, nec aliud apparet proportionatum: creata verò de novo materia illa prima, ex qua fiunt vermes, in illa recipitur ea quantitas, quæ prius existeret per creationem. Unde si tunc deficeret, de repente deficeret per corruptionem. Si prius quando erat Corpus Christi Domini sub eis accidentibus, deficeret per anihilationem, sed de his fufius, quando probemus existentiam qualitatum, aliorumque accidentium distinctorum à substantia: nempe in Physica speculativa Disp. 3.

67. Quæstio 2. An individuatō, hoc est distinctio purè numerica individuorum sumatur à quantitate, sive à materia affecta per quantitatem. Semel & iterum, diximus unam quamque rem individuum identificari cum sua differentia individuali, & per semetipsam distinguere ab omni eo, à quo distinguitur: cumque differentia individualis aliorum individuorum (distinctorum utique ab ipsis individuis quantitativis,) sit distincta ab his: palam sit, quod licet distinctio intrinseca, & coram Deo individuorum, quæ sint ipsæ quantitates, consistat in his eisdem quantitativis, distinctio verò intrinseca coram Deo aliorum individuorum, de quibus solis loquimur modò, non consistet in quantitate.

68. Distinctionem autem sensibilem, & quoad nos, non quidem speculativam, qua novimus, v.g. Angelum A. non esse Angelum B.; sed practicam, ita ut clarè discernamus unum individuum ab altero, pendere diximus à quantitate saltem plerumque; quia illa stat formaliter immediatè in diversitate accidentium sensibilium, & notarum externarum, quas depræhendimus in uno, & in altero individuo, quæ externa, sensibiliaque accidentia distincta, si non adsint, nequibimus esse practicè certi de eo, quod sint individua distincta, ut contingit, quando loco unius pomi clauditur aliud prorsus simile. Sed hæ notæ externæ, sive accidentia,

tia, utpotè materialia pendent à quantitate: ergo hæc distinctio individuorum stat formaliter in aliquo pendente à quantitate: ergo, ipsa pendet à quantitate, sive à materia affecta per quantitatem.

69. Objicies. Vel loquimur de illo, à quo pendet ob intimam connexionem cum illo distinctio individualis, vel de illo, in quo illa stat formaliter immediatè. Si 1. Tam connectitur cum quantitate, pendetque ab illa distinctio intrinseca coram Deo, quàm distinctio extrinseca, & coram hominibus. Sicut enim accidentia hujus chartæ non possunt sine miraculo separari ab omni quantitate; ita neque differentia individualis Petri, & Pauli. Si secundum; tam non consistit formaliter immediatè in quantitate distinctio extrinseca, & quoad nos, quàm distinctio intrinseca, & coram Deo, quia illa stat formaliter in his externis accidentibus: v.g. diversi coloris, diversæ figuræ, diversæ præsentia, & similibus, quæ omnia distinguuntur à quantitate: ergo immeritò pro re præsentem recurrimus ad illam quasi reflexam distinctionem inter distinctionem intrinsecam coram Deo, & distinctionem extrinsecam coram nobis, si quidem æquè est una, & altera pendens, & independens à quantitate.

70. Negamus hanc consequentiam ob duas disparitates. 1. Quia licet multæ differentia individuales, nimirum rerum corporearum, intimè connectantur cum quantitate: sed non omnes, nimirum differentia individuales rerum spiritualium, v.g. Angelorum, animarum rationalium, intellectuum, voluntatum, cogitationum, amorum, odiorum &c. cum tamen omnia penitus accidentia externè sensibilia, quibus discernimus unum individuum practicè ab altero, pendeant à quantitate per intimam connexionem cum illa; quia omnia penitus accidentia illa sunt corporea, & materialia. 2. Quia interdum ea distinctio individualis sensibilis, & quoad nos stat formaliter immediatè in sola quantitate diversa præscindendo à diversitate aliorum accidentium. Nam pone duo individua profus similia in alijs profus accidentibus externis, & dumtaxat dissimilia in quantitate, quatenus unius quantitatem, præscindendo à præsentia, forma, & figura, aliundè deprehendimus esse longè majorem, aut longè minorem. Certè id nobis sufficeret ad discernendum illa esse invicem distincta. Distinctio autem intrinseca individuorum distinctorum ab ipsis quantitatibus individuis nunquam stat formaliter immediatè, nisi in ipsis differentijs individualibus: ergo quoad rem præsentem est disparitas inter distinctionem individua-

vidualem intrinsecam, & extrinsecam: ergo jure distinximus inter unam, & alteram.

71. Objicies 2. Individua ejusdem speciei non possunt distinguui essentialiter, quia cum habeant eandem definitionem, habent eandem essentiam: ergo solum possunt distinguui materialiter; sed distinctio materialis pendet à materia: ergo ab hac pendet distinctio, qua distinguuntur duo individua. Distinguo antecedens, non possunt distinguui essentialiter physicè; nego: (quia physicè ex parte rerum Judas non est S. Petrus, unde essentia individua Judæ non est individua essentia Petri) essentialiter logicè; concedo, & distinguo primum consequens, solum distinguuntur materialiter logicè concedo: quia cum definiantur per eandem definitionem, ac sint ejusdem speciei, non distinguuntur in consideratione logica: materialiter physicè; quatenus distinguuntur per illud, quod Physici vocant materiam; nego consequentiam ob rationem nostræ conclusionis, nimirum unamquamque rem ex vi solius suæ essentia habere formaliter immediatè identificari cum eo, cum quo identificatur, & distinguui coram Deo, ab eo, à quo distinguitur: & distinguo minorem; Distinctio materialis physica pendet à materia; concedo: logica; nego, & similiter ad reliqua. Committitur in hoc argumento transitus ex materia strictè tali, nempe quam Physici vocant materiam primam, & de qua procedit præsens disputatio, ad materiam metaphoricè, & improprie talem, nempe prout contraponitur speciei. Hic autem transitus non licet, quoniam in rebus purè spiritualibus non habet locum materia prima Physicorum, & habet locum materia in sensu Logicorum.

72. Quæstio tertia. *An quantitas sit modus?* Resp. negativè, sicut neque gravitas, neque levitas, neque albedo sunt modi in sensu philosophico, licet in vulgari modo loquendi possint vocari modi, quibus sunt res, ut etiam sanitas, morbus, honor, dedecus, & similia solent vulgo vocari modi, quibus se habent personæ: Probatur 1. Ratione Thomistarum contra Nominales: Nil realiter separabile à substantia, est in sensu philosophico modus illius, quia omnis modus est essentialiter connexus cum re, cujus est modus, v.g. unio Physica cum extremis, quæ unit, præsentia corporis cum ipso corpore &c. At quantitas substantia panis, & vini est realiter separabilis ab eis substantijs, ut argumentabamur nuper ex Eucharistia: ergo &c.

73. 2. Modus in sensu philosophico est illud, quod est absolutum,

tum, actuale, formale; & immediatum exercitium subeundi aliquam denominationem ex eis, quæ ex genere suo non identificantur adæquatè cum rebus denominatis, ut denominatio *identificati realiter*, ex genere suo identificatur cum extremis, quæ identificantur: & denominatio *distinctorum realiter*, ex genere suo identificatur cum ipsis rebus, quæ realiter distinguuntur; ergo quidquid non est id generis, non est modus in sensu philosophico. At quantitas molis non est exercitium absolutum, actuale, formale, & immediatum subeundi illius speciei denominationem: quia non est actuale exercitium subeundi denominationem *quanti*, *Impenetrabilis*; sed forma constituens hanc denominationem: exercitium verò istud stat in unione quantitatis cum subjecto, quod denominatur quantum, sicut albedo non est actuale exercitium subeundi denominationem *Albi*, sed forma constitutiva hujus denominationis; exercitium autem illud est actualis unio albedinis cum subjecto, quæ unio distinguitur ab ipsa albedine: ergo. Quod si dixeris quantitatem esse ipsam unionem sui cum substantia, eo quòd non sint multiplicandæ uniones sine necessitate. In primis videtur res ad libitum dicta. Deinde idem poterit dicere alius de hac albedine, de calore, qui est in ipso igne, & de plerisque alijs formis accidentalibus, defendendo illas esse entitates modales, quia per se formaliter immediatè uniuntur subjectis, eo quòd non sint multiplicandæ entitates sine necessitate. Præterea, quia de ratione unionis physicae est, quòd sit vinculum nectens inter se *duo alia* extrema, ut contingit in omnibus alijs, quæ certò sunt uniones physicae: quæ autem sunt illa duo alia extrema, quæ inter se unit quantitas? ergo dicere, illam esse unionem sui ipsius cum substantia, videtur incongruum. Denique, quia ratione illa sumpta ex Eucharistia constat, quantitatem non esse unionem sui ipsius cum substantia, siquidem hac deficiente illa perseverat.

74. Hinc habes quòd quamquam res significatæ per multa adverbia, soleant vocari *modi*, v.g. *velociter*, qui videtur modus currèndi, *sapienter*, qui videtur modus ratiocinandi, *sanctè*, qui videtur modus vivendi &c. Ast non sunt modi in sensu philosophico, quia sanctitas v. g. siue sumatur pro gratia habituali, siue pro operationibus rationi consentaneis, certè non est entitas modalis in sensu philosophico; sed absoluta. Sunt igitur modi tum in communi loquendi modo; tum in sensu logico, quatenus significant speciem alicujus generis, de quo est sermo. Cursus enim in genere potest esse *velox*, vel *tardus*. Illud *velociter* significat speciem illam primam,

nam. Operatio, aut modus vivendi potest esse probus, aut improbus. Illud *sanctè* significat primam illam speciem: & in hoc sensu rationale etiam, & reliquæ differentiae specificæ possunt vocari *modi*, seu *modificationes* prædicati generici. Sed fugere ad hoc in re præsentem, quæ non est logica, sed physica, est mera fuga, & extra casum præsentem.

75. Quæstio quarta. *An homo sine quantitate possit se localiter movere?* Resp. negativè, licet enim posset se movere ab intrinseco motu vitali sentiendi, crescendi substantialiter, cognoscendi, & amandi, supposito miraculo, quòd sine quantitate adhuc viveret. Item licet posset moveri localiter etiam, sed ab alio. Item licet à sua intrinseca gravitate posset moveri localiter deorsum, & subito moveretur: & demum licet adhuc retineret virtutem loco motivam progressivè, radicalem, & remotam, utpotè secum identificatam; non tamen virtutem movendi se ipsum progressivè localiter proximam, & expeditam. 1. Quia illico rueret in terram, & tota compago corporis dissolveretur: eatenus quippè homo stat, quatenus vel pedes, vel tibiæ resistentes penetrationi partium corporis superiorum, impediunt earumdem casum: vel quatenus vitalis vigor utens nervis, tanquam instrumentis retinet sublimem corporis molem: ergo quoties ambo hæc deficerent, homo illico rueret in terram. At quoties privaretur omni quantitate hæc duo deficerent: quoniam pedes, & tibiæ non resisterent penetrationi partium superiorum sua gravitate (quæ distincta est à quantitate) ruentium. Neque vitalis vigor posset nervorum usu retinere sublime corpus, quia, ut hoc faciat necesse est, quòd alicubi figat vestigium (ut constat experientia, quando vestigium fallit, & pedes labuntur) nullibi autem posset figere vestigium, quia hæc fixatio consistit in eo, quòd terra, vel corpus aliud resistens penetrationi cum pedibus, vel alia parte humani corporis, eam firmet: quòd non posset contingere tunc, siquidem terra, v.g. statim admitteret intra suum locum illam partem corporis, utpotè non habentem ullam impenetrabilitatem, siue quantitatem: ergo &c.

76. Et hinc probatur. 2. Motus progressivus localis corporum, non aliter fit, quàm imprimendo impulsus in una parte loci, & sic transeundo in alteram; quamvis enim spiritus specie apparentes corporali non sic soleant moveri progressivè, nempè dimotis, & transpositis pedibus, sed motu continuo, & æquali, quòd non latuit eum, qui dixit, & *vera incessu patuit Dea*. Item quamvis corpora

dam moventur sursum per suam levitatem, aut deorsum per suam gravitatem non imprimant hunc impulsam. Nec quando per alienum impulsam moventur progressivè. Cæterum quando ipsa se movent progressivè non aliter id faciunt, quam imprimendo impulsam, sic incedunt homines, & terrestria animalia per terram; sic volant aves imprimendo impulsam in aëre, sic natant pisces, imprimendo impulsam in aqua; & quando impulsam hunc imprimere non valent, nec moveri progressivè possunt, & hac de causa, nequit homo incedere per aërem, quia hic statim cedit ponderi, & impulsam sufficientem pati non potest. Tunc sic: ergo quoties homo non posset imprimere hunc impulsam in terra, vel in aqua, vel in aëre, nec posset moveri progressivè à se, nec posset natare, nec posset volare. At quoties careret quantitate nullum impulsam ex his posset imprimere, quia illud aliud corpus minimè resisteret, sed intra proprium locum admitteret corpus humanum, quippè quod non haberet ullam quantitatem: & resistentia terræ, aeris, & aquæ solum est contra aliam quantitatem, & contra illa quæ habent aliam quantitatem: ergo &c.

77. Hinc homo ille non posset equitare, quia illico penetraretur cum corpore equino; neque navigare, quia illico penetraretur, si ponderi permetteretur suo cum fundo navis, & cum aqua. Neque remigare, quia neque pedibus, neque manibus posset imprimere impulsam in trireme, neque suspendi, aut decapitari, quia subito cum ipso penetraretur gladius, & funes; neque fuste, gladio, globo, aut alio simili tundi, quia hæc instrumenta subito penetrarentur cum illo corpore: ergo non invenirent in eo resistentiam: ergo plagam non inferrent. Posset tamen torreri, ac comburi, si miraculosè perseverarent aliæ qualitates distinctæ à quantitate, quia ignis, & similia agentia non indigent resistentia impenetrabilitatis passivi ad operandum; ergo quamvis in illo corpore non esset ulla quantitas, posset torreri, & comburi: similiter si non esset quantitas non audiretur ullus sonus, fragor, aut sibilus, quia hæc omnia indigent collisione unorum corporum cum alijs. Talis autem collisio non daretur, quia nullum resisteret alij, sed statim cum illo penetraretur si accederet ad proprium locum. Hinc 2. quantitas passivi est immediatè, ac directè prærequisita ad multas operationes agentis; sed non ad omnes, nisi tantum mediatè, ac indirectè, quatenus est terminus naturalis connexionis aliarum qualitatum, quas agens prærequisit in passo.

78. Quæstio quinta. An corpus sine quantitate redigeretur ad punctum? cum enim quantitas sit radix, & origo extensionis, illa deficiente deficeret hæc; quoniam ablato priore aufertur posterius. Respondeo. Aliud est quod illud corpus protinus redigeretur ad punctum. Aliud quod redigi posset. Hoc secundum est verum ob istam rationem, partes namque illius corporis non obstarent sibi invicem, quoad existentiam in eodem puncto loci: ergo quatenus est ex parte ipsarum possent coire in eodem puncto omnes. Illud primum est falsum, quia cum extensio, idest quod unaquæque pars occupet diversam partem loci, stet formaliter immediatè in præsentis ipsi, & hæc possint perseverare deficiente quantitate, quamvis habeantur ex illius determinatione, sicut calor, & multa alia, effecta possunt durare etiam post defectum suarum causarum, cum quibus non connectuntur essentialiter: idcirco necesse non est, quod deficiente quantitate, protinus deficiant illæ præsentis, & partes omnes illius corporis illico ad unum, & idem punctum contrahantur: ergo possent perseverare cum eadem extensione, quam prius habebant, donec per aliquam causam extrinsecam propellerentur ad idem punctum: quapropter si Deus de repente adimeret homini omnem quantitatem, ille posset perseverare cum eadem figura, (non tamen stando) quam antea habebat. Item cum eadem longitudine, & latitudine; non tamen profunditate: quia partes superiores protinus penetrarentur cum inferioribus, ruentes pondere suo naturali. At ubi primum ab alio moveretur, unæ partes penetrarentur cum alteris, unione rescissa per naturalem gravitatem, & corpus careret figura priore.

§. V.

79. Jam quod attinet ad species quantitatis strictè talis, idest impenetrabilitatis quoad locum, quatuor vulgò numerantur species illius. Una est *indivisibilis* juxta compositionem continui, quam in Physica dant multi. Indivisibilia enim puncta, ajunt, quantitatis hujus chartæ verè sunt impenetrabilia cum alijs punctis indivisibilibus alius quantitatis. Altera est *divisibilis*, ut quantitas tota hujus chartæ. Hæc est duplex: una est quantitas *continua*, nempe cujus partes actu sunt unitæ, ut unitæ sunt partes hujus chartæ, quæ idcirco habet quantitatem continuam. Altera vocatur *quantitas discreta*, scilicet cujus partes non sunt actu unitæ, quamvis sint

sibi contigua quoad locum, ut esset quantitas hujus ejusdem chartæ, si postquam divideretur in varias particulas, hæc postea ponerentur unæ juxta alias.

80. Hæc quatuor species communiore videntur. Aliæ non ita. Nam licet partes temporis, quippe quæ sunt essentialiter successivæ, non possint penetrari in eodem puncto temporis, possunt tamen in eodem puncto loci, ut actu penetrantur durationes materiæ primæ, atque animæ rationalis hominis ejusdem, quæ durationes sunt tempus intrinsecum: ergo non sunt impenetrabiles impenetrabilitate propria quantitatis molis, de qua sola agimus nunc. Rursus partes motus firmamenti, qui motus vocatur tempus *extrinsecum*, non possunt sanè penetrari in eodem loco; sed hoc non provenit ex intrinseca resistantia, qua una obstat ingressui alterius: sed ex eo quod partes illæ motus trahunt secum essentialiter diversas successivas præsentias rei, quæ movetur transeundo de uno loco in alium. Hæc autem præsentia, utpotè essentialiter affixæ locis diversis, vel realibus, vel possibilibus tantum (quæ vocantur spatium imaginarium,) nequeunt conjungi in eodem loco: ergo neque illæ partes motus sunt strictè quantitas molis: ergo neque tempus intrinsecum, neque extrinsecum sunt quantitas molis: Et quidem Angelus est capax utriusque temporis, quin sit capax quantitatis molis.

81. Locus item formaliter ut talis, idest attenda sola ratione loci, ac præscindendo ab eo, quod sit superficies, aut præsentia ipsius quantitatis, non est propriè quantitas molis. Quoniam locus *intrinsecus*, sive ubi, sive ubicatio nil aliud est ex parte rerum quàm præsentia, qua fungitur quælibet res existens. At præsentia ex ratione præsentia non habet esse quantitatem molis, tum quia Angelus, & anima rationalis habent præsentiam, & non habent hanc quantitatem: tum quia impotentia coeundi in eodem loco non provenit ex intrinseca resistantia unius contra ingressum alterius, sed ex eo, quòd unaquæque sit essentialiter affixa diverso loco, ut nuper dicebamus, tum quia impotentia, ut duæ res habeant præsentiam in eodem loco, non provenit formaliter immediatè ex ipsis præsentijs, sed ex diversis quantitibus molis, quas supponuntur habere illæ res: ergo &c.


82. Locus autem *extrinsecus* est ultima illa superficies, qua unum corpus circumdat rem aliam adæquatè, vel saltem inadæquatè, ut vasis concavitas circumdat aquam, quæ hac de causa
dicitur

dicitur esse in eo loco. Hujus superficiæ ratio non postulat esse impenetrabilem, (tamen de facto impenetrabilis sit, quia de facto omne corpus habet quantitatem, & superficies est ultima pars illius corporis versus latus illud,) nam etiam si Deus detraheret quantitatem molis ab illo vase, & illud conservaret miraculosè cum illa eadem figura concava, sine penetratione cum aqua, poterat continere hanc: ergo esset locus extrinsecus hujus: ergo locus extrinsecus præcisè ut talis non postulat impenetrabilitatem intrinsecam: ergo non est quantitas molis. Et multò minùs locus extrinsecus, seu spatium imaginarium, quia hoc nil aliud est, quàm alia, & alia, & alia corpora, quæ sunt possibilis ultra supremum Cælorum, illud undique complectentia, sicut illud complectitur nos. Quæ corpora, cum non sint in rebus, neque sint essentialiter quanta, non sunt ex se impenetrabilia, sed possunt esse, & possunt non esse.

83. Denique numerus non semper est quantitas molis. Nam ceterè in Deo datur numerus Personarum, siquidem sunt tres Personæ Divinæ. Item datur numerus Angelorum. Et tamen neque in Deo, neque in Angelis datur quantitas molis: ergo non omnis numerus est quantitas: ergo probabiliores species hujus sunt duntaxat illæ quatuor initio explicatæ. Tempus autem, locus, & numerus non sunt ita certæ species quantitatis, quamvis ad speciem aliam quantitatis reduci possint ut salvetur Philosophi autoritas recensentis illas inter species quantitatis, sed nos loquimur in præfenti de sola quantitate molis.

CAPUT TERTIUM.

Quid sint Corpus, & Spiritus.

84.  Djungamus hæc, quia resolvenda sunt per principia proximè data. Duobus modis intelligi potest aliquid esse *Corporeum*. 1. Formalitèr, primariè, ratione sui, & ratione cujus cætera, quæ dicuntur, & verè sunt corpora, corpora sunt. Talem putamus solam quantitatem. 2. Reductivè, secundariè, ac ratione alterius, non quia non sint verè intrinsecè in se ipsis corpora, seu corporea; sed quia ratio, ob quam sunt intrinsecè corpora, est, quia intrinsecè dicunt specialem aliquem ordinem mox explicandum

dum ad aliud v. g. ad quantitatem molis, idest ad quantitatem impenetrabilitatis.

85. Corpus itaque prout ambo hæc complectitur videtur sic definiendum, *Ens proximè ratione sui formaliter impenetrabile, vel adeo intrinsecè connexum cum illo tanquam cum termino intrinseco unionis immediatè, aut mediatè, ut sine miraculo non possit separatim esse ab illo.* Ne mireris pluralitatem, aut disiunctionem vocum. Tum quia non suppetunt voces ita præcisæ, ac castigatæ sicut sunt illæ, quibus vulgo definimus hominem. Tum quia si per duo sola verba daretur definitio modo aliàs solito, ebullirent dubiola, & captiunculæ plus solito. Spiritus è contrario est *Ens, quod neque formaliter ratione sui est impenetrabile, neque ita connectitur cum alio tanquam cum termino intrinseco unionis, ut nequeat separari ab illo sine miraculo.* Probantur ambæ definitiones. Definitio corporis explicans, quod protinus apprehendimus, quando corpus audimus, & quod omni, ac soli corpori convenit. Item definitio spiritus explicans, quod apprehendimus simul, ac spiritum audimus, quodque convenit omni, & soli spiritui. Hujusmodi, inquam, definitiones sufficientes sunt. At tales sunt hæc duæ.

86. Nam in primis statim ac audimus *Corpus*, apprehendimus molem quamdam, seu vastitatem, (tametsi sit parvula valde quoad oculos,) per se ex natura sua obfistens, vel proximè, vel saltem radicaliter, ac remotè, ne aliud corpus ingrediatur proprium locum, quod obstaculum, sive resistentia est impenetrabilitas illa quam explicuimus per totum caput antecedens, quæ tota explicatio huc revocanda est, & hùc tota repetenda. Et ex hac impenetrabilitatè nascuntur cæteræ proprietates corporis, ut corporis, ut ibi probavimus. Similiter ubi primum audimus *Spiritum*, apprehendimus rem quamdam tenuissimam, ac subtilissimam se se potentem insinuare, ac penetrare cum alijs, & hac de causa subtilissimus arteriarum sanguis, licèt verè sit corporeus, licentia vulgari dicitur *Spiritus*, nempè ob suam subtilitatem, ac quasi penetrabilitatem. Item quia ventus inter omnes res corporeas est subtilissimus, idcirco quàmvis verè coram Deo sit corporeus, ab ipso Deo solet vocari in scripturis spiritus. Item quia Apostoli viderunt Christum Dominum post resurrectionem, *cum fores essent clausæ*, ingressum fuisse, *existimabant se spiritum videre*, ad quam sinistram imaginationem arcendam usus fuit Dominus illis verbis: *Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet.* Non quia quiddi-

Joann. 20

Luc. 24.

tas,

tas, & definitio spiritus stet in palpatus, & visionis capacitate, quia indivisibile punctum quantitatis, saltem unitivum, quidquid sit de alijs, non est spiritus: & tamen incapax est utriusque humanitatis faciendi. Non item in carentia carnis, & ossium, quia hæc charta utroque caret, & non est spiritus; sed quia illa erant signa sufficienter indicantia modo inter homines solito, quidquid sit de scholasticis speculationibus, quas tunc non curabant Apostoli, esse corpus humanum illud, quod tunc videbatur, & consequenter non esse spiritum. Videtur ergo certum, penetrabilitatem, ac impenetrabilitatem esse id, quod primariè apprehendimus respectivè in spiritu, & corpore.

87. Deinde prima definitio convenit omni, & soli Corpori; secunda omni, & soli Spiritui. Probatur & simul explicantur ambæ. Omne corpus hætenus notum reducitur ad unam ex his novem speciebus. Nam vel est 1. *Quantitas* ipsa molis (de qua jam diximus esse, & quomodo esse impenetrabilem,) vel est 2. *Materia prima* de facto existens, & hæc licet non sit formaliter ratione sui proximè impenetrabilis; est tamen radicaliter, & remotè non utcumque, sed ratione talis connexionis cum quantitate ut termino intrinseco unionis, ut sine miraculo non possit orbari omni quantitate, aut assigna agens naturale creatum, quod possit hanc separationem facere: Vel est 3. *Forma substantialis materialis*, ut ignis, aquæ &c. aut anima brutorum. Et hæc omnes tam intimè sunt connexæ cum quantitate, tanquam cum termino intrinseco unionis physicæ, immediatæ, aut mediatæ, ut sine miraculo non possint existere absque omni quantitate, aut assigna agens naturale creatum, quod possit hoc facere, omnes quippè hæc formæ habent per se ab intrinseco hoc saltem, *uniri immediatè illi materiæ primæ*, quæ habet per se ab intrinseco immediatè quantitati uniri. Et quamquam non omne physicè connexum cum fundamento physicè connexo cum termino, sit physicè connexum cum hoc, *quando aliunde est huic metaphysicè repugnans*, ut metaphysicè repugnat calori efficacax decretum divinum conservandi sine calore ignem physicè connexum cum illo. Cæterum quando non aliunde constat de hac metaphysica repugnantia, omne physicè connexum connexione naturaliter inviolabili cum unione immediata ad aliquid physicè connexum simili connexione cum unione immediata ad quantitatem v. g. physicè connexum est cum unione mediata sui ipsius ad quantitatem connexione absolute inviolabili, sive ex una parte, sive

ex

ex altera. At omnes animæ, seu formæ aliæ materiales connexionē naturaliter inviolabili sunt connexæ cum unione immediata ad materiam primam, quæ simili connexionē est connexa cum unione immediata ad quantitatem, & ex alia parte formæ prædictæ non repugnant metaphysicè quantitati: ergo omnes illæ sunt connexæ connexionē absolutè inviolabili naturaliter cum unione mediata sui ipsarum ad quantitatem, sive inviolabilitas stet in una parte, sive in altera.

88. Diximus quippè disp. de rerum connexionē, & oppositio-
ne, quod huic rei potest videri oppositum, nempe rem connexam
physicè cum fundamento connexionis tantum physicæ non conne-
cti per se præcisè cum termino. Est verum. Nam modò materia
prima ornetur forma substantiali perindè se habet, sive illa ornetur
producta per creationem, sive per educationem. Hoc autem non
tollit, quod materia prima cum ultima dispositione ad formam
ignis, v. g. in tali statu sit, ut absolutè, ac simpliciter nequeat exi-
stere sine miraculo deficiente educatione illius formæ, sive hoc mira-
culum consistat in violentia illata ipsi materiæ primæ, sive potius in
violentia illata formæ ignis, quæ utpotè corruptibilis exigit produci
per educationem, & non per creationem sicut producit anima
rationalis. Hoc idem sufficit corporeitati. Nam eo ipso, quòd res talis
sit naturæ, ut absolutè, ac simpliciter nequeat existere absque mi-
raculo, si privetur unione sui mediata, vel immediata ad quantita-
tem, res illa est intrinsecè materialis, ac corporea, quoniam hæc im-
potentia in nullam rem spirituales cadit, ut exponimus.

89. Redeamus ad inceptam divisionem. Vel est. 4. Præsen-
tia, productio, unio physica, operatio, aut quivis alius modus phy-
sicus materiæ, aut formæ dictæ: & omnia hæc sunt verè materialia,
& corporea, quia suapte natura habent connexionem dictam cum
quantitate, tanquam cum termino intrinsecò unionis, saltem me-
diatæ: quandoquidem connectuntur cum materia, aut forma ipsis,
quæ suapte natura habent uniri cum quantitate, itaut absque mi-
raculo non possint carere illa: Vel 5. Est unio animæ rationalis
cum corpore, aut hypostatica unio Verbi cum sacrosancto Corpore
Christi Domini: & ambæ sunt materiales, & corporeæ, quia ambæ
suapte natura habent connexionem dictam cum materia prima ha-
bente connexionem dictam cum quantitate. Unde habes de facto
existentem substantiam corpoream, licet incompletam, intrinsecè
supernaturalem videlicet hypostaticam illam unionem. Vel 6.

Sunt

Sunt vitales operationes materiales animæ rationalis unitæ corpori,
quales sunt visio, auditio, ambulatio, & omnes aliæ sensationes
externæ. Item nutritio, idest productio unionis substantiæ alimenti
cum præhabita materia prima, & cum ipsa anima. Item sensationes
internæ, v. g. potentiæ imaginativæ, potentiæ appetitivæ. Omnia
hæc verè, & simpliciter sunt corporea, & materialia (non verò sen-
sationes internæ, quæ oriuntur ex intellectu, aut voluntate, de
quibus postea) quia omnia hæc connexionē dicta copulantur cum
materia prima, jam in una parte corporis, jam in alia, ubi scilicet
exercentur ab anima illæ functiones. Et materiã primã, sive quæ
est in oculis, sive quæ est in corde, ubi exercentur appetitus, &
timores materiales; sive quæ est in cerebro, ubi exercentur mate-
riales apprehensiones, sive imaginationes; omnes, inquam, hæc par-
tes corporis, seu materiæ primæ habent connexionem dictam cum
quantitate.

90. Vel 7. Sunt habitus, sive facultates, non quidem merè
negativæ consistentes in carentia difficultatum; sed positivæ, quæ
etiam solent inclinare hanc, vel illam partem corporis ad talem, vel
talem operationem, & hinc indirectè inclinare animam ipsam, v. g.
habitus loquendi, qui insidet linguæ, & hanc pronam reddit ad mo-
tum illum, quo formantur verba: habitus currendi, qui tibi arum
nervis insidere solet, & eos instigare ad velocitatem: habitus pro-
sequendi horrore cadavera, aut voluptate objecta alia, qui insidere
solent parti cerebri, ubi est phantasia; omnes hæc qualitates, seu
habitus (secus illi, qui sunt intellectus, aut voluntatis, & multò
minus characteres Baptismi, Confirmationis, & Ordinis, quia hi
in sola anima recipiuntur) sunt materiales, & corporei, quia omnes,
ut consideranti eos constabit, suapte natura recipiuntur, & uniu-
ntur illi, vel illis partibus corporis, quas faciles reddunt ad talem,
vel talem operationem, & illa, vel illæ partes corporis non possunt
absque miraculo carere omni quantitate.

91. Vel 8. Est corpus completum, sive viventis rationalis, ut
homo, sive viventis sensitivi dumtaxat, ut sunt bruta, sive viven-
tis tantum nutritivi, ut sunt herbæ, ac arbores; sive corpus com-
pletum rei non viventis, ut est saxum, hæc charta &c. & omnia hæc
sunt materialia, & corporea, quia omnia hæc intrinsecè, ac essentia-
liter constant materia prima: & hæc ita ex natura sua uniu-
ntur intrinsecè cum quantitate, ut nequeat carere illa sine miraculo: & hinc
apparet ratio, cur homo cum equè constet essentialiter spiritu, ac

corpore, potius sit corporeus, materialis, & impenetrabilis cum saxo, v.g. quàm spiritualis, atque penetrabilis. Item cur potius sit intellectivus ex titulo fruendi anima rationali, quàm irrationalis, licet essentialiter constet corpore, quod profectò incapax est ratiocinandi, & cum constet materia, & forma rationali, quæ duæ sunt ingenerabiles, incorruptibiles, & productæ per strictam creationem: & constet item unione ambarum, quæ unio producitur per generationem, & est corruptibilis; nihilominus homo ipse producatur per generationem, & non per creationem, sit corruptibilis, non verò immortalis, & incorruptibilis.

92. Ad assignandum has, & similes disparitates, oportet involare in quidditates ipsas, & definitiones rerum, atque ex illis eruere rationem disparitatis petitæ. Juxta præsentis definitiones, quas damus corporis, atque spiritus, rem esse corpoream, materialem, & impenetrabilem, stat formaliter in eo, quòd vel sit quantitas, vel talem habeat connexionem cum illa, tanquam cum termino intrinsecò unionis immediatæ, aut mediatæ, ut sine miraculo non possit absolutè existere sine illa. Esse verò spiritum, & consequenter penetrabilem stat in eo, quòd intrinsecè habeat, nec esse quantitatem, neque habere talem connexionem cum quantitate: ergo eo ipso, quòd res habeat illud primum, & non habeat hoc secundum, quibuslibet aliis non obstantibus, erit corporea, materialis, & impenetrabilis, & non erit spiritualis, aut penetrabilis. Nam ubicumque verificatur definitio, verificatur definitum, & ubicumque non verificatur illa, non verificatur hoc.

93. At quamvis homo æquè constet corpore, ac spiritu: imò propter hoc ipsum, & ex ipsis terminis verificatur de ipso, quòd talem habeat connexionem cum quantitate, tanquam cum termino intrinsecò unionis mediæ, aut immediatæ, ut sine miraculo non possit carere illa: & non verificatur esse talem, ut intrinsecè habeat non habere illam connexionem, ut patet: ergo quamvis æquè constet corpore, ac spiritu; imò propter hoc ipsum, & ex ipsis terminis potius debet esse corporeus, materialis, & impenetrabilis, quàm spiritualis, & penetrabilis. Et reflexa ratio est: quando pervenitur ad quidditates rerum, non est ultra progrediendum; nam imminet periculum coincidendi cum eo, qui sic argueret. Cum homo, & equus æquè sint ens, æquè sint substantia, æquè sint corpus, æquè sint vivens, æquè sint animal (conveniunt enim univocè sub his omnibus conceptibus) cur potius homo, quam equus est rationalis?

lis? quia non obstantibus istis omnibus æquitatibus, de homine potius, quàm de equo verificatur definitio rationalitatis. Et cur potius de uno, quàm de altero verificatur? quia hæc est essentia amborum. Et cur hæc essentia amborum? Non debet dari responsum rei, quæ non debet quæri. Similiter solvenda sunt illa altera duo, nempe ex definitione rationalitatis, ac irrationalitatis: item creationis, & educationis, corruptibilitatis, ac incorruptibilitatis. Sed his supersedemus, quia ad Physicam spectant.

94. Vel denique est corpus incompletum: & hoc, vel *inorganicum*, v.g. sola materia prima, cui convenire definitionem à nobis datam jam ostendimus. Vel est corpus incompletum, *organicum* tamen, idest distributum in talia, & talia membra, distinctum talibus, ac talibus partibus habentibus tales, & tales figuras, tales, & tales distantias, & indistantias inter se, v.g. corpus humanum si Deus conservaret illud sine ulla forma, vel cum forma embrionis, vel cum forma corporeitatis, quam satis probabiliter defendunt Scotistæ. Si, inquam, hujusmodi sit corpus, huic etiam convenit definitio supra data, nam intrinsecè constituitur per materiam primam, quæ modo sæpè dicto connectitur cum quantitate: ergo definitio corporis, quam dedimus, si discurremus per omnia illa, quæ certò sunt corporea, & materialia omnibus illis convenit.

§. II.

95. **D**Einde solis corporibus, quia nulli convenit spiritui (omne autem ens, aut est corporeum, aut spirituale, quia non datur medium. Omne quippe ens, aut habet intrinsecè illam sæpè dictam connexionem cum quantitate; aut non habet intrinsecè illam. Si primum, est corporeum juxta definitionem corporis; si secundum, est spirituale juxta definitionem spiritus.) Probatur, & simul ostenditur, illam definitionem spiritus convenire omni spiritui, & nulli corpori. Omnis spiritus hastenus notus vel est primò Deus, aut Angeli; & certè neque Deus, neque Angeli habent intrinsecè talem connexionem cum quantitate, tanquam cum termino intrinsecò unionis immediatæ, aut mediatæ, ut sine miraculo non possint illa carere: tamen enim Deus, & Angeli olim apparuerint sub specie corporea, & quantitativa, id factum fuit ex dispensatione, atque ut viderentur oculis carnis, non in substantia propria, quia sic *Deum nemo vidit unquam*, oculis nimirum corporeis,

reis, sed in specie quadam. Unde S. Raphael ad utrumque Tobiam aiebat. *Videbar quidem vobiscum manducare, & bibere, sed ego cibo invisibili, & potu, qui ab hominibus videri non potest, utor: & quamquam aliqui existimaverint olim, quando res nondum erat explorata in Ecclesia, Angelos habere subtilissima quædam corpora, & de his locutum fuisse Moysen, quando dixit, videntes filii Dei filias hominum &c.* Verumtamen hoc jam non auditur in Ecclesia, maxime post Lateranense sub Innoc. III. docens de Deo, *quod simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam spiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam, Sanctus autem Gregorius aliquando vocat Angelum, Animal rationale; sed absque dubio accepit Animal, non pro corpore sensibili; sed pro solo vivente.* Contraponit quippè Angelum stellæ, sed de hoc alibi.

Tobie 12.

Gen. 6.

Later. c. 1.

Hom. 10.
in Evang.

96. Vel est 2. Anima rationalis, cum suppellectili tota suarum operationum purè spiritualium sine ulla mixtura corporeitatis, quales sunt sua præsentia, sive ubicatio in omnibus, & singulis partibus corporis, quæ nutriuntur, & sentiunt: Apprehensiones naturales, aut super-naturales suasivæ, aut non suasivæ: item judicia, & discursus, & reliquæ cogitationes: item amores, & odia, volitiones, & nolitiones, spes & timores, gaudia, & dolores, tristitiæ, ac alacritates, quæ omnia solent esse actus merè spirituales, quamvis ob sympatiam cum corpore refundere soleant in cor, in oculos, in vultum, in sanguinem effectus sibi proportionatos. Vel anima eadem cum suppellectili alia aliarum rerum etiam purè spiritualium, quas ipsa non efficit, sed recipit aliundè: quales sunt species memorativæ subservientes repetendo, & rehabendo cognitionem objecti jam prius cogniti. Item characteres trium Sacramentorum, idest qualitates quædam supernaturales animabus divinitus infixæ, quibus anima Christiani discernitur per Angelos, & alias animas jam separatas à suis corporibus, discernitur, inquam, ab anima non Christiani, & anima confirmati ab anima non confirmati, & anima saltem sacerdotis ab anima non sacerdotis. Item gratia sanctificans, seu auxilians. Item illa Spiritus Sancti dona, fortitudinis, timoris &c. quæ solent esse specialissima quædam Dei auxilia intrinseca ad specialissimos quosdam, & valde heroicis actus earum virtutum.

97. Nulli, inquam, ex his convenit conceptus corporis supradatus; & omnibus his convenit conceptus, sive definitio spiritus. Quamquam enim anima rationalis, quippè quæ est entitas incom-

pleta,

pleta suaptè natura connectatur cum intrinseca unione ad materiam primam, quæ etiam suaptè natura habet sibi intrinsecè unitam quantitatem. Verumtamen illa connexio mediata animæ cum quantitate talis non est, ut sine miraculo nequeat anima existere, sine quantitate. Non enim est necessarium miraculum, ut moriamur. At hominem mori, nihil est aliud, quam animam separari à corpore: ergo non est necessarium miraculum, ut anima separaretur à corpore, & consequenter à quantitate. Deindè non est necessarium miraculum, ut post separationem perseveret anima existens in rebus, quia anima rationalis ex sua natura est immortalis, & incorruptibilis: ergo connexio animæ cum quantitate, non est talis, ut sine miraculo nequeat anima existere sine unione ulla ad quantitatem: atqui connexio, & non connexio non sunt prædicata accidentalia, sicut esse album, aut non album; sed sunt prædicata essentialia, ita ut omne connexum plenè adæquatè per se intrinsecè habeat esse connexum. Et omne non connexum plenè adæquatè per se intrinsecè habeat non esse connexum, ut dicebamus Disput. de rerum connexionibus, & oppositionibus: ergo omnis anima rationalis intrinsecè habet, non ita connecti cum quantitate, tanquam cum termino intrinseco unionis, ut sine miraculo nequeat carere illa, & nullam habet intrinsecè connexionem illius speciei: ergo omni convenit definitio spiritus, & nulli definitio corporis.

98. Quod attinet ad illam multitudinem rerum, quas anima facit, vel quas aliundè suscipit; dicimus idem. Verum est, quòd omnia illa per se ab intrinseco poscunt unionem cum anima in qua recipiuntur, tanquam in proprio subjecto. Verum item, quòd anima ex sua intrinseca natura habet uniri mediata cum quantitate. Cæterùm cum hæc connexio animæ non sit adeo robusta, & præpotens, ut nullius agentis naturalis viribus enervari queat; inde fit, quòd licet utraque illa supellex naturaliter uniat, non quidem immediatè (absit) sed tantum mediata quantitati, (utraque enim recipitur in sola anima actu physicè formaliter, quamvis totum hominem denominet,) attamen ipsi non competit definitio corporis, quam dedimus, sed definitio spiritus.

99. Premere potest difficultas sumpta ex illis operationibus spiritualibus, quæ videntur pendere essentialiter ex organis corporis. Quia cognitiones, quas in hac vita habemus, pendunt à phantasmatis materialibus, idest, pendunt ab eis speciebus corporeis, quas

per

per oculos, per aures, & per alios sensus haurimus; (sicut hauriret homo in tenebroso carcere inclusus tenuissimam aliquam lucem per unum, vel alterum foramen, aut rimam parietis,) quæ species iuvantes ad cognoscendum sunt corporeæ. Et confirmatur: Sicut anima videt in oculis, & audit in auribus, ita ut ibi recipiatur actus videndi, & hic actus audiendi. Ita intelligit in cerebro, & amat, aut odit in corde: ergo ibi recipitur actus intelligendi, & hic actus amandi: ergo hi actus per se intrinsecè uniuntur immediatè his partibus corporis: ergo intrinsecè habent uniri saltem mediatè quantitatis, ita ut nullius agentis naturalis viribus possent divelli ab eis partibus.

100. Neutrum urget. Non primum; quia aliud est pendere ab eis organis, phantasmatibus, & speciebus tanquam à terminis unius intrinsecè: Aliud tanquam à causis, vel conditionibus, sine quibus non. Si contingeret, 1. Conveniret illis cognitionibus definitioni corporis; at non contingit primum: quia omnes illæ cognitiones in sola anima tanquam in proprio subiecto spirituali, & principio vitali recipiuntur: ergo illi soli uniuntur intrinsecè, quia accidentia non uniuntur uni, & recipiuntur in altero. Contingit secundum; sed hoc non exclusimus in definitione spiritus. Potest enim aliquid pendere essentialiter ab alio, & tamen non uniri illi, quoniam omnes effectus creati pendunt essentialiter ex Divina Omnipotentia, & ex decreto applicativo huius; & tamen non uniuntur intrinsecè physicè alterutri. Ad confirmationem distinguo secundam partem antecedentis. Ita similitudine adæquata: nego. Ita similitudine inadæquata; concedo antecedens, & nego consequentiam. Verum est, quod anima videt in oculis, & intelligit in cerebro, (idem respectivè de alijs,) sed cum hoc discrimine, quod visio corporea pendet naturaliter à dispositionibus quæ sunt in oculis, & in ea parte corporis recipitur, & illi unitur. Intellectio verò fit in cerebro, in sensu proportionali ei alijs, quo dicitur: *Iustorum anima in manu Dei sunt*, non quia physicè uniantur mediatè, aut immediatè manui Dei; sed quia specialitate quadam pendunt à Deo.

101. Ita intellectio cum cæteris actibus intellectus fit in ea parte capitis, quæ vocatur *cerebrum*, & amor cum reliquis actibus voluntatis in ea parte corporis quæ vocatur *cor*, non quia physicè uniantur immediatè, aut mediatè illis partibus terreis, materialibus, corporeis, & quantitativis, sed quia inclusa nostra anima
intra

Sapient. 3

intra hunc carcerem corporis, functiones suæ licet spirituales pendunt tanquam à dispositionibus necessarijs à tali, & tali coordinatione, temperamento, & fabrica tum cerebri, ut fiant actus intellectus, tum cordis, ut fiant actus, voluntatis. Sicut multæ functiones etiam materiales incarcerati in subterranea specu penderent non tanquam à subiecto unionis, aut receptionis, sed tanquam à conditione necessaria ab una, vel altera rima, & ipsius dispositione, ac situ: per quam illaberetur aliquid lucis. Et ratio est, quod visio, & auditio materiales fiant in oculis, & auribus quatenus ab eis organis pendeant, in eis recipiantur, & eis uniantur: Intellectiones autem, & volitiones spirituales, quas habemus in hac vita fiant in cerebro, & corde, præcisè quatenus pendeant ab eis organis; non autem quatenus in illis recipiantur, vel cum eis uniantur. Hoc inquam est corollarium, & verum, & non impugnatum, quod secum trahunt definitiones corporis, & spiritus supradatæ: ergo res ita contingunt. Quod si inferas, operationes spirituales animæ in hac vita propter dependentiam, quam admittimus ab organis corporis, fore specie distinctas ab operationibus ejusdem separatæ à corpore. Concedemus distinctionem in specie purè physica, & quasi materiali. Negabimus in specie formali, & animastica, quia tam perceptiones objectorum, tam spirituales, tam claræ, tam obscuræ possunt esse unæ, quam alteræ servatis servandis.

§. III.

102. **O**bjicies famosum sophisma, quod, materiâ mutatâ, occurre solet in Theologia. Supponantur hæc tria. 1. Quod Deus efficaciter statuat omnem tuum actum intellectus uniri physicè intrinsecè tuæ quantitatis. 2. Revelare tibi hoc suum decretum. 3. Te assentire huic revelationi per actum fidei supernaturalis divinæ. Tunc sic. Verum est, quod illis alijs actibus intellectus distinctis ab hoc assensu non conveniret conceptus corporis à nobis assignatus, nam licet physicè immediatè unirentur quantitatis, id non haberent intrinsecè ex natura sua; sed extrinsecè præter suam naturam videlicet ratione illius decreti Dei, qui utpotè supremus Dominus potest facere de quavis creatura, quodquod voluerit. At assensui illi conveniret definitio corporis, quam dedimus, (cum, tamen esset actus spiritualis ut constat.) Probat: ille haberet intrinsecè

trinfecè ex natura sua uniri physicè immediatè quantitati. Probatur: haberet intrinfecè ex natura sua esse verum, quia esset actus fidei supernaturalis, & divinæ. Sed sua veritas consistit in eo, quod omnis actus intellectus tui uniatu r quantitati: nam consistit in eo, quod enunciat assensus ipse, & ipse enunciat hoc, nam enunciat quod dicit revelatio, & revelatio dicit quod omnis actus tui intellectus unietur quantitati, nam dicit quod Deus decrevit, & supponimus hoc decrevisse Deum: ergo ille assensus intrinfecè ex natura sua habet, quod omnis actus intellectus uniatu r physicè quantitati: sed ipse est actus ex actibus tui intellectus, ut constat: ergo intrinfecè ex natura sua habet, quod ipse uniatu r physicè immediatè quantitati, & quidem itaut neque divinitus posset divelli ab illa, quia nec divinitus posset esse falsus: ergo ipsi convenit conceptus corporis. Sed nihilominus ipse est actus spiritualis: ergo alicui rei spiritali convenit conceptus corporis, quem dedimus.

103. Resp. Istud decretum divinum, quod primo loco supponis, vel est aded universale, ut complectatur etiam istum assensum, quem tertio loco supponis. Vel non complectitur illum, nec de illo procedit? Si hoc, ergo assensus iste non habet intrinfecè ex natura sua, quod ipse uniatu r quantitati, sed quod alij actus intellectus distincti ab ipso: ergo nec ipsi, nec alijs convenit definitio corporis: siquidem nec ipse, nec alij habebunt intrinfecè ex natura sua uniri quantitati. Probatur antecedens. Iste assensus, eo quod sit infallibilis, solum habet intrinfecè ex natura sua, quod sit illud, quod ipse enunciat. Rursus ipse dumtaxat enunciat illud, quod pronunciat divina illa revelatio. Præterea hæc solum pronunciat, quod statuit illud decretum: ergo si hoc nil dicit de isto assensu, sed de alijs distinctis actibus intellectus: revelatio hujus decreti, & assensus hujus revelationis nil dicunt de hoc assensu ipso; sed de alijs actibus intellectus: ergo non habet intrinfecè ex natura sua, quod ipse uniatu r quantitati, sed quod alij. Si propterea dicatur illud primum propter hoc ipsum, decretum, quod initio supponis, est impossibile.

104. Quoniam omne decretum fatuum repugnat Deo. At decretum istud esset fatuum. Probatur. Omne decretum, efficaciter statuens, quod uniatu r quantitati illud, quod per suammet essentiam haberet uniri quantitati, est decretum fatuum. Sicut decretum, seu volitio efficax de eo, quod homo sit animal, & de eo, quod homo non sit equus. Volitiones enim, ac nolitiones prudentes, sicut consilia, præcepta, prohibitiones, & similia debent esse de re con-

tin.

tingente, quæque possit sic, vel aliter fieri. Atqui si decretum istud complectitur etiam istum assensum, esset decretum efficaciter statuens, quod iste assensus uniretur quantitati; & iste idem assensus juxta tuam respon sionem per se ipsum haberet intrinfecè ex sua natura uniri quantitati: quoniam intrinfecè ex sua essentia haberet esse infallibilem, utpotè assensus fidei divinæ, & sua infallibilitas staret in eo, quod ipse etiam uniretur quantitati, sicut cæteri alij actus intellectus: ergo istud decretum esset, juxta istam respon sionem, fatuum: ergo isto argumento non probatur esse possibilem actum intellectus, qui intrinfecè ex sua natura uniatu r quantitati; quandoquidem recurrit ad decretum, quod vel est chymæricum (dato autem uno absurdo cætera accidunt, seu statuto uno impossibili, transeat quod actus intellectus esset spiritalis, & simul esset corporeus) vel nil statuens de isto assensu, non infert illum intrinfecè ex sua natura, habere unionem cum quantitate.

105. Neque dicas, eum assensum solum ex suppositione dicti decreti habere intrinfecè per suam essentiam uniri quantitati: quoniam omne per se essentialiter connexum cum uno ex suppositione alterius, & insuper per se essentialiter connexum cum illo altero, est per se essentialiter connexum absolutè cum illo uno. Complexum namque ex veritate conditionata, & purificatione conditionis est connexum per se essentialiter absolutè cum conditionato. Sed prædictus assensus esset per se essentialiter connexus cum sui unionem ad quantitatem ex suppositione, quod detur dictum decretum, & insuper esset per se essentialiter connexus cum isto decreto, quia utpotè assensus infallibilis fidei divinæ est essentialiter connexus cum divina revelatione (ut supponimus ex tractatu de Fide) revelante existentiam istius decreti, & revelatio asseverans existentiam istius decreti cum sit infallibilis, utpotè divina, est per se essentialiter connexa cum isto decreto: ergo prædictus assensus non tantum conditionatè, sed etiam absolutè esset essentialiter connexus cum sui unionem ad quantitatem: ergo si istud decretum procedit etiam de hoc assensu, & de ipso statuit, quod uniatu r quantitati, esset decretum fatuum: quocirca aliud est, quod hic assensus sit subjectivè conditionatè connexus cum ea unionem; Aliud, quod terminativè conditionatè. Primum est verum, quia ex suppositione quod decretum sit, quale ponitur à te, sequitur, quod assensus habeat eam connexionem. Secundum est falsum, quia semel posito absurdo isto, quod decretum procederet etiam de hoc assensu, hoc,

A a a

in-

inquam, absurdo semel devorato, sequetur assensum per se essentialiter absolutè fore connexum cum unione sui ad quantitatem, juxta syllogismum nuper datum, & simul non foret connexum. Hæc autem duo contradictoria eliciuntur ex suppositione tua.

106. Neque dicas 2. Eum assensum non habiturum per solam suam essentiam uniri quantitati; sed ex suppositione, quòd de se ipso significaret, se uniendum quantitati. Hæc autem suppositio est accidentaria illi assensui, ut philosophabamur alibi, sicut etiam vocibus externis est accidentale significare id, quod significant: sed redit argumentum idem. Decretum, quod primo loco supponis, vel procedit de isto assensu ex *suppositione*, quòd sit assensus revelationis istius ejusdem universalis decreti, & consequenter ex suppositione, quòd de se ipso enuntiet infallibiliter se uniri quantitati, & sic redit fatuitas, quoniam ex suppositione, quòd infallibiliter enuntiet de se ipso unionem cum quantitate, est prorsus necessarium, quòd quantitati uniatur: ergo Deum velle, quòd uniatur quantitati ex suppositione, quod de se enuntiet hanc unionem, esset sicut Deum velle, hanc chartam esse albam ex suppositione, quod sit alba. Vel procedit de assensu isto non ex ista suppositione, sed ita ut decretum in se ipso, quidquid sit de nostris reflexionibus, præscindat à dicta suppositione, & contradictoria, & sic emergit alia chymæra: Nam data ista suppositione quod semel assensus dictus foret essentialiter infallibilis, decretum esset fatuum, ut dicebamus. Non data. Decretum non esset fatuum. At per te decretum subjectivè in se ipso præscindit ab eo, quòd detur, vel non detur ista suppositio: ergo subjectivè, ac verè in se ipso præscindit ab eo, quòd sit fatuum, vel non sit fatuum: sed omne decretum quod ex una parte ponitur divinum, & ex altera ponitur præscindens in se ipso ab eo, quòd sit, vel non sit fatuum, est decretum chymæricum; quia omni divino decreto repugnat ista præcisio, eo quia omne essentialiter positivè prudens, & rationale: ergo &c. Eodem modo solven-

dum est hoc sophisma, quando objicitur ad probandum esse possibile meritum essentialiter impremiabile. Peccatum essentialiter impunitabile &c.



CAPUT QUARTUM. ³⁷¹

Quid, & quotuplex sit Relatio.

107.



ÆC verba ad aliquid, sive ad aliud significant apud Aristotelem relationem, & quidem non juxta ^{5 Metaph. 15} omnes significationes, quas habet apud Latinos verbum *refero*, quia sunt multæ, & pleræque impertinentes ad rem præsentem; sed prout significat ordinem, sive habitudinem, sive respectum, sive proportionem (quæ omnia hæc in præsentem sunt idem) unius objectivi conceptus ad aliud, vel cum alio, unde sic definit Aristoteles relativa: *ea sunt ad quid, quæ id, quod sunt, aliorum esse, aut ad aliquid alio modo dicuntur*. Sic Pater est relativus, quia Pater *alicuius* est, aut fuit Pater. Simile est relativum, quia omne simile alicuius debet esse simile. Creator est relativus, quia alicujus debet esse creator &c. & rursus idem Philosophus insistit eidem doctrinæ inquiens. *Ad aliquid sunt, quorum esse est ad aliquid sese habere*. Ex qua doctrina ^{Disp. 47. Metaph. sect. 5.} formavit P. Suarez definitionem relationis, adjungens tamen hæc duo verba *accidens, & totum*. Relatio ait est *Accidens, cujus totum esse est ad aliud se habere*. Ex infra tamen dicendis constabit non omnem relationem esse accidens physicum, & entitativum, sed multas identificari cum fundamento, & termino entitativè substantialibus.

108. Igitur Relatio, quæ definitur *esse ad aliud*, sive relativa dicuntur habere suum esse, aut totum suum esse ad aliud, non quia de ipsis non sit verè affirmabile quidquam aliud, quàm *esse alius*, vel quam *esse ad aliud*. Multa quippe alia sunt affirmabilia verè de Patre, v.g. præter esse Patrem; verè namque affirmatur de ipso esse ens, esse substantiam, esse animal, esse rationale &c. Dicitur ergo totum esse, esse ad aliud *non totalitate exclusiva aliorum prædicatorum*, sed in duobus sensibus communibus aliis rebus *totalitate identitatis* omnium aliorum prædicatorum cum hac realitate *essendi ad aliud*; quatenus nimirum omnia alia prædicata, quæ verè & ex parte rerum conveniunt relativo, v.g. Patri, sunt alicujus, sive ad aliud: Nam illud individuum prædicatum entis, quod identificatur cum tuo Patre, est Pater tuus. Illud prædicatum Animal, illud prædicatum rationale, quod identificatur cum Patre tuo est tuus

Pater. Omnia denique prædicata constitutiva essentiæ metaphysicæ, & tota individua essentiæ metaphysicæ tui Patris est Pater tuus: quia Pater tuus, & sua essentiæ metaphysicæ, & sua omnia prædicata essentialia, tametsi multis verbis dicantur, re tamen vera coram Deo sunt unum quid. In hoc sensu etiam dici potest totum esse hominis, v. g. esse, *esse animal*, non quia homo non sit etiam rationale, sed quia rationale, & reliqui gradus metaphysici hominis realiter simpliciter identificantur cum realitate illa animalitatis, quæ est in homine; & ob eandem rationem totum esse hominis esse, *esse rationale*; & totam essentiæ esse, *esse ens*.

109. Sed cum hæc locutio de alijs rebus distinctis à relatione, sit durioscula, utpotè insolens: idcirco ab illa abstinentes, conservare debemus modum loquendi Aristotelicum circa Relationem, qui modus loquendi jam invaluit apud scholasticos, sed conservare illum cum advertentia reflexa significationis illius termini *cujus esse*, seu *cujus totum esse*. 2. Dicitur *totum esse ad aliud*, *totalitate alludente* ad nostros conceptus formales: sicut enim tota essentiæ hominis, *ut hominis*, est esse animal rationale: nam licet verè ex parte rerum cum alijs realitatibus identificetur, verum tamen ex vi præcisè hujus expressionis, *Homo*, quod protinus apparet, & per quod definitur, tantum est animal rationale, & quemadmodum tota essentiæ ejusdem hominis, *ut animalis* præcisè, est *Esse vivens sensibile*: Quia hoc & non aliud apparet nobis in homine, attento hoc solo conceptu *Animal*. Ita tota essentiæ relationis, ac relativorum ut talium, idest sub eo conceptu generico, sub quo sunt relativa, est dumtaxat *esse alicujus*, seu *esse ad aliud*, quia licet Pater v. g. multis alijs fungatur attributis; verum tamen audito, & inspecto hoc solo conceptu *Pater*, quod protinus venit in mentem, est, illum alicujus esse Patrem. Geminum hunc sensum illius definitionis notato, quia postea nascentur difficultates ex intelligentia illius, prout sonat, sine dictis explicationibus.

110. In omni Relatione oportet discernere tria, discernere inquam, vel realiter, vel saltem quo ad modum nostrum apprehendendi, ac loquendi, ut mutuo intelligi possimus. 1. *Fundamentum* relationis: & est illud cuius ut talis totum esse est ad aliud: 2. *Terminus* relationis: & est illud *alicujus*, sive *ad aliud*: 3. *Ratio proxima fundandi*: & est fundamentum illud, seu motivum objectivum proximum, & adæquatum, cui innititur intellectus ad comparandum, seu referendum unum alteri v. g. in relatione simili-

tudi.

tudinis, & similiter in quacumque alia. Videntes parietem *A* habere tantam longitudinem, aut latitudinem, aut profunditatem aut albedinem, aut nigredinem, aut obliquitatem, aut rectitudinem, aut firmitatem, aut debilitatem, quantam paries *B*; dicimus, *Paries A est similis firmitate v. g. parieti B*. tunc paries *A* est fundamentum hujus relationis: Paries *B* est terminus: & æqualitas firmitatis est ratio proxima fundandi.

111. Circa hæc tria constitutiva advertite sex. Primum, quod relationes interdum sumuntur in concreto, nempe quando sumuntur pro complexo ex tribus istis, ut quando dicimus *Relatio Paternitatis essentialiter includit Patrem*: Hoc solum est verum de ea relatione sumpta in concreto, quoniam complexum ex Patre, Filio, & generatione, non solum dicit essentialiter Patrem, sicut fundamentum connexionis metaphysicæ dicit essentialiter, idest innuit, seu connotat essentialiter terminum: verum etiam includit essentialiter, ut constitutivum Patrem. Interdum sumitur in abstracto: nempe quando sumitur pro sola ratione proxima fundandi, ut quando dicimus, *relatio Paternitatis distinguitur adæquatè à Patre*. Nam tunc loquimur de generatione ipsa, quæ est ratio proxima adæquata dicendi, illum esse Patrem hujus: & hæc generatio distinguitur adæquatè ab utroque, nam uterlibet potuit existere in rebus sine illa individua generatione: quando autem sumantur uno modo, & quando altero, discernes ex prædicato affirmato, aut negato de relatione. Quod si adhuc res maneat ambigua, utere distinctione.

112. Secundum. Fundamentum relationis interdum est intrinsecè, & essentialiter tale, nempe in relationibus transcendentibus, ut talibus v. g. in relatione unionis, non qua unum extremum refertur alteri, sed qua ipsa unio refertur ad extrema: ipsa est fundamentum, quod refertur, & ipsa per se essentialiter habet esse id, quod refertur ad extrema. Quoniam omnis unio physica duorum per suammet essentiæ solam habet esse unionem eorundem. Interdum verò est contingenter tale v. g. quando dicimus *Paries A est sicut B*. Paries *A* est fundamentum, paries *B* est terminus. Sicut autem diximus *A. est sicut B.*, potuimus dicere *B. est sicut A.* & tunc *B.* esset fundamentum, & *A.* esset terminus. Est ergo in his relationibus denominatio extrinseca esse fundamentum, aut terminum; quod si dicamus *A. & B. sunt similia*. Tunc ambo sunt fundamentum, & ambo sunt terminus; sed proportione

fer.

servata. Nam *A* est fundamentum similitudinis *sui ad B*. & terminus similitudinis parietis *B* ad *A*. Parietis autem *B* è converso est fundamentum similitudinis *sui ad A*, & terminus similitudinis parietis *A*. ad ipsum *B*.

113. Tertium. Eiusdem relationis, sed sub inspectionibus diversis, potest eadem res esse simul fundamentum, & terminus respectu eiusdem tertij: quoniam generatio activa, & passiva hominum, est eadem penitus actio, per illam namque eandem formam constituitur hic Pater illius, per quam ille constituitur filius hujus: sed filius est fundamentum relationis generationis passivæ, nam, filius est id, quod generatur, & Pater est terminus: nam est id, à quo generatur. E converso Pater est fundamentum relationis: quæ sit activa generatio: nam est id, quod generat: filius autem est terminus; nam est id, quod generatur: ergo idem & respectu eiusdem potest esse fundamentum, & terminus eiusdem relationis, sed inverso modo inspectæ. Quartum. Rationem proximam fundandi explicuimus per motivum proximum adæquatum, ut nos conferamus unum alteri: Non quia ille pendeat essentialiter tanquam à constitutivo, aut termino connexionis à nostris cognitionibus, quibus conferimus una cum alteris. Non propter hoc. Sed quia cum consistat physicè ex parte rerum in ea re, aut forma, aut modo, quo unum est simile alteri, aut dissimile, aut distinctum, aut causa, aut effectus &c. & hæc ipsa res sit nobis motivum ad dicendum unum esse simile alteri, aut dissimile &c. hac sola de causa usi sumus illo vocabulo. Verè autem, ac simpliciter, etiamsi nullus intellectus creatus cogitaret hanc chartam, hæc esset actu formaliter, & non tantum fundamentaliter similis alteri chartæ habenti eandem penitus longitudinem, latitudinem, alborem, tenuitatem &c.

114. Quintum. Non quodvis motivum, sed proximum immediatum, & formale. Item non quodvis proximum, sed adæquatum etiam, & totale conferendi unum alteri, est ratio proxima fundandi: unde quando aliquis sive homo, sive Angelus, sive Deus ipse dicat, hanc chartam esse similem alteri, illud testimonium non esset actu formaliter relatio similitudinis inter utramque, licet esset motivum sufficiens ad iudicandum, hanc chartam esse similem alteri. Quia nil consistens actu formaliter in eo, quod hæc charta habeat quatuor gradus albedinis, v. g. & illa habeat etiam quatuor gradus albedinis, est illud testimonium; nam ab eo distinguitur adæquatè complexum ex utroque quaternario. At ratio proxima fundandi
rela-

relationem similitudinis in intensione albedinis ambarum chartarum, stat actu formaliter in eo, quod una habeat quatuor gradus albedinis, & alteram habeat quatuor etiam gradus albedinis, ut mox dicemus: ergo. Ratio proxima fundandi non est, illud testimonium: & consequenter non est, quodvis motivum ad referendum unum, alteri: ob eandem rationem non est motivum proximum, sed parziale tantum, & inadæquatum. Nam 4. Gradus albedinis in hac charta est quidem pars rationis proximæ fundandi, ut dicemus: sicut corpus est pars essentialis hominis. At sicut corpus non est homo ipse, ita illi 4. Gradus albedinis non sunt ipsa ratio proxima fundandi, quia hæc vox supponit pro tota ratione proxima fundandi, sicut vox homo pro toto homine.

115. Sextum. Relatio formalis ut contraposta fundamentalis. Item ratio proxima fundandi, possunt sumi dupliciter. 1. Formalitate *intentionali*, & sic consistit verè physicè in actu intellectus, quo referimus unum alteri, tanquam simile aut dissimile, aut tanquam causam, aut tanquam effectum; cumque hic actus intellectus distinguatur adæquatè à fundamento, termino, & ratione proxima fundandi, & non dubitamus relationem formalem in hoc sensu esse sic distinctam, & super additam fundamento, termino, & rationi proximè fundandi: Sed hic sensus est extra rem, quia eum non disputamus. 2. Formalitate *objectiva*, & sic consistit physicè ex parte rerum in illa, sive re, sive forma, sive modo, vi cuius immediatè; & per se rerum, unum est simile alteri, vel est dissimile: & in hoc sensu loquimur modò, & loquemur postea. Nimirum de relatione formali formalitate *objectiva*.

§. II.

116. **R**elatio est multiplex. Una transcendentalis, & est illa quæ adæquatè identificatur cum fundamento ipsius, quod propterea non est ipsius fundamentum ex parte rerum, sed tantum quo ad voces; v. g. relatio, qua unio refertur ad extrema quorum est unio. Qua præsentia refertur ad rem, cuius est præsentia, qua actio refertur ad causam, cuius est actio, nec non ad effectum qui per illam agitur: qua creatura refertur ad suum creatorem: omnia quippè hæc & multa alia similia per solas met suas essentias respectivè habent esse id, quod sunt respectu illarum aliarum rerum: v. g. unio physica per solam suam essentiam habet esse unionem duorum.

rum. Creatura per solam suam essentiam habet pendere à creatore; ergo hæc omnia per solam suam essentiam habent referri ad illas res, relatione formali, formalitate objectiva, licet non intentionali. Atque ideo hæc relatio vocatur *transcendentalis*; non tantum quia invenitur in omnibus prædicamentis; verum etiam quia penetrat, sive transcendit essentiam sui fundamenti.

117. Altera *prædicamentalis*, & est illa, quæ cùm sit motivum proximum adæquatam referendi unum alteri, non identificatur adæquatè cum fundamento, & hoc potest contingere ex capite triplici. 1. Quia identificatur adæquatè cum termino, ut contingit in his eisdem relationibus, quas nuper meminimus. Quoniam præsentia v. g. hujus chartæ in hoc determinato loco est quidem relatio transcendentalis *sui* ad hanc chartam; sed prædicamentalis *hujus chartæ* ad ipsam: sicut enim hæc præsentia est præsentia hujus chartæ, ita hæc charta est subjectum saltem, aut etiam causa hujus præsentia. 2. Quia identificatur adæquatè cum fundamento, & termino, ac inadæquatè cum qualibet: sicut relatio similitudinis in natura humana, quam habent Petrus, & Paulus. Quia ex infra dicendis relatio hujus similitudinis consistit in eo, quod Petrus sit homo, & Paulus sit homo, quorum primum identificatur, cum solo Petro, secundum cum solo Paulo, & utrumque simul, cum otroque simul. 3. Quia distinguitur adæquatè, eo quod ratio proxima fundandi, in qua omni sola, & semper stat actu physicè relatio, distinguatur adæquatè à fundamento, & termino. Sicut relatio similitudinis in albedine, qua hæc charta refertur ad aliam æquè albam. Nam hæc relatio stat actu physica in utriusque albedine, & hæc adæquatè distinguitur ab utroque charta.

118. Secunda Divisio: Utravis ex his relationibus est duplex. Una *secundum esse*. Nempè, quæ verè, ac simpliciter est relatio unius ad aliud, eo quod verè sint unum, & aliud, idest distincta fundamentum, & terminus, ut contingit in nuper dictis relationibus. Altera *secundum dici*. Nempè quæ verè, ac simpliciter non est relatio unius ad aliud; eo quia fundamentum, & terminus non sint verè unum, & aliud per speciem duorum, & hoc posito apprehendimus unum instar causæ, ac radicis alterius, talis est relatio inter rationale, v. g. & risibile, nec non inter reliquas omnes differentias specificas infimas, aut subalternas, & metaphysicas proprietates earundem: Rationale namque humanum, & risibile non sunt ex parte rerum duo, non sunt unum, & aliud, sed omni-

omnino realiter sunt unum; quia tamen probandi ergo *risibile*, cæterasque specificas proprietates hominis recurrimus ad *rationale*, idcirco apprehendimus hoc instar causæ, sive originis risibilitatis, & consequenter apprehendimus hoc per species duorum, & dicimus esse relationem inter illa, sed totum hoc est merum *dici*. Ast neque falsum, neque inane: non falsum, quoniam propositio enunciata inter rationale, & risibile esse relationem secundum *dici* est propositio reflexa, & solum enunciat nos apprehendere rationale per speciem, seu per modum, seu instar radicis risibilitatis; sed est verum, quod sic apprehendamus illud, & sic loquamur de illo, sicut apprehendimus Angelos instar juvenum, & sic interdum loquitur Scriptura de illis: ergo non est falsum.

119. Nec inane, quia ut clarè, ac distinctè sine involucris procedamus in disputationibus, quæ non fiunt, nisi per medium verborum, oportet discernere una verba ab aliis, quia cùm, nec intelligamus, nec intelligamur inter disputandum, nisi per verba, fiet quod neque intelligat, neque intelligatur, qui dominium verborum non habuerit: ergo non est inutilis, & inanis labor incumbere in verba, & in illud *dici*, quod est necessarium, ut mutuo intelligamur. Atqui relatio secundum *dici* est necessaria, ut mutuo intelligamur. Dicimus namque vulgò rationale, v. g. esse primam originem humanarum proprietatum, quoad talem speciem. Hoc autem eatenus præcisè est verum, quatenus alludit ad relationem originis *secundum dici*: idest quatenus significat hunc terminum *rationale* esse idoneum probando reliquas specificas proprietates hominis, non autem è converso, ut supra ostendimus. (Hic namque est bonus discursus virtualis. Homo est risibilis, quia est rationalis: est admirativus, quia est rationalis; est capax volendi, & amandi, quia est rationalis &c. en recurrit semper ad eundem terminum) cùmque ex alia parte per usitatam locutionem figuratam tribuamus rebus, quod proprium est actuum nostrorum; hinc nascitur frequens illa locutio, Rationale est origo, & radix cæterarum proprietatum specificarum hominis: ergo suppositis locutionibus usitatis, non est inanis relatio *secundum dici*.

120. Cum hac divisione coincidit illa alia relationis in *realem*, & *rationis*. Relatio realis est secundum esse. Relatio rationis est secundum *dici*: sed adverte dupliciter potest intelligi hæc relatio rationis, seu secundum *dici*. 1. Quatenus cum inter *A. & B.* verè coram Deo non sit stricta relatio, eo quod verè non sint unum, &

aliud, sed unum simpliciter; nihilominus cognoscamus *ibi esse relationem*: hæc cognitio foret falsa, & relatio illa foret rationis falsa, ac fingentis, à qua non excusaretur per id, quod ex parte rerum esset fundamentum aliquod ad hunc errorem: & hanc speciem relationis *rationis* non agnoscimus inter rationale, & risibile: quia apprehendat, & cognoscat alius quidquid volet, nos, qui summam identitatem cognoscimus inter utrumque, non agnoscimus rationale esse originem, seu causam risibilitatis: sed hunc terminum *rationale* esse idoneum ad probandum risibilitatem. 2. Relatio rationis, quatenus apprehendamus, & cognoscamus rem illam per speciem, per modum, instar relationis; sed simul certò judicantes *ibi non esse relationem*: sicut inhærentes hieroglyphico Danielis cap. 7. Apprehendimus Deum per speciem senis canuti, certò tamen judicantes simul, Patrem non esse canutum senem, nec habere *capillos capitis, quasi lanam mundam*: & sicut Angelos apprehendimus per speciem Juvenum inhærentes hieroglyphicis scripturarum nuper citatarum; certo tamen simul judicantes illos non esse juvenes corporeos. Hanc speciem relationis rationis agnoscimus inter extrema identificata, & ex hac transiri non potest ad illam, ut sæpè advertimus. Cùm enim semper ac cognoscimus Deum, Angelos, animas racionales, substantias omnes etiam corporeas, accidentiaque spiritualia, cognoscamus hæc per species alienas, sequeretur quòd semper, ac cognoscimus hæc, haberemus cognitiones non utcumque imperfectas, utpotè abstractivas; sed insuper falsas, erroneas, & necessariò dissonas suis objectis factricesque entis rationis, quod ut quid est necessarium?

121. Tertia divisio: utraque relatio potest esse *mutua*, ut relatio æqualitatis, similitudinis, distinctionis &c. Repugnat enim hoc distingui ab illo, quin illud distinguatur ab hoc. Hoc esse simile illi, quin illud sit simile huic &c. & potest esse non *mutua*. Sic in sententia negante, Deum connecti essentialiter cum possibilitate possibilem, non refertur transcendentaliter ad creaturas; cùm tamen creatura omnis transcendentaliter referatur ad Deum, suum creatorem. Sed adverte, solum esse verum, non omnem relationem esse *mutuam transcendentaliter*; In alio autem sensu omnis penitus relatio est *mutua*, vel transcendentaliter, vel prædicamentaliter; quoniam licèt passim contingat, quod terminus relationis non habeat ex vi rationis proximæ fundandi denominationem eandem, quam ex vi illius habet fundamentum, quod dumtaxat probat relationem

lationem non semper esse æquiparantiæ de qua mox; Cæterùm quoties fundamentum refertur ad terminum, hic per illam eandem relationem est referibilis ad fundamentum, sive transcendentaliter, sive saltem prædicamentaliter, & in hoc sensu abstrahente ab utralibet hac relatione omnis prorsus relatio est *mutua*. Sic impossibile est, hanc chartam esse factibilem per Deum, quin Deus, hoc saltem supposito, possit facere hanc chartam; & consequenter quin referatur ad ipsam relatione causæ potentis illam facere; licèt hæc relatio in charta sit transcendentalis, in Deo autem prædicamentalis, quia cum eo non identificatur adæquatè: Impossibile est, quòd præsentia hujus chartæ in hoc loco, faciat illam præsentem in hoc loco, quin illa per hanc chartam sit præsens in hoc loco; licèt relatio præsentia ad chartam, sit in præsentia transcendentalis, in charta vero prædicamentalis, utpotè non identificata adæquatè cum charta, & in cæteris simili modo: omnis ergo relatio, sive prædicamentalis, sive transcendentalis est *mutua* interdum transcendentaliter, interdum purè prædicamentaliter, & non transcendentaliter, & in hoc sensu intelligenda videtur illa divisio in *mutuam*, & non *mutuam*.

122. Quarta divisio. Relatio *mutua*, alia est *Æquiparantiæ*: nimirum quæ eodem modo denominat fundamentum, & terminum; v. g. relatio similitudinis, dissimilitudinis, distinctionis, æqualitatis, &c. Alia est *Disquiparantiæ*. Nempè quæ cùm sit una eademque à parte rei, diversimodè denominat fundamentum, & terminum: v. g. relatio filiationis, quæ cùm sit una, actio generativa, hunc denominat Patrem, & illum denominat filium. Item cognitio cùm sit una, intellectum denominat cognoscentem, & objectum denominat cognitum: Demum vetusta satis est quinta Divisio relationis in conceptum *ad*, & conceptum *in*: omnis quippe vera relatio, & est *in aliquo* subjecto per identitatem, aut per unionem, & est *ad aliud*. Quando conferimus illam cum subjecto, in quo est, dicimur loqui de illa secundùm conceptum *in*: quando autem conferimus illam eandem cum eo, ad quod est relatio, loquimur de illa secundùm conceptum *ad*. Ubi duo adverte. 1. Hos duos conceptus plerumque non esse duos verè, ac realitèr; sed tantùm ratione nostra, in eo sensu in quo animal, & rationale sunt duo prædicata: quando autem unio relationis cum suo subjecto distinguitur à forma ipsa, in qua stat relatio, tunc conceptus *in* distinguitur realitèr a conceptu *ad*: 2. Ex his duobus conceptibus solus *ad* est characteristicus relationis. *In* verò communis

est non relationibus etiam: Hæ sunt divisiones relationis sumptæ in abstracto: sumptas in concreto, idest relativa ipsa, distribuit Aristoteles in 3. classes.

123. Prima est relationum, quæ fundantur in *unitate*, & in unitati opposito. Hæ sunt relationes similitudinis, ac dissimilitudinis. Æqualitatis, ac inæqualitatis. Identitatis, ac distinctionis. Non quidem identitatis realis adæquatæ, quia hæc, ut jam insinuavimus, non est relatio, nisi *secundum dici*; sed identitatis moralis, quæ plurimas habet species, necnon identitatis realis inadæquatæ, qualis datur inter hominem, v. g. & suam animam, quæ species identitatis admixta est veræ distinctioni reali similiter inadæquatæ, ut patet in hoc eodem exemplo. Secunda est relationum, quæ fundantur in actione, vel quasi actione, ut relatio causæ ad effectum, Magistri ad discipulum, superioris ad inferiorem &c. Tertia est relationum, quæ non sunt mutua, sed jam diximus quo sensu relatio possit esse non mutua; & quo sensu omnis debet esse mutua.

§. III.

124. **S**uper his omnibus sunt quatuor quæstiunculæ. 1. An conceptus relationis sit univocus respectu omnium relationum, & conceptus Relativi ad omnia relativa, sicut animalis ad omnia animalia? Resp. affirmativè: Tum quia omnia, quæ definiuntur unica definitione, conveniunt univocè sub illo conceptu, sub quo sic definiuntur, v. g. quamquam Populus, Collegium, & similia innuentia multipliciter, non sint conceptus univoci respectu eorum individuorum; ast univoci sunt respectu Populorum, Collegiorum &c. quia horum non innuunt multipliciter. Sed omnes relationes sub conceptu relationis definiuntur unica definitione jam data, & omnia relativa sub conceptu relativi definiuntur quoque unica definitione: ergo. Tum quia etiam si in conceptu, atque definitione relationis, & relativorum sonet illud *Aliud*, & consequenter per illum conceptum appareat multipliciter, quæ univocationi opponi videtur; at cum per illum conceptum non appareat formaliter illud *aliud* esse quoque relationem, aut relativum, quamquam aliundè probetur per alia principia, debere esse relativum; inde est quod per illum conceptum, ac definitionem, non appareat formaliter multipliciter *relationum*, aut *relativorum*, & ex alia parte ille conceptus exprimit *esseitatem ad aliud*, quæ esseitas verè

verè convenit omni relationi, ac relativo in sensu explicato supra: ergo ille conceptus, seu potius illi conceptus, *esse ad aliud*. *Relatio*, *Relativum*, sunt communes, & univoci respectu omnis relationis, & relativi. Philosophandum est hic sicut supra Disp. 2. de illis conceptibus, *Individuum*, *unum*, *singulare*.

125. Tum denique: licet hic conceptus *esse ad aliud*, signatè sit ad aliud, idest licet sit ad aliud id, quod signatur, seu significatur per eum conceptum, nempe omne relativum. Verum tamen ille idem conceptus exercitè non est ad aliud, quia collectio omnium prorsus relativorum confusè cognitorum, non est quasi reflexè, & de novo *ad aliud*; sed in ratione complexi sic confusè cogniti non apparet instar rei, quæ subjectivè in se sit ad aliud; quo circa est ad aliud signatè, non tamen exercitè: ergo non elicitur absurdum, quod elicere conantur adversarii. Nimirum si hic conceptus *ad aliud* foret univocus, fore ut aliquid esset ad aliud (ipse videlicet conceptus *ad aliud*) ultra complexum ex omnibus *ad aliud*. Sic quamquam hi conceptus, *individuum*, *unum*, *singulare*, non sint universales signatè, quia quod significant non est universale; sunt tamen universales exercitè, quia per hos eosdem conceptus fit universale id, quod præscindendo ab his conceptibus non est universale, sed *singulare*.

126. Objicies contra primam rationem, qua etiam utebamur ad probandum omnia individua, omniaque una convenire univocè. Hic homo, & ille homo, & ille alius homo sub hoc conceptu apparent definibiles unica definitione; & tamen hic conceptus non est univocus respectu horum trium hominum: ergo quoddam multa appareant sub aliquo conceptu definibilia esse unica definitione non sufficit probando illa univocari sub illo conceptu. Fateor, quando sub illo eodem conceptu apparet multipliciter saltem individualis illorum, ut contingit in isto conceptu, quem objicis. Nego tamen quando ex una parte omnia sunt definibilia per unicam definitionem, & ex altera nulla penitus apparet multipliciter adhuc individualis, ut non appareat in hoc conceptu *ad aliud*, neque in illis *unum*, *individuum*, *singulare*.

127. Secunda Quæstiuncula est, an relatio terminetur ad absolutum, aut potius ad relativum, & rem contrahendo ad materiam particularem. Quæritur, An Paternitas referat Patrem ad entitatem filii secundum se inspectam, an ad filiationem ipsam. Resp. vel difficultas procedit in sensu reali, & physico, vel in sensu for-

formali alludente ad id, quod nobis apparet, aut non apparet ex vi talium, vel talium expressionum. Si primum. Omnis relatio terminatur in sensu reali non quidem *ad aliam relationem*, quia sæpè contingit, quod una eademque forma sit ratio proxima referendi unum alteri, & è converso, ut jam advertimus; sed *ad relativum*, quia ut ostendimus in tertia divisione relationum, omnis relatio est verè in sensu reali mutua, idest quotiescumque unum refertur alteri, hoc alterum refertur etiam illi aliqua relatione, sive ejusdem, sive diversæ speciei, item sive transcendentali, sive prædicamentali: ergo omnis relatio terminatur, hoc est habet pro termino in sensu reali, & physico id, quod in sensu reali, & physico refertur ad fundamentum aliqua speciei relationis: ergo terminatur ad relativum, quod tale sit specie aliqua relationis, licet non semper specie relationis transcendentalis.

128. Hinc relatio Paternitatis in creatis (nam relationes divinæ non sunt pro logicis) terminatur ad relativum. Non quia habet pro termino aliquid, quod in substantia filii, sit filiatio. Eadem namque omnino actio generativa est Paternitas, & denominat Patrem hominem illum, à quo descendit; necnon est filiatio, & denominat filium hominem illum, qui per illam producit: ergo cum nequeat se ipsam habere pro termino in sensu reali, idèd nequit habere pro termino filiationem in sensu reali; Sic eadem penitus visio oculos denominat videntes, & parietem visum; eadem volitio voluntatem facit volentem, & objectum volitum; eadem cognitio intellectum constituit cognoscentem, & objectum cognitum, ut nuper dicebamus. Terminatur itaque relatio Paternitatis ad relativum, quia habet pro termino substantiam hominis geniti, qui homo per hanc eandem actionem, quæ est Paternitas, refertur ad Patrem, ut genitus ab illo, atque ut illius filius: unde omnis relatio terminatur ad relativum, quod sit, vel essentialiter tale, idest transcendentaliter, vel contingenter tale, idest prædicamentaliter, sed non semper terminatur in sensu reali ad relativum, quod determinatè sit tale essentialiter.

129. Si difficultas procedit in sensu formali, opus est alia distinctione. Nam vel procedit in sensu formali generico abstrahente, ab omnibus speciebus relationum, vel in sensu formali specifico, idest exprimente quamlibet speciem particularem relationis. Si primum, non terminatur ad relativum. Quoniam licet verè ex parte rerum terminetur ad relativum in sensu nuper explicato; est ex

vi præcisè hujus generici conceptus, *Relatio*, nequit intellectus assequi terminetur, necne ad relativum. Sicut ex vi præcisè hujus conceptus *Animal* nequimus assequi sit, necne rationale, quamvis re vera sit rationale: ergo si loquamur in sensu formali generico relatio non terminatur ad relativum. Si in sensu formali specifico; terminatur. Nam assigna speciem, quam volueris, in particulari relationis, & illico deprehendes illius terminum referibilem esse ad fundamentum specie aliqua relationis juxta dicta in illa tertia divisione de relatione mutua, & non mutua.

130. Quæstiuncula 3. est. An deficiente actione, quæ tamen aliquando fuit (si enim nunquam fuit, non est quæstio) deficiat relatio. Oportet distinguere inter actiones, & quasi actiones, quæ abeuntes nullum relinquunt, inspecta sola natura, post se effectum, & illas, quæ effectum relinquunt; Abeuntibus primis cessat relatio: quia famulus legitimè dimissus habuit quidem, sed jam non habet relationem famuli, quia jam *non est* famulus tuus, neque, ullatenus teneret tibi obedire. Item mortuo conjuge alter superstes jam non est verè conjux illius, *quod si dormierit vir ejus liberata est, cui vult nubat*, unde si mortuus resurgeret, non poterat sine novo matrimonio cohabitare cum altero superstite, quamvis intra ipsius viscera prolem reliquisset, quia matrimonium non importat ex natura sua generationem proles, imo neque jus proximum ad illam: ut constat in matrimonio inter Josephum, & Deiparam initum sub voto castitatis. Item si mortuus Religiosus resurgeret, non esset Religiosus, absque nova professione, quia cessat esse membrum illius ordinis in terra, & intentio voventium videtur non extendi nisi usque ad vitæ præsentis finem. Non ita Sacerdos, quia cum importet indelebilem characterem, si esset redivivus, esset Sacerdos absque nova ordinatione, quamvis anima illa separata à corpore non posset absolvere, aut consecrare, quia hujusmodi facultates concessit Deus solis hominibus; illa autem anima non esset homo. Similiter de Christiano, ac de illo qui suscepit Sacramentum Confirmationis; sed de his alibi.

131. Sin loquamur de actionibus, aut quasi actionibus suapte natura relinquentibus effectum proprium, videtur dicendum, quod abeuntibus illis adhuc perseverat relatio, ut bene notat Hurtado. Sic discipulus, qui actu jam non discit à Magistro, conservat tamen ipsius doctrinam, vel totam, vel magna ex parte, ipsaque cum interna approbatione utitur, conservat adhuc relationem discipuli, & verè

& verè est discipulus illius, à quo accepit olim doctrinam, qua non tantùm olim, sed modò etiam utitur: cessat vero relatio discipuli, si vel dissentitur toti doctrinæ Magistri, vel saltem nunquam utitur illa. Sic similiter quamvis actio generativa transferit, & jam non fit in rebus; conservant nihilominus filij relationem filiationis respectu suorum parentum, quia conservant minimum naturale, idest materiam primogeniam ex sanguine paterno, & materno compactam, quam acquisierunt per actionem illam generativam, quæque est prima basis totius machinæ corporis humani, quod postea per nutritionem compararunt ex alimentis: quæ materia primogenia juxta bonam, aut malam temperiem, quam habuit, perficit, aut corrumpit totam molem corporis decursu temporis acquisitam.

132. Ultima est: An possit cognosci relatio ut talis, quin per eandem cognitionem cognoscatur ipsius terminus, immo, & fundamentum. Resolvimus hanc difficultatem Disput. de rerum connexionione, ac oppositione, ubi diximus: An & quomodo necessè sit cognoscere terminum connexionionis per eandem cognitionem, per quam cognoscitur connexio. Idèd modò transimus ad alia.

CAPUT QUINTUM.

An aliqua Relatio Prædicamentalis identificetur adæquatè cum fundamento, solum connotando terminum.

133. **D**iscrimen supra datum inter hanc relationem, & transcendentalem fuit, quòd nunquam identificatur adæquatè cum suo fundamento; sed ipsum hoc discrimen disputatur modò, & quidem non de omni relatione prædicamentali, quoniam de multis est certum; quod distinguantur adæquatè à fundamento, v. g. relatio paternitatis, & filiationis creatæ, relatio subjectionis, relatio similitudinis, ac dissimilitudinis in albedine, in sanctitate, & quovis alio accidente distinguuntur adæquatè à suis fundamentis, nec non à suis terminis. Difficulus præsens est de alijs relationibus prædicamentalibus, quæ saltem inadæquatè identificatæ, cum suis fundamentis agnoscuntur, v. g. relatio similitudinis in natu-

An relatio identificetur cum termino. 185

natura, qua moti dicimus: *Hic est Homo sicut ille*. Relatio distinctionis realis, cui innixi dicimus. Hic homo non est ille - Relatio coexistentiæ, qua duo parietes sibi invicem coexistunt, &c. De his itaque quæritur identificentur, necne adæquatè cum fundamento, itaut tota relatio similitudinis in natura humana, qua Petrus est similis Joanni plenè, totaliter adæquatè identificetur cum solo Petro, connotando tamen, & innuendo etiam Joannem.

134. In re hac, cujus non modica pars deflectere solet ad modum loquendi, quamvis immeritò, ut jam dicemus: advertite quinque Primum est. Connotatum rei solere esse terminum connexionionis, aut oppositionis rei ipsius: terminum, inquam, interdum *ut existentem*, ut Creator est connotatum creaturæ, quoniam hæc ex suis intimis innuit, seu connectitur cum existentia Creatoris. Dominus est connotatum servi, quia servitus non potest actu exerceri respectu Domini, qui nusquam, & nusquam est. Interdum, *ut possibilem*. Sic principium discursus connotat discursum, non ut actu existentem, sed ut potentem oriri ab eo principio. Principium sensationis connotat sensationem, non ut existentem, sed ut effectum, quem potest elicere. Interdum, *ut præteritum*. Sic hominis senis præsentia connotat multos annos, non ut presentes, aut merè possibilem, sed ut jam elapsos. Interdum ut futurum, interdum alijs modis. Semper tamen connotatum est terminus connexionionis, aut oppositionis, (ut Pater, & filius, Dominus, & servus, Maritus, & uxor, vita, & mors. Nequit enim res eadem habere simul, ac in eodem sensu utramque denominationem respectu ejusdem; & tamen una ex his connotat alteram,) sive connexio, aut oppositio sint metaphysicæ, sive physicæ, sive tantùm morales.

135. Secundum. Magnum est discrimen inter constitutum essentialiter, atque connotatum, seu terminum connexionionis essentialis: Creator enim est connotatum, cum quo metaphysicè, atque essentialiter connectitur hæc charta, sicut quævis alia creatura. Et tamen Creator non est constitutum essentialiter, seu pars intrinseca hujus chartæ, quæ certè distinguitur adæquatè à Deo. Assatim exemplorum invenies in tota Philosophia, & Theologia. Hæc distinctio certa inter constitutum essentialiter, & connotatum altè infideat menti, præsertim in hac quæstione; quia ex eorum univocatione nascuntur æquivocationes.

136. Tertium: Rerum constitutiva solent esse in duplici differentia. Una vocantur *recta*, sive *in recto*. Illa nimirum, quorum

identitas, aut distinctio affirmatur, aut negatur quando affirmatur, aut negatur alterutra. v. g. *Parietis est albus*. Subiectum, quod habet albedinem, est constitutum rectum, sive in recto illius concreti *Album*, quia ipsius identitas cum pariete affirmatur per illam propositionem. Item. *Hac charta non est filia Dei adoptiva*, subiectum fungens hac adoptione est constitutum rectum illius concreti, *Filia Dei adoptiva*, quippe ipsius distinctio ab hac charta adstruitur per eam propositionem: unde nulla est enuntiatio, quæ rigorosè examinata non enuntiet identitatem, aut distinctionem inter subiectum, & prædicatum, sunt tamen plurimæ in materia contingente, seu veritatis, aut falsitatis contingentis, non quidem *contingentia identitatis, aut distinctionis*, quia id est impossibile, sed *contingentia adjacentiæ*, quatenus contingens est, quod adhæreat subiecto, aut prædicato illud, quod adhæreere ipsi etiam enuntiat per propositionem v. g. *Parietis est albus*, vertitur sic *Parietis est subiectum, cui inhæret albedo*. Illa prima pars, seu potius illud primum, est *subiectum*, non est in materia contingente; sed in necessaria, vel in impossibili; secundum vero, *cui inhæret albedo*, est in materia contingente.

137. Altera dicuntur *obliqua*, seu *in obliquo*, illa scilicet, quorum identitas, aut distinctio non affirmatur, aut negatur quando affirmatur, aut negatur identitas, aut distinctio constituti; verè tamen, & simpliciter imbibuntur intra ipsum constitutum, seu intra ipsam denominationem quamvis non intra rectum ipsius denominationis, v. g. *albedo non est merum connotatum, sed verum constitutum essentiale huius constituti, sive denominationis, sive effectus formalis Album*, non quidem accepti pro solo recto huius denominationis; nam certè *albedo non est constitutiva subiecti, quod est album, (sed neque connotatum,)* sed accepti pro complexo ex subiecto, & albedine illi unita; & en detectam unam radicem æquivocationum in locutionibus de his rebus. *Album*, quippe quandoque accipitur pro solo constitutivo recto, nempe pro solo subiecto; cumque certum sit, albedinem non esse constitutivam ipsius, ideo aliqui vocant illam merum connotatum, sed immeritò, quoniam si intelligant subiectum solum, hoc neque constituitur per albedinem, neque illam connotat: paries namque subsistere potest absque albedine. Sed quia isti volunt, illam esse connotatum, & nolunt esse intrinsecum, & essentiale constitutum, incipiunt tergiversationes, quæ nunquam cessant. Quandoque

doque autem *Album* accipitur integrè, adæquatèque pro tota denominatione: cumque talis denominatio resultet ex subiecto, & albedine illi unita, idè alteri vocant illam, non merum connotatum, seu terminum connexionis, sed intimum, & essentiale constitutum.

138. Quartum. Constitutiva purè obliqua dicuntur esse strictè constitutiva, & non esse constitutiva, esse connota mera, & non esse merè connotata, & demum, neque esse constitutiva, neque connotata, prout fuerit illa alia res, cum qua conferatur; v. g. cognitio individua bonitatis individua *A*. si hæc cognitio conferatur *cum solo intellectu*, neque est constitutum, neque connotatum, quoniam intellectus potest certè existere in rebus, quin unquam habeat individua illam cognitionem. Si conferatur cum bonitatis illius *amore, aut voluntate* est connotatum saltem in genere sumpta, quia nil volitum, quin præcognitum; sed neququam est constitutum ipsius, quia licet volitio objecti intimè connectatur eisdem cognitione aliqua, ab omni tamen distinguitur adæquatè, sicut substantia producta per creationem, aut generationem, tametsi cum alterutra connectatur, per neutram constituitur intrinsecè. Sin verò illa cognitio conferatur cum voluntate, *ut proximè potente amare, aut vellem illam bonitatem*, non est certè constitutum rectum illius, quia hæc est sola ipsa potentia volitiva; at est verè, ac simpliciter constitutum, & non purum connotatum extrinsecum proximæ potentia ad amandum. Quoniam eatenus id non esset verum, quatenus esset constitutum purè obliquum. At esse id generis constitutum, ut revera est, non tollit, quod verè, ac simpliciter sic constitutum, seu principium intrinsecum ipsius.

139. Probatum exemplis communiter admissis extra casum presentem: materia, forma, huiusque anterior privatio, vulgò censentur absolutè, ac simpliciter sine ullo scrupulo, esse principia intrinseca entis naturalis in fieri per generationem, quæ sit mutatio, & tamen dumtaxat sunt constitutiva obliqua. Quoniam licet primum sonet, ens naturale; verum tamen ob illos subiectos terminos *in fieri per mutationem*, habetur sermonem esse *de ipso fieri*, quod sit mutatio. Ipsum autem fieri est generatio formæ, quæ generatio est mutatio. Unde nascitur quod ens naturale in fieri per mutationem importet in recto, *ipsum solum fieri*, sive solam generationem formæ. Sicut *Album* importat in recto solum subiectum, non solitudine excludente *existentiam* albedinis; sed solitudine excludente

quod rectum illud *constituatur* per albedinem. Similiter libertas creata indifferentiæ ad bonum, & malum, communiter dicitur constitui intrinsicè, ac essentialiter per divinam omnipotentiam, quippe quæ est principium essentialiter prærequisitum ad quamlibet operationem creatam: item per decretum applicativum illius: item per decretum determinativum quoad individuum: item per auxilium divinæ gratiæ: & tamen omnia hæc dumtaxat sunt constitutiva obliqua prædictæ libertatis. Hæc namque in recto dicit solam voluntatem, namque sola est, quæ adjuncta aliis comprincipiis meretur, aut demeretur per operationem illam, hæc sola est, quæ vivit per eandem, hæc sola, quæ trahitur, aut retrahitur respectu operationis illius, hæc sola est, quæ immediatè liberè illam concipit. Demum justificatio strictè sumpta, intrinsicè constituitur per peccatum mortale, tanquam per terminum à quo transit homo per gratiam ad statum amicitiae cum Deo, & hac de causa, nec Christi humanitas, nec Deipara fuerunt unquam justificatæ, licet semper fuerint sanctæ: scilicet quia nunquam habuerunt læthale, à quo transirent ad statum dictum. Et tamen hoc læthale est constitutum obliquum dumtaxat justificationis, quoniam hæc in recto dicit solam gratiam sanctificantem, solitudine nuper explicata: ergo rem esse constitutum obliquum, seu in obliquo non tollit, quod verè, & simpliciter sine ullo scrupulo sit constitutum, & non facit, quod sit merum connotatum extrinsecum.

§. II.

140. **S**ecundum est. Famosa hic personare solet propositio, imò in tota Philosophia, & Theologia, nimirum. *Id, quo præcisè, seu quo solo deficiente, deficit aliud, est aut tota essentia, aut pars essentiae illius.* Circa quam notandum est. 1. Non debent prætermitti particulæ illæ *solo*, aut *præcisè*, aut aliæ, quæ sint exclusivæ. Aliàs propositio restabit sic. *Id, quo deficiente, deficit aliud, est tota essentia, aut pars essentiae &c.* quod est falsum, quoniam deficiente termino connexionis metaphysicæ deficit fundamentum; & tamen terminus ille, neque est tota essentia, neque pars essentiae fundamenti, sed distinctus adæquatè ab illo, ut constat: ob eandem rationem est falsa hæc, *si eo ipso quod deficit B. deficit A., illud est constitutum hujus.* Quoniam illi eo ipso satisfit per connexionem essentialem rei *A.* cum *B.* Secundò. Nec debet dici. *Id, quo solo deficiente, deficit A., est constitutum, sive pars essentiae illius.* Quoniam fieri

fieri potest, quod *A.* & *B.* ita adæquatè identificentur, ut faciant unam essentiam simplicem omnino, ac indivisibilem realiter, & consequenter incapacem, quæ habeat constitutiva physica. Tunc certè solo *B.* deficiente deficit *A.*, sicut solo rationali humano deficiente deficit animal humanum; & tamen rationale hoc non est constitutum physicum, imò nec metaphysicum animalis, quia essentia metaphysica stat in indivisibili. Debet ergo sic formari illa propositio, ut reddat sensum disjunctivum, nempe *id quo solo, seu præcisè deficiente deficit aliud, est vel tota essentia, vel pars essentiae, seu constitutum illius.*

141. Tertiò. Non est necesse, quod sit determinatè constitutum, ut quod instar materiæ, aut formæ, nec determinatè constitutum, ut quo instar unionis ambarum. Nec determinatè constitutum in recto instar subjecti denominati. Nec determinatè constitutum in obliquo instar formæ denominantis, aut instar termini à quo, ut dicebamus de privatione formæ. Nec determinatè instar termini ad quem, ut etiam dicebamus de forma producta per generationem, quæ sit mutatio. Nullum ex his debet affirmari determinatè per dictam propositionem, quia erit falsa; sed omnia vagè, ac disjunctivè. Id est, si solo *B.* deficiente deficit *A.*; *B.* est constitutum, ut quod, vel ut quo in recto, vel in obliquo rei *A.*

142. Quartò. Illi termini *solo*, aut *præcisè B. deficiente* significant duo suspensivè, ac hypoteticè. Unum est quod deficiat *B.* alterum, quod cætera omnia distincta adæquatè à *B.* perseverent in rebus. Sicut enim quando dicimus *solus Petrus loquitur*, dicimus eum loqui, & neminem alium loqui: quod patet à posteriori ex eo, quod si vel unus alius loqueretur etiam, esset falsum dicere *solus Petrus loquitur*: Ita quando hypoteticè dicimus, *solo*, aut *præcisè B. deficiente*: duas hypoteses assumimus, una est quod *B.* deficiat. Altera est, quod cætera omnia distincta adæquatè à *B.* perseverent, seu non deficiant. Si enim, vel unum aliud distinctum à *B.* deficeret, jam non subsisteret *solo B. deficiente*. Quam ambiguitatem, ne vocibus irretiamur, arcebis, si propositionem illam sic proponas. *Si solo B. deficiente, & cæteris omnibus adæquatè distinctis permanentibus* (hoc enim significat illud *solo*) *deficit necessario A., necesse est quod B. sit tota essentia, vel constitutum rei A.*

143. Hæc autem propositio est omnino vera. Quoniam si solo *B.* deficiente, id est si deficiente illo, & permanentibus omnibus adæquatè distinctis ab illo non permanet, quinimò deficit *A.*, signum est

est, quod *A.* non distinguitur adæquatè à *B.* Si enim ab illo distingueretur adæquatè; permaneret, & non deficeret permanentibus omnibus adæquatè distinctis à *B.*: ergo si omnibus illis permanentibus, & deficiente solo *B.*, non permanet, sed deficit *A.*: Signum est, quod *A.* non distinguitur adæquatè à *B.* Tunc sic: *A.* non distingui adæquatè à *B.* non potest evenire, quando sermo est de objecto composito, nisi quia, vel constituit ipsam rem *B.*, sicut corpus non distinguitur adæquatè ab homine, quia est constitutivum ipsius, vel quia intrinsecè constituitur per *B.*: sed non primum, quia deficiente solo constituto ex re *A.* & permanentibus omnibus adæquatè distinctis ab illo constituto, non est necesse, quod deficiat res *A.* quoniam deficiente constituto solo, aut non solo possunt perseverare aliqua constitutiva, ut experimur, quando moritur homo; siquidem tunc deficiente homine perseverant materia, & anima ipsius: ergo si deficiente solo *B.* & cæteris permanentibus non permanet, sed deficit *A.*; signum est, quod non distinguitur adæquatè à *B.* & quidem ex eo, quod *A.* constituitur per *B.*, vel adæquatè cum illo identificetur, sicut animal cum rationali: ergo signum est quod *B.* sit tota essentia, aut pars essentiæ rei *A.* Illa itaque propositio: *Id quo solo deficiente &c.* quæ vulgè assumi solet pro majore, si intelligatur, ut explicuimus videtur omninò firma. Decipit non nullos vitium illud imaginandi in majore nullitatem minoris, & hac de causa negandi majores propter falsitatem minorum. Dicunt enim quod solo termino connexionis metaphysicæ deficiente, deficit fundamentum, & tamen terminus, nec est tota essentia, nec pars essentiæ fundamenti. Istud primum est falsum, & implicatorium in terminis, ut mox dicemus: ergo immeritè negatis illam majorem propter istud, quod non utcumque est falsum, sed implicatorium. Quocirca aliud est prædicta propositio, id quo solo, seu quo præcisè deficiente &c. Aliud ipsius applicatio tali, aut tali rei in particulari, v. g. termino connexionis metaphysicæ. Hæc applicatio rei particulari potest esse vera, & potest esse purè falsa, & potest esse implicatoria in terminis, prout illa res particularis fuerit. At propositio illa abstrahens à particularibus videtur omninò firma; Quemadmodum firmum omninò, & evidens est omne animal esse vivens. Quod autem res *A.* particularis sit animal, potest esse verum, & potest esse falsum, & potest esse implicatorium, ut si sub illa majore ponatis hanc minorem. *Sed hoc cadaver est animal*, implicat in terminis, si strictè, & castigatè loquamur. Cæterùm propter falsitatem,

tatem, ac implicationem hujus minoris *eset ne rationale negare*, illam majorem. *Omne animal est vivens?*

144. Similiter in præsentiarum. Falsa & implicatoria in terminis est ista propositio. *Solo termino essentiali connexionis deficiente deficit fundamentum.* Omnis namque propositio formaliter, aut æquivalenter assumens duas hypoteses, quarum una infert metaphysicè existentiam, & altera metaphysicè quoque carentiam fundamenti, est non utcumque falsa, sed implicatoria in terminis. Implicatoria, inquam, quatenus hypotesis una repugnat conditionato, & complexum ex utraque infert chymæram. Sed talis est ista propositio. Probat: una hypotesis formalis, aut æquivalens est, quod deficiat terminus connexionis essentialis, & hæc infert metaphysicè, quod deficiat quoque fundamentum, nam hoc nomine vocatur illud, quod nec divinitus potest existere sine illo termino. Altera est, quod deficiat ille *solus*, seu quod perseverent omnia prorsus distincta adæquatè ab illo. Et hæc hypotesis infert metaphysicè existentiam, seu perseverantiam fundamenti, quippè quod est unum ex illis, quæ distinguuntur adæquatè à termino: ergo ista propositio *solo termino &c.* formaliter aut æquivalenter assumit duas hypoteses, quarum una infert existentiam, & altera carentiam fundamenti: ergo implicat in terminis. Cæterùm propter hanc implicationem, sine qua illa major nequit applicari termino connexionis metaphysicæ, non est neganda illa major, quia non licet negare unam propositionem propter falsitatem alterius disparatæ.

145. Propter hunc eundem discursum non existimamus universè efficacem istum modum arguendi, *id quo præcisè deficiente &c.* quamvis enim hæc propositio major sit firma; si tamen adversarius dicet rem *B.* non esse constitutivum, sed terminum connexionis metaphysicæ rei *A.*, sicut est Deus respectu cujusvis creaturæ, & sicut sunt extrema respectu unionis physicæ eorundem; tunc concessa majore, & audita hac minore, *sed solo B. deficiente, & cæteris omnibus adæquatè distinctis permanentibus deficit A.*, illico dicet *implicat in terminis*, ob discursum nuper factum: nempe quia ista minor assumit duas hypoteses, quarum una infert existentiam rei *A.* scilicet *cæteris omnibus adæquatè distinctis permanentibus*. Et altera infert metaphysicè defectum rei *A.*: sicut etiam implicat in terminis hæc propositiones. Solis extremis deficientibus, & cæteris omnibus adæquatè distinctis permanentibus deficit unio. Assumuntur quippè hypoteses, seu condiciones, quarum una infert

exi.

deficit creatura. Assumuntur quippè hypoteses, seu conditiones, quarum una infert existentiam, & altera carentiam conditionati.

146. Quando ergo & quomodo deprehendemus: An *A.* constituitur intrinsecè, necne per rem *B.*? Respondeo in primis. Si *A.* sit res compositionis intrinsecè expers v. g. anima rationalis, Angelus, & similia quæ sunt physicè indivisibilia, non est locus quæstioni, quia hujusmodi res non habet physica constitutiva. Ergo si *A.* deficeret deficiente *B.*, hoc *B.* non est constitutum, sed connotatum terminans essentialem connexionem rei *A.*: si *A.* fuerit res composita, inspiciendum est, nùm inter illius constitutiva certa, & explorata sit aliquod metaphysicè connexum cum *B.* An non sit ullum. Si primum, potest adhuc *B.* esse constitutum intrinsecum: quia novum non est, quòd aliqua connexa mutuo, aut non mutuo conveniant in constituendo intrinsecè aliquam rem.

147. Cæterùm, nisi hoc aliunde probetur, negandum est. Tum quia sicut nec entitates, nec perfectiones, nec alia multiplicanda sunt sine necessitate; ita nec constitutiva. Tum quia, si tunc dicatur deficiente *B.* deficit *A.*: ergo hoc constituitur per illud; consequentia est nulla, ut supra diximus: & antecedens solum est verum, quia, ut supponimus, unum ex certis constitutivis rei *A.* connectitur cum *B.*, & consequenter deficiente *B.* deficit illud constitutum, & hoc deficiente deficit res *A.*: si autem dicatur solo *B.* deficiente deficit *A.*, respondebit alter, istam propositionem implicare in terminis ob nuper dicta. Quamobrem ad probandum *B.* esse intrinsecum constitutum rei *A.* quando aliunde constat unum ex certis constitutivis rei *A.* connecti cum *B.*, oportet confugere ad alios titulos. v. g. si *B.* est subjectum illius complexi, si est forma, si est unio, si est alterutrius capacitas: si est terminus à quo, si ad quem, si est principium, aut conditio prærequisita ad effectum, de cujus actu primo proximo disputetur: quia hæc omnia sunt respectivè constitutiva essentialia, & non merè connotata.

148. Quòd si ex una parte deprehendatur, quòd deficiente *B.* necessariò ex ipsa natura rerum deficit *A.* formaliter, aut illativè, (hæc sunt mera verba in præsentia, quibus petitur principium, & reditur ad initium difficultatis,) & ex alia parte inter constitutiva certa rei *A.* nullum detegatur intimè connexum cum *B.*, tunc constanter dicendum, *B.* non esse merum connotatum, aut terminum connexionis rei *A.*; sed intrinsecum, & essentialiter constitutum: quoties enim necessariò deficit res composita, profusè est

est necessarium, quòd deficiat aliquod constitutum essentialiter ipsius. Si enim omnia profusè constitutiva, nullo dempto, existant eo modo, quo sunt constitutiva, necesse est, quòd existat constitutum; v. g. si existant materia, forma, & hujus unio cum illa, est necessarium, quòd existat compositum: & eatenus præcisè defectus connotati, sive termini connexionis trahit secum defectum rei, quatenus trahit secum defectum alicujus constitutivi rei illius, & dicere quòd deficit connotatum, seu terminus essentialis connexionis rei compositæ, & simul dicere, quòd nullum penitus deficit constitutum essentialiter eo modo, quo est constitutum essentialiter, est dicere duo, quorum primum infert defectum rei illius; secundum verò existentiam illius rei.

149. Firma ergo, & inconcussa videtur propositio, scilicet quoties necessariò deficit res composita, necesse est deficere aliquod constitutum essentialiter illius, (res simplices non habent constitutiva physica in eo sensu, in quo sunt simplices,) at per te quoties deficit *B.*, necessariò deficit *A.* ergo quoties deficit *B.* necesse est, quòd deficiat aliquod constitutum essentialiter rei *A.*, sed nullum aliud præter ipsum *B.*, quoniam supponimus nullum ex alijs constitutivis rei *A.* esse connexum cum *B.* & consequenter non est necessarium ex natura ipsa rerum, quid quid sit ab extrinseco contingente, quòd deficiente *B.* deficiat ullum ex alijs constitutivis rei *A.* ergo si est necesse, quòd deficiat aliquod constitutum essentialiter rei *A.*, & hoc non verificatur de ullo alio distincto à *B.*, hoc *B.* est illud essentialiter constitutum.

§. III.

150. **H**is præmissis pro intelligentia constitutivi, & connotati quæ toties occurrunt, & quæstiones de re solent facere de nomine. Respondemus jam difficultati initio hujus capituli propositæ. Nulla relatio prædicamentalis identificatur adæquatè plenè ac totaliter cum solo fundamento, connotando terminum solum extrinsecè. Quia autem difficultas non est de alijs, sed de illis, quas saltem inadæquatè identificari cum fundamento fatemur, de his solis loquemur v. g. de relatione similitudinis Petri, & Joannis in natura humana, de relatione distinctionis realis inter duo, de relatione æqualitatis, aut inæqualitatis duarum quantitatum, non tam in extensione locali, (quia hæc stat formaliter in utriusque

præsentijs ab utraque distinctis,) quàm in numero partium . De relatione prioritatis , & posterioritatis temporalis duorum dierum ; de relatione coexistendi in eodem tempore , non quidem duarum aliarum rerum , sed duarum determinatè *durationum* , quia in his stat formaliter coexistentia temporalis , & illa distinguuntur realiter à rebus durantibus , sicut præsentiæ à rebus præsentibus : & de alijs similibus , (sed non de omnibus omnino ,) quas dicimus identificari adæquatè cum fundamento , & termino , inadæquatè cum unoquoque , sicut homo identificatur adæquatè cum corpore , & anima unitis ; & inadæquatè cum unoquoque , ita ut falsè diceretur hominem plenè , totaliter adæquatè consistere in sola anima . v. g. connotando extrinsecè materiam .

151. Cùm autem in prædicta relatione similitudinis in natura humana , tam Petrus , quàm Joannes possint esse fundamentum , quia tam ille est similis huic humanitate , quam hic illi , unde arbitrarium est , quod sic de illa loquamur : *Petrus est similis Joanni* , aut sic , *Joannes est similis Petro humanitate* : eligamus primum loquendi modum . Probatum igitur conclusio ratione gemina : una à priori , & altera à posteriore . Petrum esse actu formaliter similem quoad humanitatem Joanni , similitudine objectiva , vera , & stricta , nil aliud est , quàm quod Petrus hic , & nunc sit homo , & Joannes hic , & nunc sit homo , (si enim alteruter non existat , erunt quidem similes conditionatè , sed non absolutè ,) sic enim formaliter immediatè uterque est homo , & formaliter verificatur ambos esse homines . Hoc ita perspicuum videtur , ut probatione non egeat : quid enim est à parte rei : *hunc esse similem illi humanitate* , nisi *hunc esse hominem* , & *illum esse hominem* . Sed Petrum hic , & nunc esse hominem identificatur cum Petro , & cum duratione , qua hic , & nunc existit . Joannem hic , & nunc esse hominem , identificatur cum Joanne , & cum duratione qua hic , & nunc existit : ergo Petrum esse actu formaliter similem humanitate Joanni similitudine objectiva , identificatur adæquatè cum utroque , & inadæquatè cum unoquoque , id est partim cum Petro , & sua duratione , partim cum Joanne , & sua duratione , cum hoc , inquam , tanquam obliquo constitutivo , quando illam sic proponimus ; Petrus est similis Joannis : & tamquam constitutivo in recto , quando sic : Joannes est similis Petro . Jam explicuimus in Dialectica quo sensu pendeat , & quo non pendeat à nostris locutionibus rectum , & obliquum . Ergo non identificatur adæquatè cum solo Petro , & sua duratione relatio illa connotan-

do Joannem tanquam terminum extrinsecum .

152. Quod si terrearis vocibus illis . *In recto , in obliquo loquamur de prædicta similitudine sic . Petrus , & Joannes sunt similes natura humana . Cur potius Petrus , quàm Joannes debet esse fundamentum hujus relationis ? cur hæc potius debet identificari cum Petro solo , connotando extrinsecè Joannem , quàm cum solo Joanne connotando extrinsecè Petrum ? Item cur alius quispiam non poterit dicere verè hominem identificari adæquatè cum anima connotando extrinsecè materiam : & alius , hominem identificari adæquatè cum corpore connotando extrinsecè animam ? quod esset negare composita substantialia , & accidentalia . Videtur itaque certum prædictam relationem similitudinis , hoc est , prædictam similitudinem esse complexum quoddam , seu binarium , cum neutra sola unitate identificatum adæquatè , sed cum utraque .*

153. Altera ratio est à posteriori . Si Petrum esse actu physicè adæquatè similem Joanni humanitate identificaretur adæquatè cum solis Petro , & sua præsentè duratione , omnis casus possibilis , in quo darentur Petrus , & sua præsens duratio , esset casus , in quo actu absolutè daretur adæquata similitudo illa Petri cum Joanne , & consequenter esset casus , in quo , nec formaliter , nec illativè deficeret actualis , & absoluta illa similitudo adæquata , quoniam necesse est quod existat , & impossibile est quod deficiat formaliter , aut illativè illud , cujus omnia constitutiva eo modo , quo sunt constitutiva existunt . At non omnis casus possibilis , in quo dantur Petrus , & sua præsens duratio est casus , in quo actu absolutè datur adæquata (hoc est mutua) similitudo illa . Siquidem casu quo Joannes non sit actu absolutè homo , eo quia nondum sit natus , vel jam sit mortuus , possunt dari Petrus , & sua præsens duratio , ut constat ; & tunc certè Petrus non est actu absolutè similis adæquatè , & mutuo Joanni , quoad humanitatem : ergo ea similitudo adæquata non identificatur adæquatè cum solis Petro , & sua duratione præsentè : ergo identificatur ulterius cum aliquo alio , sive recto , sive obliquo (quod modò non curamus , cùm supra explicaverimus , obliqua esse quoque verè , ac simpliciter constitutiva .) Tunc sic . Sed hoc aliud non potest esse , nisi Joannes ipse , ac sua duratio . Vel assigna quodnam sit : ergo prædicta similitudo adæquata , seu mutua non identificatur adæquatè cum solis Petro , & sua duratione , sed cum his , & insuper cum Joanne , & duratione sua .

154. Diximus 1. Similitudo adæquata , seu mutua , quia de

hac censemus non identificari adæquatè cum solo fundamento, & hæc sola est adæquata relatio similitudinis, nempe Petrum esse actū absolutè hominem, & etiam Joannem esse actū absolutè hominem. Sin præsentem rem detorqueas ad similitudinem inadæquatam, relationemque hanc partialem; dicimus unam identificari adæquatè cum fundamento, & alteram distingui adæquatè ab illo, & identificari adæquatè cum termino. Quoniam hæc similitudo adæquata, & mutua dicit duo. Unum est, Petrum esse actū absolutè hominem, & hoc adæquatè identificatur cum solo Petro, & sua præsentem duratione. Alterum est, Joannem esse actū absolutè hominem. Et hoc distinguitur adæquatè à Petro suaque duratione, & identificatur adæquatè cum solo Joanne, ac sua duratione. Sed hoc esset extra metam vagari, quia quæstio est de similitudine *adæquatè sumpta*. Quod si nolis loqui de illa adæquatè, sed inadæquatè sumpta, & hanc solam menti infigas, concedimus unam illam identificari adæquatè cum fundamento: sed alteram identificari adæquatè cum termino.

155. Diximus secundò in majore hujus secundæ rationis. Omnis casus possibilis, in quo darentur Petrus, & sua præsens duratio; non autem diximus omnis casus in quo darentur *solum*, aut *præcisè* Petrus, & sua duratio. Quia casus, in quo dentur Petrus, & sua duratio est casus possibilis, ut constat; casus autem in quo dentur *præcisè*, aut *solum* ea duo, præfert contradictionem. Ambo enim connectuntur metaphysicè cum multis aliis realiter distinctis: ergo omnis casus, in quo existant illa duo *præcisè*, est casus in quo nil aliud realiter distinctum existat: hæc enim est vis, atque energia illarum exclusionum *præcisè*, *solum* &c. ergo est casus, in quo non existant termini, cum quibus metaphysicè connectuntur illa duo: ergo est casus, in quo non existant illa duo, cum aliundè supponatur, quod existant. Amovendi itaque causâ hanc æquivocationem non addidimus illas particulas exclusivas, & solum dicimus terminis brevioribus. Si *A* identificetur plenè adæquatè totaliter cum solo *B*. omnis casus possibilis, in quo datur *B*., est casus, in quo datur *A*. Nam in creatis ex duobus realiter identificatis adæquatè repugnat, quod existat unum, & non existat alterum.

156. Diximus tertio repugnare, quod existant omnia constitutiva alicuius *eo modo, quo sunt constitutiva*, quin existat illud. Quoniam non præterit nos vera illa sententia Philosophi agentis syllabam *Ba*. non esse syllabam *Ab*. licet ambæ constituantur per literam

ram *B*. & per literam *A*. Etenim *Ba*. non solum constituitur per illas duas literas, sed etiam per talem illarum ordinem, quod *B*. proferatur, aut scribatur ante *A*, idest intrinsecè constituitur per durationem, aut præsentiam literæ *B*. ante literam *A*. E converso autem syllaba *Ab*.; at neque illa præcedentia datur in hac syllaba *Ab*. neque hæc secunda in illa syllaba *Ba*: ergo in syllaba *Ab* deficit unum constitutivum essentialè syllabæ *Ba*, & in syllaba *Ba* deficit unum constitutivum essentialè syllabæ *Ab*. Quid ergo mirum quod neque quoties datur hæc, detur illa, neque quoties datur illa, datur hæc. Sed hæc doctrina obverti non valet contra nostram secundam rationem. Illâ namque solum adspiramus ad probandum prædictam similitudinem adæquatè sumptam non identificari adæquatè cum solo Petro, & sua præsentem duratione. Unde inferimus, illam identificari etiam cum aliquo alio. Atqui hoc aliud non potest esse, nisi quod Joannes actū absolutè sit homo. Vel cedo istud aliud ergo &c.

§. IV.

157. **S**olutiones contrariæ hoc eodem discursu impugnantur: Respondent primò, deficere Joanne deficere illam similitudinem illativè, sed non formaliter. Sed de hoc est quæstio, redimus ad initium, & petitur principium. Respondes enim defectum Joannis non esse defectum formalem dictæ similitudinis, ed quod Joannes non sit constitutivum illius. De hoc autem est quæstio. Præterea repugnat quidquam deficere *illativè* quin absolutè deficiat *formaliter*: nam quoties deficit constitutivum essentialè rei, aut tota ipsa existentia rei, si hæc fuerit simplex, res deficit formaliter: sed quoties deficit, illativè deficit, aut tota existentia rei, aut aliquod saltem constitutivum essentialè rei. Nam deficere illativè est re ipsa dari aliquid necessariò inferens defectum ipsum formalem rei, & videtur chymæra, quod detur defectus formalis rei, quin deficiat, aut tota existentia rei, aut aliquod ipsius constitutivum: quoniam si omnia penitus existant eo modo, quo sunt constitutiva, est necesse quod res existat, & est impossibile quod deficiat: ergo quoties deficit illativè deficit formaliter: ratio autem est. Deficiente Joanne, aut perseverant omnia prorsus constitutiva nullo dempto eo modo, quo sunt constitutiva illius adæquatæ similitudinis, aut non perseverant. Si primum, necessarium prorsus est, quod illa similitudo adæquata perseveret, & consequenter, quod, nec for.

formaliter, nec illativè deficiat. Si secundum, quodnam est istud constitutum quod deficit, nisi alterum extremum ejus similitudinis, Joannes nimirum: ergo hic est constitutum ejus similitudinis, & non est merum connotatum extrinsecum.

158. Resp. 2. Deficere similitudinem illam, quia deficit suum connotatum essentialiale; & est impossibile rem existere, quando deficit terminus, quo cum essentialiter connectitur. Hoc est omninò verum. Cæterùm eatenus est impossibile, rem existere in isto casu, quatenus defectus connotati, termini connexionis, conditionis necessariæ, prærequisiti, & similibus trahit secum indispensabiliter defectum, aut totius rei, si fuerit simplex, aut alicujus constitutivi essentialis ejusdem. Si enim omnia prorsus verificentur existere, necesse est illam rem existere: ergo si deficiente Joanne, deficit aliud quod connotatum essentialiale illius similitudinis, necessarium est deficere aliquod illius constitutum essentialiale. Quodnam est hoc? Ubi resurgit argumentum idem. Deficiente isto connotato, isto prærequisito, ista conditione necessaria, isto termino connexionis, aut perseverant, aut non perseverant omnia prorsus constitutiva illius similitudinis adæquatè eo modo, quo sunt constitutiva. Si perseverant, necesse est quod perseveret ipsa similitudo, & est impossibile quod deficiat istud essentialiale connotatum. Si non perseverant, quodnam est istud essentialiale constitutum, sive ut quod, sive ut quo, sive in recto, sive in obliquo distinctum à Joanne ipso?

159. Respondent tertiò: deficiente Joanne posse quidem perseverare hoc, quod est Petrum esse actu absolutè hominem; aut non perseverare, ut connotans Joannem esse actu absolutè hominem. Prædictam vero similitudinem identificari adæquatè cum fundamento non utcumque, sed ut connotante terminum. Redit argumentum idem. *Fundamentum ut connotans terminum* non debet esse mera verba, sed aliquid reale; & verum ex parte objecti: quærimus, ergo: hæc objectiva realitas, *fundamentum ut connotans terminum*, aut identificatur adæquatè, plenè, ac totaliter cum sola entitate fundamenti, (si hic iterum distinguas *ut connotante*, esset intrudere definitum in definitione, & perinde ac quærenti esse hominem, vel est identificari adæquatè cum materia forma & unione. Vel non; Respondere, esse identificari cum materia forma, & unione, quæ sint homo. Unde istud videtur esse odisse lucem, quia de ista connotatione quærimus quid sit à parte rei amotis verborum involucri, igitur quærimus: *Fundamentum ut connotans terminum*, seu

conno-

connotatio ipsa objectiva, & realis quid est ex parte rerum? quam aut quas entitates imbibit? identificatur adæquatè cum sola entitate fundamenti, vel cum hoc & aliquo alio?

160. Si primum, ergo omnis casus possibilis, in quo datur entitas fundamenti, est casus, in quo datur ista connotatio, seu in quo datur fundamentum ut connotans terminum. Sed hoc deficiente, potest existere entitas ipsa physica, & realis fundamenti. Ergo termino deficiente potest dari fundamentum, *ut connotans terminum*. Ergo deficiente termino datur actu absolutè physica adæquatè similitudo in natura humana inter Petrum, & Joannem nondum natum, vel jam mortuum, & consequenter inter Petrum, & illum qui actu absolutè physice non est homo. Si secundum, quodnam est illud aliud quocum identificatur fundamentum, *ut connotans terminum*, nisi terminus ipse? in alijs reduplicationibus alludentibus ad objectivas ipsas realitates, non semper contingit, quod reduplicatio ipsa objectiva identificetur adhuc inadæquatè cum termino v. g. fundamentum ut connexum cum termino, ut oppositum termino &c. non identificatur adhuc inadæquatè cum termino, sed adæquatè cum fundamento. Id autem ideo contingit, quia verum est de illis primum extremum hujus dilemmatis, & legitima consequentia ex illo, nempe: Omnem casum possibilem, in quo detur entitas fundamenti, quod est adæquatè connexum, vel adæquatè oppositum termino, esse casum, in quo datur fundamentum, *ut connexum*, vel *ut oppositum*, id est esse casum in quo datur connexio, vel oppositio cum illo termino.

161. Hoc autem dici non potest in presenti, quia deficiente termino dictæ similitudinis non datur fundamentum, *ut connotans terminum*, quia non datur fundamentum, *ut simile termino*. Cum tamen detur, aut dari possit tota entitas physica, & realis fundamenti. Hoc autem verificari nequit de fundamento adæquato connexionis metaphysicæ: chymæra enim est illud existere, quando deficit suus terminus, si connexio fuerit absoluta, & determinata. Quod si propterea dicas, fundamentum, *ut connotans terminum* includere ipsam connotationem, & hanc stare in ipso termino vocali, aut mentali, quo in medium producimus fundamentum aperientes ipsius similitudinem cum termino. Si, inquam, id dixeris, extra Chorum saltas, quia non disputamus connotationem, seu relationem mentalem, aut verbalem; sed objectivam, & realem, quæ fundamentum est nobis ad hanc aliam; Præter quam quod

de.

deseris tuam sententiam, quoniam ista relatio, seu connotatio mentalis aut verbalis non identificantur adhuc inadquatè cum termino. Fatemur. At neque cum fundamento, nam certum est quod actus, quo Petrum conferimus cum Joanne, distinguitur adæquatè à Petro. Igitur verum est, similitudinem dictam fundamenti cum termino connotare hunc; sed connotat hunc, sicut homo connotat corpus, nimirum ut constitutum intrinsicum, & essentialiter, non autem instar puri termini extrinseci, sicut creatura connotat creatorem. Neque putes inanem, aut levem esse hanc speculationem discernentem inter constitutiva, & connotata purè extrinseca. Multa namque, & gravissima pendent in Philosophia, & Theologia ex eo, quòd res constituatur intrinsicè, atque essentialiter, aut non constituatur per tale aliud, & justam sententiam non dabis si non discernas inter constitutum, & connotatum merè extrinsecum.

162. Denique Resp. 4. Deficiente termino perseverare prædictam relationem *quidditivè, secundùm implicitum, quoad entitatem, secundùm rectum, ut quod, non autem perseverare denominativè, secundùm explicitum, quoad denominationem, secundùm obliquum*, atque ut *quo*: jam vides, hac verborum multitudine obscurari potius, quam illustrari veritatem. In primis hoc nil est aliud, quàm dicere, quod deficiente termino perseverat una pars dictæ relationis nempe fundamentum illud, quod est, ac dicitur simile. At non disputamus hoc, sed totam ipsam similitudinem, relationemque adæquatam, adæquatè sumptam, idest *implicitum, & explicitum, quidditivum, & denominativum, rectum, & obliquum, quod, & quo*. Complexum hoc identificantur adæquatè cum solo fundamento, vel non, & redit argumentum toties datum: sed loquamur magis in individuo. Ista denominatio similitudinis, seu istud explicitum identificatur adæquatè cum solo Petro, vel cum eo, & alio? Si primum, ergo omnis casus in quo datur Petrus est casus, in quo datur ista denominatio, & istud explicitum; & consequenter est casus, in quo datur relatio non solum quidditivè, sed etiam denominativè, non solum quoad implicitum, sed etiam quoad explicitum. Si secundum ista denominatio, istud explicitum est quod vocamus *relatio similitudinis adæquata*: ergo habemus intentum; vel tota quæstio reducitur ad modum loquendi.

§. V.

163. **O**bjicies primò. Priscum illud Soncinatis argumentum, & satis acutum desumptum ex eo, quod binarium duorum hominum æquet binarium duorum Angelorum *in similitudine* specifica; secùs in entitativa *perfectiōe*, unde inferitur, hanc non esse illam, & consequenter illam non identificari adæquatè cum utroque homine. Explicuimus argumentum hoc Disputatione 1. Cap. 2. inter solvendum argumenta probantia distinctionem virtuale, aut formalem in creatis. Præterquam quod, hoc, & multa alia argumenta, quæ objici solent contra præsentem conclusionem, dumtaxat probant, talem, aut talem relationem prædicamentalem non identificari adæquatè cum fundamento, & termino; cujus contradictorium, nec dicimus, nec diximus: quin potius advertimus multas distingui adæquatè ab utroque, alias identificari adæquatè cum solo termino, ex quibus nequit sumi paritas ad affirmandum, alias identificari adæquatè cum solo fundamento, quia illæ non habent contra se argumentum, quod objecimus contra has, ut rem meditati patebit: Cæterum neque hoc Soncinatis argumentum, neque aliud, unquam probavit relationem aliquam prædicamentalem identificari adæquatè, cum solo fundamento, connotando terminum purè extrinsecè.

164. Objicies secundò. Generatio termini, unio extremorum, & multa similia sunt relatio prædicamentalis, & tamen identificantur adæquatè cum fundamento; per solam namque suam essentialitatem habent esse generationem, esse unionem &c. Dist. majorem; sunt relatio prædicamentalis *sui ipsarum* ad illa alia: nego. Quia ob istam rationem probatur, esse relationem transcendentalem sui ipsarum ad ista. Sunt relatio prædicamentalis inter generantem, & genitum, inter unum extremum unitum, & alterum, &c. Concedo. At cum neutro identificantur adæquatè. Itaque eadem penitus actio generativa creata est relatio transcendentalis, & simul prædicamentalis, *transcendentalis*, non quidem generantis ad genitum, aut vice versa; sed sui ipsius ad utrumque: quo circa hujus relationis fundamentum, (utique logicum,) est ipsa, non verò alteruter illorum. *Prædicamentalis* etiam, tum Patris generantis ad filium genitum, & tunc fundamentum ipsius est Pater, à quo distinguitur adæquatè, siquidem ille homo potuit existere quin generaret hunc filium. Tum etiam filij geniti ad Patrem generan-

nerantem, & tunc fundamentum ipsius est filius genitus, à quo distinguitur adæquatè. Nam etiam hic filius potuit existere, quin nasceretur ex hoc Patre. Ambo itaque sunt fundamentum in sensu logico hujus relationis, quatenus quilibet ex vi generationis refertur ad alterum, licet in diverso genere, quia hæc est relatio disquirantia. In sensu autem physico solus Pater est fundamentum illius relationis, quia solus Pater est causa physica illius,

165. Objicies tertio. Ponamus duas quantitates inæquales, unam palmarem, & alteram semipalmarem. Juxta nostram sententiam id, quo palmaris constituitur major, non est ipsa sola, sed identificatur etiam inadæquatè cum quantitate minore, quæ est terminus ejus majoritatis. Rursus. Id, quo semipalmaris constituitur minor, non est ipsa sola, sed identificatur partim cum ipsa, & partim cum quantitate palmari: ergo eadem sunt constitutiva illius, quo una constituitur major, & illius quo altera constituitur minor: ergo eadem sunt constitutiva majoritatis, & minoritatis: ergo majoritas, & minoritas sunt idem. Hoc distinguimus. Sunt idem in concreto, negamus. In abstracto, sub dist. sunt idem respectu ejusdem, negamus: respectu diversarum; concedimus.

166. Quemadmodum literæ componentes syllabas *Ab.* & *Ba.* sunt eadem; sed syllaba *Ab.* non est *Ba.*, quia mutatur ordo, qui est etiam constitutivus syllabarum. Item quemadmodum constitutiva hujus complexi, *Maritus uxoris*, sunt eadem, ac constitutiva hujus *Uxor mariti*; sed esse maritum uxoris non est esse uxorem mariti. Nempè quia transponuntur recta, & obliqua; & veritas propositionum pendet etiam ab eo, quod ponitur in recto, quia pendet ab eo, quod dicit ipsa propositio, & ipsa enunciat identitatem, aut distinctionem respectu illius, quod ponitur in recto, ut toties monuimus. Ita, quamvis eadem penitus sint constitutiva dictæ majoritatis, & minoritatis; verumtamen non sunt idem illæ duæ sumptæ in concreto; id est non est idem esse quantitatem minorem, ac esse quantitatem majorem respectu ejusdem; quia primum dicit in recto quantitatem minorem, secundum verò, quantitatem majorem. Quantitas autem minor, & quantitas major non sunt idem realiter, sicut nec maritus uxoris, & uxor mariti. Nihilominus, si loquamur de majoritate, ac minoritate in abstracto, id est de forma, aut quasi forma, per quam immediatè quantitas una est major, & per quam altera est minor, dicimus, quod hæc forma adæquata est una, & eadem; nimirum complexum ex palmaritate,

te, ac semipalmaritate: per hoc enim complexum formaliter immediatè una constituitur major respectu alterius, & altera minor respectu unius. Sicut per eandem visionem constituor *videns* hanc chartam, & hæc charta constituitur *visa* per me, & per eundem penitus amorem constituor *Amans Deum*, & Deus constituitur *amatus per me*: & per idem complexum ex gemino reciproco consensu vir constituitur maritus uxoris, & femina constituitur uxor mariti: & per idem complexum ex gemina differentia individuali Petrus constituitur distinctus à Joanne, & hic distinctus ab illo. Et quemadmodum in his exemplis licet forma adæquata sit eadem; verumtamen reciprocos matrimonialis consensus constituens denominationem mariti, & uxoris, non constituit illas respectu ejusdem personæ, sed respectu diversarum. Ita quamvis majoritas, & minoritas sumptæ in abstracto sint idem; at non sunt idem respectu ejusdem penitus quantitatis, sed respectu diversarum, quatenus illa eadem majoritas, & minoritas quantitatem palmarem constituit, ac denominat majorem, semipalmarem autem denominat, & constituit minorem: sicut idem omnino motus orientem versus, denominat plagam orientalem, *terminum accessus*; & occidentalem *terminum recessus*.

167. Instabis: ergo tandem majoritas, & minoritas in abstracto sunt idem: ergo quidquid est fundamentum unius, & per illam refertur, est fundamentum alterius, & refertur per illam. At quantitas minor est fundamentum minoritatis, & refertur per illam: ergo quantitas minor est fundamentum etiam majoritatis, & refertur per illam; sed omne quod est fundamentum majoritatis, & refertur relatione majoritatis est majus: ergo quantitas minor est quantitas major. Cùmque idem argumentum possit instrui terminis inversis, sequitur etiam quod quantitas major sit quantitas minor. Idem argumentum formari potest in filiatione. Nam cùm eadem penitus sit actio, qua Pater generat, & filius generatur, si hæc est fundamentum filiationis, & refertur relatione filiationis, est quoque fundamentum Paternitatis, & refertur relatione Paternitatis: ergo filius est Pater, & viceversa. Similiter cùm visio activa, & passiva sint idem, & hæc charta sit fundamentum visionis passivæ, referturque ad me relatione *visa per me*, sequitur esse quoque fundamentum visionis activæ, & referri ad me relatione visionis activæ, & consequenter sequitur, hanc chartam videre me. Similiter in prioritate temporali hodierni diei ad crastinum, & posterioritate

ad hesternum . Cum enim prioritas , & posterioritas sint idem respectu diversorum , sequitur diem hodiernum esse quoque posterio- rem die crastino , & esse priorem die hesterno .

168. Permissis cæteris omnibus , distinguo secundam subsum- ptam minorem . Omne , quod est fundamentum majoritatis *sui ipsius ad aliud* , & refertur relatione majoritatis *sui ad aliud* , est majus ; concedo : majoritatis , non sui ad alterum , sed *alterius ad se* , est majus , nego minorem , & consequentiam . Considera duplicem majoritatem : unam rei *A.* respectu alterius : alteram alterius respectu rei *A.* : Ut res *A.* sit major , debet referri relatione majoritatis *sui ipsius* respectu alterius ; non verò majoritatis , quæ sit majoritas *alterius* respectu rei *A.* Nam hoc potius evincit , rem *A.* esse minorem . Quemadmodum ut aliquis sit Pater Joannis , non sufficit , quòd ut- cumque referatur ad Joannem relatione Paternitatis ; sed Paternita- tis *sui ipsius* respectu Joannis ; quoniam si refertur relatione Paterni- tatis , quæ sit Paternitas Joannis respectu ipsius , certè non est Pater Joannis , sed filius . At quantitas minor , licet referatur ad quantitatem palmarem relatione majoritatis , non refertur relatione majoritatis , quæ sit majoritas *ipsius* respectu quantitatis palmaris ; sed quæ sit majoritas *quantitatis palmaris* respectu ipsius semipalmaris : ergo quamvis quantitas minor sit fundamentum majoritatis , & referatur relatione majoritatis in sensu purè physico , & materiali ; verumtamen non est quantitas major . Et idem servata proportione respondendum , si argumentum formetur super quantitate majore ad probandum illam fore minorem .

169. Si insistere velis principiis datis Disp. 1. cap. 2. ubi expli- catione terminorum liberavimus à contradictione multas proposi- tiones , quæ videntur contradictoriæ , concessio primo antecedente , nega primam consequentiam , ex qua cætera pendent . Sicut ex eo , quòd accessus , & recessus localis sint idem realiter , ac virtualiter , non sequitur esse terminum accessus quidquid est terminus recessus , ob diversum sensum , quem reddunt hæ propositiones *esse terminum accessus* , *esse terminum recessus* : & quia una , eademque forma potest , ac solet impertiri diversos , & oppositos effectus formales juxta di- versitatem subjectorum . Ita ex eo , quòd majoritas , & minoritas sint idem realiter , non sequitur , omne , quod refertur relatione majori- tatis , referri relatione minoritatis ; quoniam referri relatione majori- tatis per se , & juxta communem modum loquendi est *esse majus* . Referri relatione minoritatis , & esse fundamentum hujus est *esse*

mi.

minus . At ex eo , quòd majoritas , & minoritas sint idem realiter ; ac virtualiter non sequitur , quòd *esse majus* sit *esse minus* , & quidem respectu ejusdem .

170. Sicut ex eo , quòd *videre* , & *videri* sumpta in abstracto sint idem , non sequitur videre omne , quod videtur , aut videri omne quod videt : & sicut ex eo , quòd generare , & generari sumpta in abstracto sint idem , non sequitur generare omne , quod generatur , aut generari omne , quod generat . Et idem de amare , & amari &c. ergo ex eo , quòd majoritas , & minoritas sint idem in sensu reali , & virtuali non sequitur , esse fundamentum unius , quod est funda- mentum alterius , aut referri relatione unius , quod refertur relatione alterius : cujus ultima ratio resolvitur in diversitatem sensuum , quos reddunt istæ propositiones juxta communem loquendi mo- dum : Neque abutaris hinc generali doctrina non curandi locutio- nes , sed incumbendi in realitates ipsas objectivas . Quoniam licet ad indagandum res , oporteat non hære in vocibus ; verumtamen ad concedendum , vel negandum propositiones necesse est exami- nare sensum , quem habent : Atqui sensus hic stat in ipsis termi- nis , quibus constant propositiones : ergo necesse est in hos inquirere , & hos examinare .

171. Objicies tertio . Veritas non quidem transcendentalis , sed prædicamentalis actus intellectus , cum sit relatio conformitatis ju- dicii cum objecto , identificabitur cum actu , & objecto : ergo si ob- jectum affirmatum per actum fuerit actio turpis , veritas illa consti- tuetur essentialiter per actionem illam turpem : ergo primò veritas illa est turpis , & peccaminosa , quia malum ex quocumque defectu ; cum tamen veritas semper sit bona , & expetibilis , & necessariò competat actibus divinis : ergo . 2. Deus amans veritatem suæ scientiæ amat aliquid intrinsecè , ac essentialiter constitutum per pecca- tum : ergo amat peccatum ipsum , quia amare rem aliquam est ama- re sua constitutiva essentialia . Confirmatur . Relatio oppositionis legis cum peccato , quod idè est peccatum , & malum , quia prohibetur , est bona oppositio , & tamen juxta nos intrinsecè constituetur per peccatum . E converso oppositio peccati cum lege est mala , & tamen juxta nos intrinsecè constituetur per legem ipsam , quando non idè est prohibitum , quia malum ; sed idè est malum , quia prohibitum . 3. Omnis metaphysica oppositio esset chymæra , quod constat esse fallum . Probat : omne complexum constans duobus constitutivis invicem essentialiter oppositis est chymæra . Nam

tale

tale est, ut si existeret, existerent sua constitutiva, & consequenter sequerentur duo contradictoria: sed omnis metaphysica oppositio, utpotè identificata partim cum fundamento, & partim cum termino, constaret constitutivis essentialiter oppositis, nempe fundamento, & termino ipsius oppositionis: ergo est chymæra.

172. Ad objectionem distinguo antecedens: Identificabitur univocè cum actu, & objecto; nego. Æquivocè idest cum actu, ut constitutivo recto, & cum objecto, ut constitutivo obliquo; concedo antecedens: & distinguo primum consequens: constituetur in recto per actionem illam, nego; constituetur obliquè; concedo: & nego primam illam subjunctam consequentiam. Quoniam, ut sepè dictum est, quando propositio est affirmativa, enuntiat identitatem prædicati cum illo, quod est rectum ex parte subjecti. At rectum illius subjecti complexi *Veritas* est in sensu scholastico solus actus intellectus, qui, posito quod sit peccatum commissum, enunciat illud (quamvis in sensu arithmetico, idest loquendo de veritate, prout est binarium quoddam duarum rerum, tam sit actus, quàm objectum:) ergo prædicatum illud debet convenire dicto actui: sed verè non convenit, quia, posito quod sit peccatum, non est turpe, aut peccaminosum judicare commissum esse peccatum: ergo veritas illa non est turpis, & peccaminosa loquendo in sensu scholastico, tamen si, prout est binarium quoddam ex actu intellectus, & peccato, sit binarium peccaminosum, & in hoc sensu valeat axioma istud, quod alibi cum aliis proverbii explicuimus. Secunda consequentia permitti potest. Nam etiam justificatio peccatoris intrinsecè constituitur per peccatum, tanquam per terminum à quo; & tamen Deus amans justificationem peccatoris, non amat peccatum præteritum; nempe quia hoc præsupponitur jam factum ante justificationem. Atqui etiam præsupponitur jam commissum ante veritatem actus intellectus: siquidem non idèd sit peccatum, quia verè enunciat; sed idèd à priori est verum enunciare, illud factum esse, quia factum fuit: ergo adjuncta ratio non urget. Nam cum multa convenienter constituto, quæ repugnant constitutivis singillatim, datur capacitas, ut res constituta per peccatum ametur à Deo; quin ametur peccatum. Sic hominem sanctum amat Deus amore amabili; & neque amat, neque amare potest hac specie amoris materiam primam, utpotè rationis expertem, quæ est constitutum unum illius hominis.

173. Ad primam confirmationem, dicimus oppositionem le-

sis

gis cum peccato esse absolute bonam, quia importat in recto legem, quæ sanè bona est. Oppositionem verò peccati cum lege esse malam, quia importat in recto peccatum, quod utique malum est; & ob hanc ipsam terminorum transpositionem, licèt ambæ includant eadem penitus entitates, una non potest affirmari de altera, quia non potest absolute sine explicatione dici, oppositio legis cum peccato est oppositio peccati cum lege. Sicut non potest dici *Ba* est *Ab*. quamvis in utraque syllaba sint eadem literæ. Ad secundam negamus sequelam: ad probationem dist. majorem, essentialiter oppositis, & simul existentibus; concedo hoc esse chymæram. Non simul existentibus, nego: quia etiam justificatio peccatoris, & ens naturale in fieri per mutationem, & prioritas diei hodierni ad crastinum, & posterioritas ejusdem ad hesternum, & reliqua tota, quæ vocantur successiva, constant essentialiter constitutivis suapte natura inconjungibilibus, & tamen non sunt chymæra; nempe quia non important illa, ut simul existentia, sed seorsim. Quod si existerent simul, tunc hujusmodi res non existerent modo suæ naturæ proportionato: quid ergo mirum, quòd sequerentur contradictoria, & quòd tunc res illa verteretur in chymæram: & disting. minorem, constaret constitutivis essentialiter oppositis, atque ut simul existentibus, implicat in terminis. Atque ut non simul existentibus; concedo minorem: & distinguo consequens, est chymæra si existat modo suæ naturæ proportionato; nego: si fingatur existere modo contra suam naturam; permitto. Sed *dato uno absurdo cætera accidunt*.

CAPUT SEXTUM.

*De Relatione transcendentali Dei ad creaturas,
& earum inter se.*

174.



Elebris æquè atque antiqua est in scholis quæstio: An Deus connectatur metaphysicè cum creaturis possibilibus? Id est, cum eo, quòd sint possiblea ea, quæ verè possiblea sint. Cùmque connectio metaphysica, quippe quæ identificatur adæquatè cum suo fundamento adæquato, sit relatio transcendentalis illius ad terminum, palam sit, Deum referri transcendentaliter ad crea-

crea-

creaturas, si est metaphysicè connexus cum earundem possibilitate. Ubi sex adverte primum connexio metaphysica est tam intimus, & essentialis nexus unius cum alio, ut nec de potentia absoluta Dei possit existere illud unum absque hoc alio; quo circa deficiente hoc alio infallibiliter deficeret illud unum. Sic præsentia hujus chartæ connectitur metaphysicè cum illa: quia nec divinitus fieri potest, ut hæc charta sit præsens in hoc loco, quin physicè existat in rebus, alias, quòd nullibi est, alicubi esset. Sic unio physica duorum metaphysicè connectitur cum utroque, quia nec divinitus fieri potest, quòd sint actu physicè unita illa, quæ non sunt in rerum natura. Sic creatura omnis metaphysicè connectitur cum Deo, quia nullà potentià valet existere sine Deo.

175. Secundum: Possibilitas formalis immediata rei stat in eo, quòd hæc charta v. g. non involvat duo contradictoria; hoc est, in eo, quòd prædicata, quibus metaphysicè definitur, non sint invicem opposita. Hæc non oppositio stat physicè ex parte rerum in eo, quòd ea prædicata summè invicem conveniant, tametsi formaliter ratione nostra ex uno non semper inferatur alterum, quandoquidem possunt duo in genere non opponi reciprocè, quin summè conveniant reciprocè. Hæc summa convenientia horum prædicatorum nil aliud est à parte rei, quàm eorundem summa identitas, quando existant: ex quo discursu inferitur possibilitatem formalem, & immediatam rerum possibilium, quidquid sit de nostris præcisionibus, stare physicè à parte rei in reali identitate prædicatorum, quibus res illæ constant; è conversò impossibilitas formalis, & immediata stat in eo, quòd res, de qua fuerit sermo, implicet duo contradictoria, idest fingantur in illa ejusmodi prædicata, ut vel sint inter se formalia contradictoria, vel inferant illa, sed hoc latius agemus Disp. de rerum possibilitate; quæritur itaque: An Deus per suamet essentiam in sensu reali, & physico (præcisiones enim, & formalitates, & inadæquati nostri modi cognoscendi prorsus ablegandi sunt à tota hac quæstione, quia hic realitates ipsas solas disputamus) inferat prædicata hujus chartæ non opponi inter se, itaut Deus non esset Deus, si charta hæc implicaret prædicata invicem contradictoria formaliter, aut illativè.

176. Tertium: Putant aliqui non esse aliam possibilitatem rerum, quàm omnipotentiam divinam. Cum his non disputamus modò, quia cum Deus realiter simpliciter sit sua omnipotentia, sicut & reliqua attributa, non refertur transcendentaliter ad illam

in

in sensu physico, quia in hoc sensu non datur relatio, nisi inter extrema realiter distincta: sed ad summum in sensu logico. Quartum. Non disputamus, an Deus connectatur connexionione positivè cum possibilibus, seu cum possibilitate possibilium, & impossibilitate impossibilium, quatenus per se essentialiter inferat existere in rebus aliquid, quod sit possibilitas, quod sit res creata possibilis, quod sit impossibilitas: quoniam certum est, Deum per se essentialiter non inferre hoc, cum possit existere, quin usquam existat aliquid, quod sit possibilitas, quod sit creatura possibilis, &c. Non igitur debes intelligere sic in sensu positivo connexionem Dei cum possibilitate; sed in sensu merè negativo, & connexionem merè negativam, scilicet: An Deus per se essentialiter opponatur cum eo, quòd prædicata hujus chartæ v. g. sint inter se contradictoria formaliter, aut illativè. Hoc autem benè nota: cum enim hi termini, *connexio cum A*; plerùmque innuant intimam connexionem cum eo, quòd *A* exerceatur in rebus, contingens valdè est, quòd eodem modo intelligantur, quando dicitur, Deum connecti cum possibilibus, seu melius, Deum connecti cum possibilitate possibilium: si autem intelligantur hoc modo; horrorem incutient contra sententiam affirmativam; sed inanem horrorem, quia hoc non dicunt Auctores illius; sed dumtaxat asserunt, Deum connecti cum possibilitate possibilium in sensu negativo: quatenus præsciendò ab eo, quòd exerceatur in rebus ea possibilitas, Deus per se essentialiter inferat, prædicata hujus chartæ non esse invicem opposita essentialiter.

177. Quintum. Non est quæstio de connexionione divina cum existentia ullius creaturæ: quoniam licet multi actus entitativè divini connectantur metaphysicè cum existentia creaturarum; v. g. volitio efficax, qua Deus vult conservare hanc chartam, scientia, qua absolutè videt illam existere in rebus, &c. Verum tamen isti actus sunt contingentes, & de his non est quæstio; sed de entitativa necessaria essentia ipsa divina, virtualiter distincta ab illis, (quod Arcanum prorsus mysterium contingentia actuum istorum divinatorum, nec Theologi assequi potuerunt in hac vita, quomodo autem Philosophi?) Deus ergo quo ad necessaria certissimè non connectitur cum existentia absoluta ullius creaturæ, quia omnis hæc est entitativè absolutè contingens: ergo etiam Deus ipse posset deficere à rebus, si per se essentialiter connecteretur metaphysicè cum existentia absoluta ullius creaturæ. Cæterum ex eo, quòd Deus

Fff

quoad

quoad necessaria non connectatur metaphysicè cum existentia hujus chartæ, non sequitur, quòd nec connectatur cum possibilitate; etiam si possibilitas, & existentia non distinguantur ullatenus ex parte objecti, ut Disp. de Possibilitate dicemus.

178. Etenim Deum connecti cum possibilitate tametsi præferat sensum, & connexionem positivam, non tamen asseritur in hoc sensu; sed in sensu merè negativo jam dicto; idest Deum per se essentialiter repugnare *oppositioni* inter prædicata hujus chartæ: Rursus Deum connecti metaphysicè cum existentia hujus chartæ staret in eo, quòd Deus per se essentialiter repugnaret *carentiæ absoluta* hujus chartæ, quoniam positiva connexio cum uno contradictorio est oppositio cum altero. At quamvis possibilitas, & existentia sint prorsus idem, carentia absoluta hujus chartæ non est oppositio inter prædicata, & constitutiva essentialia ejusdem, neque est per se connexa cum illa oppositione, ut patet: siquidem illa carentia est possibilis, & hæc oppositio est chymærica, ut patet, & consequenter Deum per se essentialiter repugnare huic oppositioni non est per se essentialiter repugnare illi carentiæ absolute: ergo quamvis possibilitas, & existentia sint idem: Deum connecti cum possibilitate, connexione, quam intelligunt dicti Auctores, non est Deum connecti cum existentia. Quamvis enim res sint idem, termini, quibus constant propositiones enuntiantes rem, sunt valde diversi: ergo possunt reddere sensus diversos. Cùmque ex sensibus, quos dant, pendeat, quòd propositiones sint veræ, aut falsæ; pendet, quòd debeant concedi, aut negari. Idcirco quamvis res sint idem, unæ propositiones sunt veræ, & aliæ falsæ.

179. Neque dicas fore, ut sit possibilitas, & existentia sint idem, contradictorium unius esset contradictorium alterius, & consequenter fore, ut si Deus per se essentialiter repugnat *oppositioni* inter prædicata chartæ, quæ oppositio est contradictorium possibilitatis, repugnat quoque *carentiæ absoluta* chartæ ejusdem, quæ carentia est contradictorium existentiae: absit. Quando enim res juxta diversos titulos, aut inspectiones habet diversa contradictoria, (ut habet homo v. g. qui tot habet contradictoria, quot constitutiva: defectus quippè formalis, & immediatus cujuslibet constitutivi est defectus formalis, & immediatus constituti) repugnantia cum uno ex illis contradictorijs non semper est repugnantia cum altero. Sic anima rationalis essentialiter repugnat suo contradictorio, quod etiam est contradictorium hominis: & tamen non repugnat essentialiter

tialiter contradictorio materiæ primæ, aut contradictorio unionis, quæ sunt quoque contradictoria hominis. At possibilitas, & existentia habent duo contradictoria diversa, nimirum carentiam absolutam, & oppositionem inter prædicata rei, quorum hoc trahit secum illud; sed illud non trahit secum hoc: ergo Deum per se essentialiter repugnare illi oppositioni non est per se essentialiter repugnare huic carentiæ. Quo circa in sententia connexionum repugnat Deus per se essentialiter alicui contradictorio possibilitatis: sed non omni. Item alicui contradictorio existentiae, sed non omni; sed de his alibi.

180. Sextum. Diximus suo loco non esse cognoscibile ab intellectu objectum ullum, quod in se sit impossibile, sit chymæra, sit ens rationis: eo quòd objectum cujuscumque cognitionis sit entitativè in se ipso possibile, tametsi tectum, ac dissimulatum terminis ipsi repugnantibus. Diximus item non esse cognoscibile ab intellectu objectum ullum, quod in se sit carentia, sit negatio, sit contradictorium, sit nihil, ed, quia objectum cujuslibet cognitionis sit entitativè in se quid positivum, physicum, & reale, quamvis tectum, ac dissimulatum terminis negativis. Verumtamen oportet in præsentiarum præscindere ab utraque sententia, & inhærere communi modo loquendi inveniendi chymæras, impossibilia, carentias, nihila objectiva, quia aliàs tertio quoque passu hærebit præfens disputatio, & tenebras offundemus veritati loco lucis, si commune vocabularium repudiare velimus: quamobrem, ne putes esse oblivionem, utriusque insinuatæ sententiæ, quod est indulgentia modo communi loquendi, qui utpotè communis magis intelligibilis est.

§. II.

181. **H**is præmissis, esto 1. conclusio. Deus habet relationem, seu ordinem transcendentalem ad creaturas, non alium, sed hunc determinatum, quatenus per se essentialiter est metaphysicè connexus cum eo, quòd sint possible illa, quæ possible sunt: & sint impossible, quæ impossible sunt: unde posita una chymæra, v. g. quòd charta hæc esset impossible, sequeretur alia, scilicet quòd Deus non esset Deus. Sed ne terrearis, quia, ut toties retulimus ex Aristotele contra Melissum, *dato uno absurdo cætera accidunt*, & nil æquè secundum chymærarum, fictionum, ac rerum futilium, quam chymæra singularæ. Non autem admittenda est sine correctio-

ne altera illa locutio frequens hęc, nempe. Si possibile non essent possibile, aut, si impossibile fierent possibile, non esset Deus. Quia isto largo modo loquendi utimur vulgo, quando tacite supponimus conditionem, ac conditionatum esse possibile, aut saltem ab hoc præscindimus. In præsentī neutrum habet locum, quia istæ hypothesis non sunt sicut hæ. *Si paries esset albus, si Sol luceret*, neque istud conditionatum est, sicut hoc: *ego viderem parietem, ego viderem arborem*, sed sunt conditiones, ac conditionata implicancia in terminis.

182. Propter periculum ergo illius tacitæ falsæ suppositionis, aut præcisionis, & propter alia mox explicanda nolumus admittere istam sequelam. *Si possibile fierent impossibile, Deus non esset Deus.* Sed hanc expressè admonentem fictionis, ac impossibilitatis rerum, de quibus loquimur. *Si poneretur una chymæra, & frivola nostra fictio de eo, quod possibile fierent impossibile, poneretur alia chymæra, & fictio frivola, nempe quod Deus non esset Deus*, quam repetitionem, & inculcationem chymæritatis si aliqui conservarent, non ita expavescerent ad illa verba, *si hæc charta non esset possibile, Deum non haberemus.* Quid mirum, quod ex una chymæra, & fictione, qualis est prima, nascatur alia, qualis est secunda? Neque in hoc genere datur majus, aut minus, sicut daretur in intensione, ac remissione qualitatis, quia tam impossibile est physicè ex parte rerum simultas quorumvis duorum contradictoriorum, quàm simultas quorumlibet aliorum: & quamvis Deus infinitis aliis titulis infinitè superet omnia alia, impossibilitas simultatis horum duorum esse non esse tanta est in prædicatis hujus chartæ, quàm in prædicatis divinis.

183. Igitur probatur conclusio duabus rationibus. Primò: quoties *A.* dumtaxat est essentialiter *B.* sub quadam conditione, quæ licet actu sit vera, illam tamen non trahit essentialiter ipsa res *A.*, hæc absolutè, & simpliciter non est essentialiter *B.*: sic quia homo non trahit secum essentialiter sanctitatem, idè quamvis illa actu fruatur, & insuper ex sua essentia habeat esse sanctum casu, quo illam habeat (quia quodvis, dum est, necesse est esse) nihilo tamen minus homo non est essentialiter Sanctus absolutè, & simpliciter loquendo, quoniam in eo sensu merè conditionato etiam Diabolus est essentialiter Sanctus. Sic quia hæc charta non trahit secum ex sua essentia albedinem: hac de causa, quamvis illam actu habeat, & quamvis ex suamet essentia habeat esse albam pro casu, quo illam habeat sibi unitam; verum tamen absolutè, ac simpliciter loquendo, est falsum, quod

quod hæc charta essentialiter sit alba: & ratio est: sicut *A.* esse conditionatè *B.* sub conditione non purificata, non sufficit, ut *A.* sit actu absolutè *B.* (aliàs privatus homo esset actu absolutè caput Reipublicæ, quandoquidem est caput illius sub hypothesi, quod esset Rex.) Ita *A.* esse essentialiter *B.* sub hypothesi, quæ licet aliundè sit purificata, imò sit necessaria, sed non trahitur ex essentia ipsa rei *A.* non sufficit, ut *A.* sit essentialiter *B.*, quamvis sufficiat, ut *A.* sit actu absolutè *B.*, imò ut sit necessariò *B.* Firma ergo videtur assumpta illa propositio. Quoties *A.* dumtaxat est essentialiter *B.* sub quadam conditione, quæ licet actu sit vera (imò & aliundè necessaria) illam tamen non trahit essentialiter ipsa res *A.*, hæc absolutè, & simpliciter non est essentialiter *B.*; licet actu sit *B.*, sed præter suam essentiam.

184. At posito Deum non connecti metaphysicè cum possibilitate hujus chartæ, Deus solùm est ex sua essentia potens producere hanc chartam sub conditione, quod illa sit possibilis, ut fatentur Adversarii, & hæc conditio, quamvis aliundè sit vera, imò & necessaria, utrumque est per accidens respectu essentia Dei, & neutrum trahitur ex ipsa divina essentia, ut dicitis: ergo posito, Deum non connecti metaphysicè cum possibilitate hujus chartæ, Deus non est essentialiter Omnipotens, quamvis salvetur esse omnipotentem, & esse necessariò omnipotentem. Nimirum quia non aliter erit essentialiter omnipotens, quàm hæc charta est essentialiter alba, & quàm homo sanctus est essentialiter sanctus: conditionatè scilicet sub hypothesi eis per accidens, & non inducta ex ipsorum essentia. Atqui non solùm debet salvari, Deum esse omnipotentem, & esse necessariò omnipotentem; verum etiam esse ex suamet essentia omnipotentem, respectu cujus essentialiter materialiter se habet, quod conditio possibilitatis sit vera, & necessariò vera: ergo posito, Deum non connecti, non salvatur, quod salvari debet, & solum habebitur, Deum esse essentialiter omnipotentem conditionatè, in quo sensu Diabolus etiam est essentialiter sanctus. Non placet iste sensus.

185. Idem argumentum formatur ex Justitia divina, Misericordia, ex supremo dominio, ex potestate legislativa, & ex reliquis attributis necessarijs Dei, qui respectum dicunt ad res posibles. Quo ad essentialitatem enim non esset Deo magis essenziale, justum esse, supremum Dominum, esse dignum amore, ac cultu &c. quàm est essenziale huic chartæ esse albam, nimirum conditionatè sub conditione, quæ omninò est præter essentiam ipsius, & per accidens

dens respectu ejusdem . Et similiter quoad *essentialitatem* , tam per accidens esset Deo pollere supremo dominio , (quod sanè nequit exerceri , nisi super res possibles ,) esse dignum cultu , &c. quàm per accidens est essentialitè hujus chartæ esse albam . Quod nimis asperum videtur , & jure eodem poterat defendere alius , hominem non connecti essentialiter cum possibilitate sui discursus , & sensationis , ed quia solum est essentialiter discursivus sub hypothesi , quod sit possibilis discursus , à qua hypothesi præscindit , & similiter de sensatione , & similiter de materia prima , nempe esse intrinsicè ordinatam ad formam , sub hypothesi , quod hæc sit possibilis , à qua hypothesi præscindit .

186. Ubi jam notaveris , nos tria distinxisse in hoc discursu . 1. esse *absolutè* omnipotentem . 2. esse *necessariò* omnipotentem . 3. esse *essentialiter* ex suamet intrinseca perfectione , atque natura omnipotentem , esse supremum Dominum , &c. Argumentum non sumpsimus ex duobus prioribus , sed ex ultimo , ut duas præoccuparem solutiones , scilicet Deum esse conditionatè omnipotentem , sed sub conditione purificata , item sub conditione prorsus necessaria . Nil referunt ambæ . Nam cum Deus per vos non trahat secum ex suamet essentia purificationem , aut necessitatem possibilitatis , quæ est conditio , sub qua dicitis , Deum posse producere hanc chartam . v. g. , inde est , quod ambæ sunt præter essentiam divinam , & per accidens respectu illius . Unde subsistit , quod in ordine ad essentialitatem , *Deum esse Omnipotentem , esse Justum , esse supremum Dominum , &c.* non excedit *hanc chartam esse albam , hominem esse sanctum* , & reliqua similia , quæ absolutè sunt accidentaria , & præter essentiam .

187. Neque dicas , hæc esse vera , sed neutiquam absurda . Tum quia fundantur in summa independentia Dei à creaturis , & oppositum traheret dependentiam ejusdem ab eisdem . Tum quia sic magis amplificatur divina Omnipotentia , si quidem extenditur etiam ad impossibilia sub hypothesi , quod possibilia essent . Etenim pulchra ista vox *independentia* , & odiosa altera , *dependentia* non habent locum in præsentia , & inductæ videntur ad conciliandum favorem uni , & odium alteri sententiæ . Non enim quævis intima connexio , & penitus essentialis , est *dependentia* , seu indigentia ; aliàs divina essentia esset indiga , & dependens à tribus hypostasibus dependentiâ , & indigentia dedecente illam , & æternus filius esset indignus , & dependens à Patre , nec non Pater à fi-

à filio . Dumtaxat igitur connexio essentialis cum alio , tanquam superiore , aut tanquam *causa* , aut tanquam *conditione prærequisita* , aut cum alio , ut *existente contingenter* , est , quæ dependentia est , sive indigentia . At licet Deus ex titulo omnipotentia essentialis , & cæterorum essentialium attributorum , connectatur essentialiter cum possibilitate possibilium , non sequitur , quod connectatur cum illa tanquam cum superiore , tanquam cum causa , tanquam cum conditione prærequisita , aut tanquam cum re contingenter existente : ergo quamvis connectatur cum illa , non habent locum odiosa illæ voces , *dependere à possibilitate , indigere possibilitate creaturarum* , & similes . Secunda ratio ex una parte amplificat omnipotentiam ; sed ex altera coarctat . Quoniam si DD. contrarij ponunt , Deum ex se potentem producere impossibilia sub conditione , quod essent possibilia , ex altera ponunt etiam Deum impotentem producere possibilia ex hypothesi , quod essent impossibilia . Præter quàm quod hypothesi , quod impossibilia essent possibilia , est hypothesi chymærica , & non ampliatur omnipotentia per hypotheses fictitias , & chymæricas .

178. Ratio secunda . Si Deus non connectitur per se essentialiter cum eo , quod possibilia sint possibilia , & impossibilia sint impossibilia , sequitur id , quod DD. contrarij fatentur , videlicet Deum per se essentialiter esse absolutè potentem producere hanc chartam v. g. ex hypothesi tamen , quod illa sit possibilis , item per se essentialiter esse absolutè impotentem illam producere , ex hypothesi tamen , quod illa esset mendacium Dei , esset corruptibilitas Dei , &c. quin pugnent invicem *absolutè* , ac ex *hypothesi* , quia ille terminus excludit hypotheses alias ; non verò hanc possibilitatis : ergo Deus ex suamet essentia infert distinctionem inter hypothesim possibilitatis , & hypothesim impossibilitatis . Si enim perinde se haberet una , ac altera respectu essentia Dei , sicut hic per se essentialiter est absolutè potens producere rem , posito , quod aliunde possibilis sit : ita per se essentialiter esset absolutè potens producere illam , tamen si impossibilis esset : ergo Deus ex suamet essentia est connexus metaphysicè cum distinctione possibilitatis ab impossibilitate .

189. Modò inferimus duo . 1. Ergo jam est connexus metaphysicè cum aliquo extra se , atque adæquatè distincto à se . Distinctio namque possibilitatis ab impossibilitate stat formaliter immediatè in ipsis , ipsæ autem distinguuntur adæquatè à Deo , ut supponimus in præsentia , aliàs non est locus quæstioni , ut præmonuimus

nuimus. Si ergo Deus est metaphysicè connexus cum aliquo extra se, quæ specialis ratio urget contra connexionem ejusdem cum possibilitate, quæ ratio non retundatur in illa connexionem? Secundò, hæc metaphysica connexio cum ea distinctione *hypotheseis* possibilitatis ab *hypotheseis* impossibilitatis, vel est *dependentia Dei*, ab aliquo extra se, vel non est *dependentia Dei*? Si 1. ergo non putatis absurdam hanc speciem *dependentia Divina*. Cur est absurda *dependentia* à possibilitate? Si 2. ergo similiter, tametsi connectatur cum possibilitate possibilium, non est ab illa dependens per se, ac propriè loquendo.

190. Secunda conclusio. Omnia possiblea connectuntur metaphysicè reciprocè cum suis possibilitatibus, & cum impossibilium impossibilitate. Id est hæc charta v. g. per se essentialiter, ac metaphysicè connectitur cum eo, quòd possibile sit arbor *A*. quæ est in sylva *A*. America, ita ut hæc charta esset chymærica, si arbor illa esset impossibile. Unde omnes creaturæ reciprocum inter se habent ordinem, sive relationem transcendentalem, quo ad essentialitates, & possibilitates. Hæc conclusio descendit ex priorè. Omne metaphysicè absolutè connexum cum *A*., metaphysicè absolutè connexo cum *B*., metaphysicè absolutè connectitur mediatè cum *B*. ut explicuimus *Disputat. de rerum connexionem, ac oppositionem*. At omnia possiblea metaphysicè absolutè connectuntur cum Deo, qui juxta primam conclusionem, metaphysicè absolutè connectitur cum eo, quòd possiblea sint possiblea, & impossiblea sint impossiblea: ergo omnia possiblea metaphysicè absolutè connectuntur saltem mediatè cum eo, quòd possiblea sint possiblea, & impossiblea sint impossiblea. Quo circa habent relationem transcendentalem cum chymæris etiam; sed relationem *oppositionis*, quia est relatio connexionem cum ipsarum impossibilitate. Cæterum cum impossiblea, utpotè ficta, chymærica, & purum nil, in sensu longè diverso à puris carentijs rerum contingentium, non connectantur metaphysicè cum Deo, à quo nec sunt producibilia, nec volibilia, sicut ut cumque possunt esse illa carentia: idcirco non connectuntur metaphysicè cum eo, quòd possiblea sint possiblea.

191. Neque dicas hanc chartam dumtaxat connecti cum omnipotentia, ut *productiva sui*, non autem cum omnipotentia, ut *productiva rerum aliarum*. Unde non connectitur cum omnipotentia, ut *connexa* cum rerum aliarum possibilitate, quemadmodum

dum connectitur cum Deo, ut *Uno*, sed non cum Deo, ut *Trino*: Contra. Ita sunt falsa, aut æquivoca, vel enim illud *ut*, illa reduplicatio alludit ad sensum formalem, & logicum, nempe ad illud, quòd intellectus humanus potest judicare ex vi præcisè hujus cognitionis, charta, creatura, &c. vel ad sensum realem, & physicum, nempe ad id, quòd verè ex parte rerum datur, quidquid sit de eo, quòd nobis apparet ex vi præcisè talis, aut talis cognitionis. Si Primum: vera sunt ista; sed extra rem, quia non tractamus præsentem disputationem in sensu formali logico, & præcisivo; sed in sensu physico, & reali. Si secundum, sunt falsa. Quia cum divina virtus productiva hujus chartæ sit realiter, & virtualiter productiva solis, productiva arborum, &c. quia Divina Omnipotentia est realiter, ac virtualiter entitativè simplex, necesse est, quòd si hæc charta connectitur metaphysicè in sensu physico, & reali cum omnipotentia, ut productiva sui, id est cum divina virtute sui productiva, connectatur quoque similiter cum divina omnipotentia, ut productiva rerum aliarum. Omne enim metaphysicè connexum cum fundamento realiter, ac virtualiter identificato cum *A*; metaphysicè connectitur in sensu reali cum *A*. Idem dicimus de connexionem cum Deo ut *Trino*: cum ex vi præcisè hujus cognitionis: *Creatura existit*, nequeamus assequi Deum esse *Trinum*: inde est, quòd creatura non connectitur cum Deo, ut *Trino* in sensu logico, formali, & præcisivo. Cæterum cum creaturæ in sensu physico, & reali non connectantur cum Deo, ut præscindente à vero, & chymærico; sed cum Deo vero, & reali, & Deus verus, ac realis essentialiter sit in sensu reali *Trinus*, & *Unus*, idcirco creaturæ omnes connectuntur metaphysicè cum Deo, ut *Trino*, in sensu reali. Hac autem distinctione facta inter sensum realem, & logicum, aut formalem, levis restare potest difficultas hac super re.

192. Neque dicas secundò, adhuc juxta nostram sententiam, non salvari Deum esse essentialiter absolutè potentem proximè, ac immediatè producere hanc chartam. Quoniam proxima, & expedita potestas ad aliquid producendum constituitur per possibilitatem illius alicujus, quia ea est indispensabiliter prærequisita ad producendum illud. Atqui hæc possibilitas est adæquatè distincta ab ipso Deo, ut modò supponimus: ergo. Contra. Vel loqueris de possibilitate effectus formali, & immediata, & intrinseca. Vel de possibilitate illativa, & extrinseca. Si primum; illa non constituit proxima

mam virtutem productivam effectus, sed est terminus, quocumque illa intimè connectitur: non enim datur proxima virtus ad producendum chymæram: ergo, quod Deus non identificetur cum illa, non tollit, quod identificetur cum proxima virtute productiva effectus. Probatur antecedens. Effectus ipse non constituit illam proximam virtutem, quia effectus non existit pro priori ad se ipsum. At possibilitas intrinseca formalis, & immediata effectus est effectus ipse, ut dicemus in Physica: ergo. Si secundum: possibilitas illa illativa est causa, ut proximè potens effectum producere. At Deus, qui est sua omnipotentia, est ex se, ac per se essentialiter proximè potens producere hanc chartam v. g. ergo est possibilitas illa, quæ est, vel constituit proximam virtutem productivam effectus.

193. Explicatur. Aliud est, quod Deus sit essentialiter potens producere quemlibet effectum creatum, quatenus debeat *identificari* cum plena, & proxima virtute productiva cujuslibet effectus creati. Aliud, quatenus debeat *connecti* metaphysicè, aut cum tota virtute proxima, aut cum potestate faciendi, quod illa sit in rebus. Nostra illa prima ratio non aspirat ad primum; nam multa effecta creata essentialiter præsupponunt actualem existentiam principij creati v. g. omnes actus vitales creaturarum. Item omnis actio physica essentialiter præsupponit agens illud, cujus est actio, & certè Deus non identificatur, imò nec metaphysicè connectitur cum actuali existentia ullius creaturæ. Secundum est, ad quod aspirat. Nempè Deum ex sua met essentiali esse potentem absolute producere quemlibet effectum creatum non quidem essentialitate identitatis cum omnibus prærequisitis ad illum, non item essentialitate connexionis metaphysicæ cum eis prærequisitis, ut talibus, idest ut actu existentibus. Sed essentialitate identitatis, aut connexionis cum facultate expedita, & absoluta ponendi prærequisita omnia creata ad quemcumque effectum creatum.

Hæc essentialitas subsistit, si Deus sit per se metaphysicè connexus cum possibilitate cujusvis effectus creati, secus si non sit connexus, ut ibi philosophabamur.



§. III.

194. **R**atio primaria, cui insistere solent, & satis rationabiliter adversarij, sumitur ex eo, quod si Deus foret connexus metaphysicè cum eo, quod possibile sint possible, & impossible sint impossible, esset eo ipso dependens, & indigus, contra id, quod scriptum est: *Deus meus es tu quoniam bonorum meorum non eges*, quasi character sit divinitatis opposita independentia. Atqui unum ex bonis creaturarum est, quod possibile sint: ergo Deus non indiget possibilitate creaturarum. Præterea deberemus gratias agere possibilitati hujus chartæ, unius formicæ &c. Quandoquidem sine illis non haberemus Deum, & Deus ipse gratias easdem agere deberet, quandoquidem divinitate non frueretur, si formica *A* non esset possibile. Hoc secundum videtur ingeri ad invidiam. Gratia nec aguntur, nec agi possunt, nisi Personis, & quidem propter actionem ipsis liberam, si sit gratiarum actio stricta. At esse possibile, non est liberum ulli, ut constat: ergo nemini possunt gratia agi propter hunc titulum, quamvis possit Deus amare, & gaudere de hoc titulo, quia utervis actus potest esse circa rem necessariam: quo circa potest Deus, non quidem velle, (quia volitiones, ac nolitiones debent esse de contingentibus,) sed amare, & gaudere, quod quævis res sit essentialiter id, quod essentialiter est v. g. quod formica sit formica: quoniam in hoc stat bonitas transcendentalis rerum. Unde odit sanè Deus existentiam peccati, cum qua non connectitur; sed non odit possibilitatem formalem, cum qua intimè connectitur, quin sequatur distinctio inter utraque, juxta dicenda proprio in loco. Ad illud primum jam respondimus supra, & videtur certum, Davidem non fuisse locutum de sua intrinseca, & formali possibilitate, sed de illis alijs bonis, quæ vulgò censentur bona extrinseca, & accidentalia, quando protulit propositionem illam.

195. Objicies ergo tria sophismata. Primum: Ex omni disjunctiva vera, & negatione unius extremi semel posita, sequitur affirmatio alterius, v. g. *vel existit A., vel existit B.; sed non A.: ergo B.* Tunc sic. Ergo ex hac disjunctiva vera. *Vel Deus est possibilis, vel Petrus est possibilis*, & hac altera admissa ut vera, *Petrus non est possibilis*. Sequitur: *Ergo Deus est possibilis*. Ergo casu, quo Petrus non esset possibilis, adhuc Deus esset possibilis.

Ergo adhuc existeret, quia eo ipso, quod Deus sit possibilis, est existens, quod non contingit creaturis, utpotè contingentibus: ergo non est connexus cum eo, quod Petrus sit possibilis. Secundum. Si omniaabilia essent reciprocè connexa, Petrus conduceretur metaphysicè cum possibilitate suæ carentiæ: ergo esset legitima hæc consequentia. *Petrus existit, ergo potest deficere*. Pergunt: ergo etiam esset bona hæc ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis. *Non potest deficere: ergo non existit*. Sed non existere est deficere: ergo esset bona hæc consequentia. *Non potest deficere: ergo deficit*. Quæ ex terminis ipsis videtur mala, cum ex negatione potentiæ arguat ad existentiam actus. Tertium. Nullum connexum cum *non connecti* cum possibilitate possibilium, est connexum cum hac possibilitate, ut per se patet. Sed si Deus connectitur cum impossibilibus, connectitur cum *non connecti* cum possibilitate possibilium, quia hoc *non connecti* est per nos unum, ex impossibilibus: ergo si Deus connectitur cum possibilibus, non connectitur cum possibilibus.

196. Ambo priora sunt soluta suis in locis. Summa est; ex disjunctiva, & negatione unius membri sequitur affirmatio alterius, quando hoc alterum non connectitur metaphysicè cum illo uno. Quia si connectitur, ut contingit in ista, quæ objicitur (quoniam nostra conclusio est, Deum, & suam possibilitatem connecti metaphysicè cum possibilitate Petri) ex negatione illius unius sequitur non quidem affirmatio, sed negatio hujus alterius, ut constat. Insuper, quia in hoc casu minor falsificat majorem, quia formaliter excludit unum illius extremum, & illativè alterum: ergo veritas minoris excludit ambo extrema majoris: ergo falsificat illam. Ex duabus autem præmissis invicem pugnantibus quo ad veritatem, quomodo potest inferri conclusio, quæ tota fulcitur simultaneæ præmissarum veritate? quomobrem in omnibus modis arguendi disjunctivis, inspiciendum est. An extrema sint reciprocè connexa, vel saltem unum sit connexum cum altero, & hoc negatur in minore. Item: An sint invicem opposita, vel saltem unum sit oppositum cum altero, (ed quia oppositio sit purè physica, quæ interdum non est mutua,) & fundamentum oppositionis affirmatur in minore v.g. *vel non existunt duæ quantitates A. & B., vel sunt penetratæ; sed existunt*: en affirmatum fundamentum oppositionis: *ergo sunt penetratæ*. Item: An disjunctiva sit vera ratione unius tantum extremi, & hoc negatur in minore, v.g. *vel*
exi-

existit Petrus, vel existit chymara; sed Petrus non existit: ergo existit chymara. In omnibus his casibus, veritas minoris destruit veritatem majoris: ergo malè infertur illud consequens, cujus illatio innititur simultaneæ veritati præmissarum.

197. Quod si semel admittatur simultanea veritas dictarum præmissarum, dicendum est, quod toties inculcavimus ex Aristotele. *Dato uno absurdo cætera accidunt*. Id est, ex isto impossibili simultaneæ veritatis istarum præmissarum, sequitur, & ista conclusio, & suum contradictorium. Quia hic est character impossibilitatis, trahere secum duo contradictoria, si non in materia disparata, saltem in materia pertinente. Hac doctrina opus est in præsentem maximè quæstione, quia sæpè Adversarij argumentantur ex hypothesi impossibili, quam speciem argumentationis in sensu physico reali, & directo. (juxta quem modò disputamus,) non esse legitimam alibi notavimus; tamen in sensu reflexo formali, & logico soleat esse utilis. Sed hunc sensum non curamus modò, quoniam ex illo solum elicies, Deum formaliter ratione nostra non connecti cum possibilibus, & hæc formaliter ratione nostra non esse invicem connexa. Quod verum est; sed extra rem: quapropter solutio generalis argumentorum omnium assumentium hypothesim impossibilem, quæ hic solent objici, hæc esto: esset Deus, v.g. & simul non esset; concedo: esset præcisè; nego. Quod si Adversarius reflexam chymæram reassumat inquiring. Si creaturæ non essent possibles, Deus existeret præcisè. Reflexa contradictoria reassumenda sunt à respondente sic. Deus existeret præcisè, & simul non existeret præcisè, concedo. Existeret præcisè absque contradictorio existendi præcisè, nego. Quia dato uno absurdo in termino connexionis essentialis cætera accidunt in fundamento.

198. Si clamat præcludi ostium, & non permitti locum argumentationi: distingo; argumentationi assumentium medium, quod sit verum, & reale, nego: assumentium medium fictitium, inane, & chymæricum apud ipsum etiam arguentem, concedo. Et sic monetur relinquere chymæras, & fictiones, atque uti rationibus veris, & realibus, & solidis. Si inculcet: Se non arguere ex tota hypothesi; sed ex sola ratione formali conditionati, seu ex sola ratione formali prædicati. Audiendus non est: quia nulla conclusio elicitur ex sola ratione formali prædicati *separati*, ac divisi à subjecto, de quo enuntiatur in antecedente; sed prædicati; *ut identificati*, (vel distincti,) cum subjecto, quia conclusio elicitur ex præmissis, & hæc non enuntiant

tiant rationem formalem prædicati duntaxat; sed identitatem, aut distinctionem illius, respectu illius individui subjecti, de quo præcedunt præmissæ; ergo si illa identitas, aut distinctio est chymærica; elicietur conclusio ex chymæra; ex hac autem æquè elicietur illa conclusio, ac sua contradictoria, & idem dicimus quando arguitur ex conditionali. Quia non elicitur conclusio ex conditionato specificativè sumpto, atque seorsim ab hypothese, sed ex illo *ut illato*, vel *conjuncto* cum illa: ergo si utrumvis est impossibile, arguitur ex impossibile. Ex impossibili autem quodlibet sequitur in materia propria, & pertinente ad ipsum. Neque satisfacit doctrina Petri Hurtado, agentis admittendum esse in argumentationibus casum impossibilem; sed qui non destruat formaliter suppositionem retentam: formaliter, inquam, hoc est *ratione nostra*; unde subjungit, quòd posito, Petrum non esse animal, debemus admittere illum esse rationale, quia conceptus formalis animalis non est conceptus formalis rationalis. Non satisfacit: quoniam licet istud sit verum, quando disputatio procedit in sensu formali logico, præcisivo, & secundum nostros modos cognoscendi: non tamen quando procedit in sensu physico, & reali; quia in sensu reali, tam chymæra est illud, quòd formaliter, ac ex terminis ipsis dicit contradictionem, quàm illud, quòd per legitimas consequentias illam realiter infert: ergo istæ præcisiones, ac formalitates non patrocinantur realitatibus, sed solum pandunt imperfectos nostros modos cognoscendi. 2. Quia aliud est supponere nostram præcisionem ab eo, quòd Petrus sit animal. Aliud supponere illum non esse animal. Primum est, quòd passim fit, indagandi ergo naturam, & quidditatem rationalis, v. g. sed primum est suppositio vera, realis, possibilis, & frequens. Secundum est suppositio chymærica, & ea deglutita, deglutiri debet in sensu realiquicquid in sensu reali metaphysicè infertur ex illa. Unde & quòd Petrus non sit rationalis.

199. Si demum objiciat, Joannem Theologum usum fuisse in Concilio Florentino hac specie argumentationis ex hypothese impossibili contra Marcum, & cæteros Græcos, inquiring. *Si Spiritus Sanctus non procederet à Filio*, en hypothese satis impossibilem, non distingueretur ab illo. Præterquam quòd tota schola Scotistica habet multa, quæ dicat hac super re; nos censemus; argumentum illius Theologi fuisse efficax, non quidem in sensu materiali, quem sonant verba, sed in sensu theologico, quem Joannes intendebat, & erat notus circumstantibus. Argumenti substantia erat hæc.

Vos

Vos Græci fatemini, & merito, Spiritum Sanctum distingui a Filio, & hoc propter aliquam rationem ex scripturis, concilij, aut Patribus erutam, quia hoc mysterium non aliunde constat. At si mente præscindamus, aut si negemus, Spiritum Sanctum procedere à Filio (neutra hypothesis est impossibilis) non inveniemus ullam aliam rationem, titulum, seu caput distinctionis, quia in divinis omnia sunt unum, ubi non datur oppositio relationis, id est; ubi non datur, quòd unum producat ab alio: ergo si fatemini eam distinctionem, debetis non præscindere, & multò minus negare illam processionem. Hic videtur nervus illius argumenti, & bona explicatio illius conditionalis, *Si Spiritus Sanctus non procederet &c.* Sed hic nulla est hypothesis entitativè impossibilis, sed ad summum negatio necessariò falsa, sed quæ verè physicè potest existere in rebus, & tunc existeret: ergo.

200. Jam ad secundum illud sophisma: Resp. totus ille discursus benè procedit, usque ad ultimam consequentiam, quæ immeritò taxatur, cum sit bona (licet etiam esset bona sua contradictoria juxta proximè dicta, quoniam antecedens est res chymærica,) etenim quoties rei negatur prædicatum certè apud omnes essentialiter; bene, seu potius verè negatur existentia rei, & consequenter meritò adstruitur illius defectus. At in isto antecedente, *Petrus non potest deficere*, negatur Petro prædicatum certè apud omnes essentialiter illi. Quoniam omni essentialiter contingenti est essentialis defectibilitas, seu capacitas deficiendi à rebus: ergo ex isto antecedente benè infertur, Petrum deficere, & licet simul inferatur illum non deficere, cum tamen deficere, & simul non deficere, sit simpliciter deficere, quippè est esse chymæram, ideo dicimus istam consequentiam, quæ repudiatur, absolutè esse legitimam. Involucra autem hæc non sunt imputanda respondententi, sed arguenti, quia sunt corollaria necessaria ex supposito chymærico, quo utitur: velle autem, quòd sibi liceat uti chymæris, & respondententi non liceat, videtur injusta volitio, quia una chymæra retunditur chymæra alia. Neque obstat, quòd ibi arguatur à negatione potentie ad existentiam actus; quoniam licet iste modus abstractè, ac in genere non sit bonus, in materia præsentis bonus est. Potentia namque, quæ negatur, est penitus essentialis subjecto, cui negatur, existentia verò actus, est defectus illius subjecti. Ex negatione autem essentialitatis subjecti, benè arguitur ipsius defectus, seu non esse, in sensu tamen nuper explicato. Denique ad tertium sophisma

ma

ma scriptum num. 195. Respondeo. Connexum cum *non connecti* inferens esse possibile, aut existens hoc *non connecti*, certè non connectitur. Cæterum conexum cum *non connecti* inferens esse, impossibile hoc *non connecti*, infallibiliter connectitur. Deus autem connectitur cum eo *non connecti*, sicut cum alijs impossibilibus, quatenus infert illa esse impossibilia, non quatenus inferat illa esse possible, aut existentia.

§. IV.

201. **O**bjicies 2. Ens à se est in suo esse penitus independens à creaturis: sed Deus est ens à se: ergo est in suo esse independens; sed omne independens est inconnexum, quia omne conexum est dependens: ergo. Distinguo majorem: est independens independentia stricta, hoc est excludente connexionem cum existentia, præteritione, futuritione, & quovis alio statu contingente creaturæ: concedo. Est independens independentia latè, & impropria, hoc est excludente connexionem cum eo, quod possible sint possible; nego majorem, quia de hoc est quæstio, & quia valent duæ illæ rationes à nobis datæ. Et distinguo minorem, (quæ aliàs non debebat distingui, cum sit ipsa quasi definitio Dei; sed cum eam detorquere videantur Adversarij in sensum de quo est quæstio, necesse est illam explicare,) Deus est ens à se a seitate excludente connexionem cum ullo gradu contingenti creaturæ: concedo. A seitate excludente connexionem cum eo, quod creaturæ sint possible; nego propter illas duas rationes, & similiter distincto primo consequente, ad subsumpta dicimus: non omne conexum ut cumque, esse dependens dependentiâ stricta, & quæ Deum dedecet. Nam juxta secundam nostram rationem Deus inferens ex sua essentia distinctionem inter hypothese[m] possibilitatis, & hypothese[m] impossibilitatis, est eo ipso conexus cum ea distinctione; & tamen non conceditis, Deum strictè pendere ab ea distinctione. Illud solum conexum est dependens, quod est conexum cum alio tanquam cum constitutivo, aut complemento, aut tanquam cum causa physica, vel objectiva, aut tanquam cum re actû existente, conexio autem, quam in Deo agnoscimus, non est id generis, ut sæpè dictum est.

202. Ob.

202. Objicies 3. Omnipotentia est *Potentia* faciendo *Omnia*, quæ non repugnant. At si creaturæ sint possible, si non sint possible, subsistet, Deum habere potentiam faciendo omnia, quæ non repugnant: quia licet tunc non posset facere hanc chartam, v. g., non ideo esset, quia ex se non haberet potentiam, sed quia hæc charta repugnaret, unde ex eo, quod Deus non posset facere hanc chartam, non sequeretur non habere potentiam ad faciendum, quidquid non repugnat, siquidem hæc charta non foret ex non repugnantibus, sed ex repugnantibus: ergo si creaturæ sint possible, si non possible, subsistet, Deum esse Omnipotentem. Sed hoc ipso Deus non erit conexus ex titulo omnipotentia cum possibilitate creaturarum: ergo. Confirmatur primò. Ideò nec minuitur de facto omnipotentia ex eo, quod nequeat facere chimæram, quia hæc impotentia non nascitur ex Deo, sed ex chimæra ipsa nequeunte existere ex eo, quod involvat duo contradictoria; omnipotentia autem duntaxat potest esse virtus faciendo quidquid extra Deum non implicat contradictionem. At casu quo repugnarent omnes creaturæ; quod Deus non posset ullam producere, non proveniret ex Deo; sed ex ipsis creaturis nequeuntibus existere: ergo casu quo repugnarent omnes creaturæ, nec deficeret, nec minueretur omnipotentia. Unde meritò scripsit Sanctus Thomas non esse dicendum: *Deum non posse facere chimæram, sed chimæram non posse fieri à Deo*; ad significandum impotentiam non inesse Deo, sed chimæra ipsi. 2. Non minus repugnat Deum esse ignorantem, quam esse impotentem. Et tamen quando non existente hac charta, Deus non sciret, illam existere, Deus non esset ignorans: quia solum est ignorantia, quando nescitur id, quod est: ergo quando repugnantibus creaturis, Deus non posset illas producere, Deus non esset impotens: quia sola est impotentia, quando subjectum non potest producere id, quod verè est possibile: eundem quippè ordinem dicit scientia ad suum terminum, ac omnipotentia ad suum, quia sicut hæc est virtus faciendo aliud, ita illa est virtus cognoscendo aliud.

203. Jam vides omnia hæc argumenta P. Hurtado inniti hypothese[m] impossibili, nempe quod creaturæ essent impossible: & jam aperuimus mentem nostram circa argumentationes hujus speciei. Cæterum quia ita instaurari possunt, ut procedant sub hypothese[m] possibili, nimirum sub hypothese[m], quod nos omnino præscindamus ab eo, quod creaturæ sint possible. In quo casu si adhuc depre-

H h

hendi.

hendimus, Deum esse Omnipotentem, sequetur omnipotentiam non esse metaphysicè connexam cum illarum possibilitate; si dicatur, quod non deprèhendimus Deum esse Omnipotentem, impugnabitur hic eidem argumentis. Hac de causa super sedimus illa solutione, *esset, & non esset*, nisi quando Adversarius cogat nos illis uti terminis.

204. Itaque ad objectionem respondemus, illam definitionem, nisi amplius explicatur, & alius terminus adjungatur, non esse plenam definitionem omnipotentiaè practicae, ac divinae, quidquid sit de omnipotentia in sensu valde abstracto, ac speculativo. 1. Quia jure eodem dicet alius, Sapientiam infinitam Dei nil aliud esse, nisi virtutem sciendi omnia scibilia: ergo in casu chimærico, quod nil prorsus esset scibile, sive directè, sive reflexè, (tam chimæricus est ille tuus casus, quàm hic,) restaret adhuc, Deum nil prorsus tunc scientem, aut scire potentem esse infinitè sapientem sapientiaè practica verè, ac simpliciter tali; esset sapiens eo circiter modo, quo sceleratissimus quilibet est sanctissimus: nempe conditionatè, sub conditione, quòd sibi habeat unitam quandam sanctitatem, quæ conditio est omninò præter essentiam illius nequam, & ei accidentalis. 2. Quoniam nil ex se compossibile cum eo, quod potentia non possit quidquam practicae, & à parte rei facere, est plenus adæquatus conceptus omnipotentiaè practicae, ac divinae. At posse omnia, quæ non repugnant, est juxta sententiam vestram compossibile ex se cum eo, quòd cætera omnia repugnent: ergo posse omnia, quæ non repugnant, non est plenus, adæquatusque conceptus omnipotentiaè Divinae absolutæ, ac practicae, tametsi sit conceptus omnipotentiaè tantùm conditionatæ, ac in sensu valde abstracto, & speculativo. Addendum ergo est aliquid aliud isti conceptui, ut aptetur divinae omnipotentiaè, quæ practica, & absoluta est, nimirum esse potentiam faciendi omnia, quæ non repugnant; trahendo secum essentialiter, quod non repugnent omnia, quæ non repugnant, aliàs erit omnipotentia merè speculativa, & quasi Platonica, idest omnipotentia quæ *posset*, àt absolutè *nil potest*. Quo circa negamus istam majorem, vel distinguimus illam. Trahendo secum essentialiter, quòd illa non repugnent, concedo. Præscindendo ab hoc, nego. Et distinguo minorem: subsisteret habere Deum potentiam merè speculativam faciendi omnia, quæ tamen practicae, absolutè, ac simpliciter nil posset facere, concedo. Potentiam practica, qualis est divina, quæ absolutè, & simpliciter

citer posset facere illa, nego. minorem, & distinguo consequens: esse omnipotentem omnipotentia merè speculativa, & quæ revera nil posset facere, permitto implicationem in terminis: omnipotentem omnipotentiaè practica, qualis est divina à parte rei, nego consequentiam. Ad probationem minoris, dicimus idem. In eo casu permittimus, quòd d haberet Deus potentiam hujus chartæ productivam, merè speculativam, quæque nil absolutè posset facere, & consequenter potentiam, quæ talis non esset, aut non haberet potentiam practica, qualis esse debet divina.

205. Ad primam confirmationem, Resp. illam retorqueri exemplo nuper dato Divinae sapientiaè casu chimærico, quod nil prorsus esset scibile; & consequenter casu, quo Deus nil prorsus sciret, aut scire posset. Esset ne tunc verè, ac simpliciter sapiens infinitè per sapientiam practica, & qua modò fruitur? Et tamen dici poterat idem, & eodem jure, quod de omnipotentia: videlicet impotentiam illam sciendi quidquam non provenire ex Deo, sed ex incapacitate essentiali, quæ fingeretur in hac charta, ut per Deum cognosceretur: sicut etiam, quod sceleratissimus non sit actu sanctissimus, non provenit ex sua essentia; nam ille habet ex sua essentia esse sanctissimus casu, quo sibi unitam habeat ingentem Sanctitatem. Cæterùm cum neque ex sua essentia, neque actu fungatur illa, ideo absolutè, & simpliciter ille non est sanctissimus. Sicut ergo dices, & meritò incapacitatem hujus chartæ, ut sciatur à Deo, esse per se oppositam divinae sapientiaè, & hac de causa non esse admittendam; ita nos dicimus impossibilitatem, quæ fingitur in rebus possibilibus creatis esse per se oppositam divinae omnipotentiaè practica, quid quid sit de abstractis speculationibus, ac præcisionibus, & hac de causa admittendam non esse.

206. Igitur distinguo majorem. Idèd præcisè; nego. Idèd, & quia in eo, quòd chimæra sit chimæra nulla est fictio, nulla reflexa, chimæra per se immediatè opposita omnipotentiaè: concedo. In eo autem, quòd possibilia sint impossibilia, & per Deum improducibilia est reflexa fictio, & chimæra per se immediatè opposita omnipotentiaè divinae practicae, veræ, & reali, sicut in eo, quod hæc charta, & reliqua cognoscibilia essent essentialiter incognoscibilia per Deum est reflexa chimæra per se immediatè opposita divinae sapientiaè: ubi habes, quòd licet non idèd à priori possibile sit possibile, quia potest fieri à Deo; sed è conversò, ut bene notat hic Author, sicut etiam, non idèd à priori hæc charta est intrinsecè cogno-

scibilis, quia Deus potest illam cognoscere, sed è converso. Verumtamen, sicut casu chimærico, quod hæc charta esset intrinsecè incognoscibilis, proveniret ex ipsius essentia, & etiam ex divina, quod Deus non posset illam cognoscere, quia Deus ex sua essentia est impotens decipi, & deciperetur si cognosceret, quod est essentialiter incognoscibile. Ita casu chymærico, quod hæc charta sit impossibilis, proveniret ex ipsius essentia, & ex divina etiam, quod per Deum non posset produci: quia Deus ex sua essentia est impotens facere fisiones, & chimæras, & illa, quæ facta, non essent facta. Si tot involucra, & fisiones reflexas pertæsus fueris, reyce culpam in eos, qui hypotheses istas chimericas intrudunt. Velle namque unam chimæram, & suam prolem legitimam nolle, non videtur justum, ut dicebamus.

207. Ad illud testimonium dicimus S. Doctorem prospexisse, & quidem sapienter, teneris auribus populi, & hac de causa, inquit: *Non esse dicendum: Nam: quid opus teneras mordaci radere vero auriculas.* At in rigore Deum non posse facere chimæram, non posse fieri à Deo, non distinguuntur plusquam verbis activo, & passivo. Ad illud alterum, quod objici solet. *Non est impossibile apud Deum omne verbum.* Id est ullum. Resp. S. Archangelum non fuisse locutum juxta universalitatem materialem, quam materialiter sonant verba; itaut neque mendacium, v. g. neque perjurium, neque ullum ex eis, quæ sunt chimæra, & fisiones, & cerebri illusiones, sint Deo impossibilia. Sed fuisse locutum de subjecta tunc materia, nempè *quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco*; & fuisse locutum juxta phrasim Christi Domini agentis per eundem Lucam: *quæ impossibilia sunt apud homines; possibilia sunt apud Deum.*

208. Ad secundam negamus consequentiam. Tum quia de hypothesi prorsus chimærica, scilicet, *quando repugnantibus creaturis, loquitur perindè, ac de hypothesi vera, & reali, nimirum, quando non existente hac charta.* Quod vitium loquendi de chimæris, perindè ac de hoc, quod est, rem esse albam, aut esse nigram, subreperere solet argumentis contrarijs: quomodo autem firmus potest gradi discursus, qui graditur positivè super insubstantes, & chimæricas nostras fisiones, nisi incedat per viam mentalis præcisionis à possibilitate, ac impossibilitate, (sicut supra explicavimus argumentum Joannis Theologi,) quæ præcisio est utique possibilis; sed impar in materia præsentis probando omnipotentiam


tiam in sensu physico, reali, & entitativo esse inconnexam: Tum quia, quodd hæc charta non existat, apud nullum est hypothesis per se immediatè opposita cum sapientia divina: quia nil simpliciter possibile est per se oppositum cum simpliciter absolutè necessario. Quodd autem repugnent creaturæ, est hypothesis per se immediatè opposita cum divina practica, vera, & reali omnipotentia, (quidquid sit de omnipotentia merè speculativa, & purè conditionata, sicut est magna sanctitas hominis scelerati,) sicut essentialis incognoscibilitas hujus chartæ ut existentis, est per se immediatè opposita divinæ sapientiæ, qua Deus fruitur, quidquid sit de alia purè imaginaria sapientia. Adjuncta probatio illius consequentiæ distinguenda est. Eundem adæquatè ordinem dicit sapientia &c. nego. Eundem inadæquatè concedo. Etenim sapientia potest esse verè, ac simpliciter de carentijs, de impossibilibus, (dato, quod ista sint cognoscibilia,) quoniam non solum scit, qui scit hanc chartam existere, & alium mundum esse possibilem; verum etiam qui scit non esse in rebus id, quod non est, esse impossibile peccatum, mendaciumque Dei: Omnipotentia autem non potest verè, ac simpliciter producere carentias, aut chimæras. Rursus non opponitur cum sapientia impossibilitas sui termini, nam sapientia est scire esse impossibile, quod verè impossibile est. Impossibilitas autem creaturarum per se immediatè opponitur cum omnipotentia in sensu toties explicato, ac probato.

209. Objicies demum: Si Deus esset metaphysicè connexus cum possibilitate omnium possibilium, anima beata Deum intuens, cognosceret illum sic esse connexam, & consequenter cognosceret omnia possibilia, & consequenter comprehenderet Deum. Hæc difficultas aliè spectat. Interea negamus consequentiam, quia non est idem intueri Deum, ac scire omnia prorsus, quæ verè sunt in Deo. Tum quia Beati non assequuntur secreta cordis divini, nisi Deus specialiter revelet illa. Tum quia etiam nos intuemur colorem hujus chartæ, & tamen non assequimur omnes respectus, omnes relationes, omnes capacitates, quas scit Deus competere huic chartæ. Non enim est idem intuitio, ac comprehensio.



CAPUT SEPTIMUM.

In quonam stet physicè Relatio.

210.  Agno fervore docent uni, relationem stare physicè ex parte rerum in quodam modo superaddito, & distincto à fundamento, termino, & ratione proximè fundandi. Non minore fervore docent alij oppositum, & dicunt illam non solum fundamentaliter, sed etiam formaliter sumptam consistere in fundamento, termino, & ratione proxima fundandi. Utrique putant se habere Sanctum Thomam, de quo vide P. Hurtado. Sit conclusio. Relatio formalis formalitate intentionali, & quo ad nos stat formaliter immediatè in accidente distincto à fundamento, termino, & ratione proxima fundandi. Si sit formalis formalitate objectiva, & in se ipsa, iterum distinguimus. Vel loquimur de illa sumpta in concreto. Et sic consistit adæquatè in fundamento, termino, & ratione proxima fundandi solis, quo circa non habet locum modus ille relativus superadditus his tribus. Vel loquimur de illa sumpta in abstracto? Et sic consistit in sola ratione adæquata, proxima fundandi: quo circa quando est transcendentalis stat in solo fundamento; quando autem prædicamentalis, interdum stat in solo termino, interdum in complexo ex fundamento, & termino, interdum in forma distincta adæquatè ab utroque juxta supra dicta.

211. In tota hac Conclusionem tria sola probanda sunt, quia reliqua sunt corollaria. Probamus primam partem. Omne stans in eo, quod fundamentum *appareat nobis*, ut simile, ut dissimile, ut æquale, ut inæquale, ut causa, ut effectus, (idem de cæteris speciebus relationis,) respectu termini, stat in aliquo accidente distincto ab illis tribus. Quoniam *illa apparentia*, sive consistat in iudicio ipso proponente unum, ut simile v. g. alteri, sive in apprehensione sua siva hujus similitudinis, sive in specie interna, vel externa illius, certè est accidens distinctum adæquatè à fundamento, & termino, & ratione proxima fundandi inter duo subjecta alba. Sed relatio formalis formalitate intentionali, & quo ad nos stat in eo, quod unum *appareat nobis* esse simile, aut dissimile &c. respectu alterius. Nam hac intentionali apparentia unum refertur

per

In quonam stet physicè Relatio. 431

per nos alteri, & nos dicimus, ac judicamus hoc est simile illi; hoc est dissimile illi, si apparentia illa sit iudicium, quo id judicamus: ergo relatio formalis formalitate intentionali, & quo ad nos stat in accidente distincto ab illis tribus.

212. Et forsitan hoc est motivum Authorum absolutè pronunciantium, relationem consistere in modo, seu accidente superaddito illis tribus. Nam cum hæc vox *relatio* protinus excitet speciem rei innuentis, significantis unum, & aliud, & conferentis unum cum altero, & sæpissimè id, quod à parte rei est ratio proxima fundandi, non innuat ex se unum, & alterum, neque ex proprijs terminis conferat unum cum altero, nam complexum ex albedine ut quatuor parietis *A*; & albedine ut quatuor parietis *B* ex sua natura, atque ex proprijs terminis non confert unum parietem cum altero; sed est fundamentum ut intellectus conferat illos: hac de causa absolutè pronunciant, ut videtur, rationem proximam fundandi solum esse relationem *fundamentalem*; relationem verò formalem consistere in accidente alio superaddito rationi proxime fundandi, distincto ab illa, nec non à fundamento, & termino. Dicunt verum, si loquantur de relatione formali formalitate intentionali; sed dicunt falsum, si loquantur de relatione formali formalitate objectiva, & in se ipsa, sumpta in concreto, quæ est secunda pars Conclusionis.

213. Et probatur, loquendo claritatis, gratia de similitudine insinuata duorum parietum in albedine. Relatio hæc formalis formalitate objectiva, & in se ipsa sumpta in concreto, nil aliud est ex parte rerum, quàm *Parietem A. esse verè, ac simpliciter album sicut parietem B.* Nam hoc est formaliter immediatè ex parte rerum illos esse similes objectivè, ac quo ad se in albedine, *unum esse album sicut alterum*; sed unum esse album sicut alterum non stat in isto accidente superaddito. Probatur. Nil stans adæquatè in his solis; quod paries *A.* habeat albedinem ut quatuor v. g. & in eodem tempore paries *B.* habeat albedinem ut quatuor, stat adæquatè, vel inadæquatè in isto accidente his omnibus superaddito, & ab his omnibus distincto. Sed parietem *A.* esse album sicut parietem *B.* stat adæquatè in his solis, quod paries *A.* habeat albedinem, ut quatuor, & in eodem tempore paries *B.* habeat albedinem ut quatuor: quod videtur certum. Nam omnis casus possibilis, in quo hæc contingant, paries *A.* est albus sicut, paries *B.* & illis solis apprehensis, apprehendimus, parietem *A.* esse album sicut

sicut *B*, & casu, quo hoc negetur negari potest eadem ratione; quòd, *subiectum denominari à forma* consistat adæquatè in eo solo, quòd forma capax uniatur unione proportionata subiecto capaci: ergo parietem *A*. esse album, sicut *B*. non stat adæquatè, vel inadæquatè in isto accidente: ergo relatio hæc similitudinis, seu quòd idem est, formalis hæc similitudo formalitate objectiva, & in se nulatenus consistit in accidente isto. Ubi simul habes rationem, ob quam consistit adæquatè in fundamento, termino, & ratione proxima fundandi, quæ in hoc casu est albedo ut quatuor, utriusque parietis: consistit enim in eo, quòd paries *A* habeat albedinem ut quatuor, & paries *B*. habeat in eodem tempore albedinem ut quatuor. Hoc autem complexum rerum, (ubi non excludimus, sed positivè includimus, aut supponimus durationes earumdem, quia de illis non est quæstio,) intimè ac essentialiter constituitur per unamquamque illarum: quod si opus fuerit, probabis argumentis supra datis contra connotatores.

214. Bona alia argumenta invenies passim v.g. Fore ut unus quisque nostrum esset in continua mutatione, & quidem intrinseca, quin esset instans ullum, in quo non mutaremur intrinsecè. Quia nullum est instans, in quo non incipiat de novo aliquod vivens in toto orbe terrarum, aut moriatur, aut aliquam aliam subeat mutationem: ergo nullum est instans, in quo non evadamus verè à parte rei coram Deo similes, aut dissimiles quo ad aliquid alicui alij entitati: ergo si hæc similitudo realis objectiva, & coram Deo non potest contingere quin recipiamus in nobis aliquod accidens modale, nullum erit instans, in quo non mutemur intrinsecè, jam amittendo unas relationes, jam acquirendo alias. Quod merè ad libitum dici videtur. Item casu, quo Deus omni prorsus creaturæ adimeret istum modum superadditum relativum, quem casum esse possibilem abs jure negabitur, omnes creaturæ essent acti, formaliter formalitate objectiva similes in hoc, quòd est, nullum habere modum relativum superadditum; & tamen hæc similitudo non consisteret in modo ullo relativo superaddito. Hæc & similia non parum ingeniosa passim invenies. Illa prima est nobis ratio à priori.

215. Sed objicies: relatio est illa, cujus totum esse est ad aliud; sed hoc non convenit complexo ex illis tribus, dictis ut patet: ergo. Solutus fuit initio hic nodus. Relatio dicitur totum suum esse habere ad aliud; non quatenus non possit de illa affirmari ullum aliud

præ-

prædicatum, quàm esse ad aliud: nam de isto accidente superadditò affirmatis vos, esse accidens: esse superadditum; esse modum, &c. sed dicitur in illo alio duplici sensu jam dicto. 1. Quatenus sub illo conceptu, & attento illo conceptu, sub quo est relatio, non ostendit nobis aliud, quàm esse ad aliud. Sicut homo sub hoc solo conceptu, & attento hoc solo conceptu *Animal*, non ostendit nobis aliud esse, quàm vivens sensibile: quod non tollit, quòd verè de illo sint affirmabilia multa alia prædicata. Complexum ergo ex illis tribus, attento hoc solo conceptu: *Hic paries est albus sicut ille*, non ostendit nobis primariè aliud, quàm illud *sicut*, nam *sicut* illud est, quod primariè, & magis directè videtur enuntiarì; illud autem *sicut* certè totum apparet in ordine ad aliud. 2. Quatenus omnia prædicata relationis, utpotè invicem identificata sunt, ad aliud, sicut omnia prædicata hominis, v.g. esse risibilem, esse volitivum, esse capacem amicitie cum Deo, &c. sunt *Animal* & rationale; & idè dici potest, totam essentiam hominis esse animal rationale, non totalitate exclusionis, sed totalitate identitatis eum eis prædicatis. Cætera argumenta quæ leviora sunt, solventur distinctione illa explicata, & probata. Relatio formalis formalitate intentionali, & quoad nos. Relatio formalis formalitate objectiva in se, & quo ad se.

216. Probatum jam tertia pars conclusionis, scilicet relationem illam similitudinis objectivæ, & in se, sumptam in abstracto consistere in sola ratione proxima fundandi. Relatio illa sic inspecta est forma illa, aut quasi forma, per quam immediatè formaliter unus paries est albus, sicut alter; sed hæc forma stat formaliter immediatè partim in albedine ut quatuor parietis *A*, partim in altera albedine ut quatuor parietis *B*; nam per illam in genere causæ formalis immediatè paries *A* est albus ut quatuor, & per hanc paries *B* est albus ut quatuor, & per utramque simul ambo sunt albi ut quatuor, & consequenter unus est albus sicut alter: ergo relatio illa sic inspecta consistit formaliter immediatè in utraque illa albedine; sed utraque illa est ratio adæquata proxima fundandi eam similitudinem: ergo. Ubi sicut paulò ante non excludebamus durationes; ita hinc non excludimus uniones physicas harum albedinum. Quod si eadem numero albedo ponatur divinitus in duobus parietibus, adhuc possunt uniones physice esse distinctæ. Quòd si una quoque numero ponatur unio, de quo litigare nolumus modò; tunc tota ratio proxima fundandi, totaque relatio similitudinis sumpta

Iii

in

in abstracto, consistet in una sola albedine. Verè namque tunc dabitur inter illos parietes relatio similitudinis quo ad albedinem, nam verè erunt duo alba, quamvis non duæ albedines, siquidem id generis concreta multiplicantur ob multiplicationem subjecti, & non semper formæ.

CAPUT OCTAVUM.

De Habitu, Dispositione, Passione, & Passibili qualitate, &c.

217.

s. Met.



Um Aristoteles posuerit sub genere *Qualitatis* hæc omnia simul cum potentia, & impotentia, præmittere oportet explicationem qualitatis, reservando in suum locum quæstiones magis specificas super illa: Inquit ille, *qualitatem dico, quæ quales quidem dicuntur*: videtur sonare definitum in definitione, quæ sic erit magis clara. *Qualitas est accidens distinctum à quantitate, bene, aut malè afficiens subjectum*. Hæc definitio convenit omni physice qualitati hætenus notæ, & soli. Hac autem specie bonitatis definitionis contenti sumus modò.

218. *Qualitas est multiplex*. Alia namque est absoluta, & alia modalis. *Qualitas modalis est accidens, quo actu absolute, formaliter, & immediatè res subit aliquam denominationem ex illis, quæ non identificantur per se adæquatè cum subjecto denominato, ut identificatur cum subjecto denominatio identificati, distincti, &c.* sic unio albedinis cum hac charta est qualitas modalis, quia cum sit accidens distinctum à quantitate, est actuale absolutum formale, & immediatum exercitium, quo est alba hæc charta, quæ denominatio non identificatur per se adæquatè cum subjecto albo. Sic forma, idest figura, habitudo, & dispositio externa corporum inspecta secundum positivum est qualitas modalis, quia figura, seu species hæc formæ stat physicè ex parte rerum in eo, quod partes corporis habeant talem, vel talem proportionem inter se, & non aliam; item talem, vel talem colorum temperiem, & non aliam, hæc est talem distantiam reciprocam, talem situm, talem magnitudinem, aut parvitatem, & non aliam. Hoc secundum, cum sit quid negativum, non est qualitas physica; illud tamen pri-

primum sumptum pro formali est qualitas modalis; quia à parte rei consistit in combinatione præsentiarum, quas habent partes illius corporis. Hæ autem præsentie omnes sunt qualitates modales, ut suo loco dicetur.

219. *Qualitas absoluta est illa, quæ est quidem forma constituens denominationem; at non est actuale, absolutum, formale, & immediatum exercitium illam subeundi*. v. g. hæc albedo, quæ cum possit à Deo conservari extra omne subjectum, non est actuale, absolutum, formale, & immediatum exercitium, quo hæc charta est alba; sed unio physica illius cum hac charta est tale exercitium. *Qualitas hæc est duplex*. Una, quæ dicitur *Prima*, ut sunt illæ quatuor respondententes elementis, seu primis principiis corporum, scilicet calor, frigus, siccitas, humiditas. Alia *secundo*, ut illæ aliæ qualitates, quæ distinguuntur ab eis quatuor, & ex earum combinatione resultant. Hæc item est duplex. Una quæ *bene afficit subjectum* ut valetudo, quæ stat in proportionem illarum qualitatum in corpore, & hoc bene afficit: item, ut actiones externæ laudabiles, quæ honori sunt personæ operanti. Altera, quæ *afficit malè* ut morbus, qui sanè malè afficit subjectum, & stat in majore, aut minore improportionem illarum qualitatum: item ut sædæ actiones externæ, quæ dedecori sunt operanti: rursus utraque potest esse una externa, nempe quæ sensu percipitur, ut color, lux, sonus, odòr, sapor, &c. Altera interna. Hæc rursus est duplex. Una *materialis*, ut sunt actus omnes phantasie, sive cognoscitivi, sive appetitivi, quos nullo sensu externo percipimus: sed experimur illos tum in nobis, tum in Brutis: item species materiales, quæ ex sensu externo penetrant usque ad phantasiam: nec non illæ, quæ conservantur in hac potentia ad memoriam, nam etiam bruta recordantur, & nos inter somniandum. Hæ sunt qualitates corporeæ, ac materiales juxta ea, quæ diximus inter disputandum conceptum corporis, quia suapte natura eum dicunt ordinem ad quantitatem, ut sine miraculo non possint existere absque unione immediata, vel mediata cum illa. Hæ corporeæ internæ qualitates interdum inclinant ad malum, ut habitus vitiosi, interdum ad bonum, ut bona indoles.

220. Altera est qualitas interna *spiritualis*, ut sunt actus rationales nostri intellectus v. g. apprehensiones, judicia, discursus; aut voluntatis v. g. amores odia, volitiones, nolitiones, spes, timores, gaudia, tristitiæ &c. Hæc omnia sunt qualitates, quia

cùm sint accidentia distincta à quantitate, benè, aut malè afficiunt subiectum. Sunt item spiritualia, quia non ita connectuntur cum quantitate, ut sine miraculo carere illa nequeant, prout diximus suo loco. Qualitas interna spiritualis, alia est vitalis, (non quidem in actu primo, quia potentia ipsa vitales identificantur cum animæ substantia; sed in actu secundo, idest operationes vitales) ut actus dicti tum intellectus, tum voluntatis. Alia non vitalis, ut sunt habitus relictæ ex crebra repetitione eorum actuum, (v. g. scientia, & artes, quia hæc præcisè loquendo non stant in uno, vel altero actu; sed in habitu, promptitudine, seu facilitate ad actus sibi respondentes;) Hi namque habitus non sunt qualitates, quibus actu vivimus; sed qualitates relictæ ex actibus, quibus actu vivimus: sicut odor v. g. vini, non est vinum, sed qualitas ex vino relictæ. Utraque est duplex. Una *entitativè naturalis*, ut cognitiones, & amores sine speciali Dei auxilio elicti, nec non habitus acquisiti ex repetitione illorum. Altera entitativè *supernaturalis*. Ut sunt actus fidei, spei, charitatis, nec non poenitentia per nos elicti prout oportet ad salutem æternam; sed elicti cum speciali Dei auxilio, à quo incipit nostra justificatio. Isti omnes sunt *qualitates*, idest accidentia distincta à quantitate, benè afficiunt nos. *Spirituales* quia sine miraculo possunt existere sine ulla unione ad quantitatem. *Vitales*, quia actu vivit, qui actu dolet de peccatis, qui actu credit &c. *Supernaturales*, quia in tota natura, comprehendendo etiam supremam Angelorum Hierarchiam non dantur vires adæquatæ, plenæ ac sufficientes ad ponendum, vel minimum illorum. Ad hanc eandem classem spectant auxilia divina, inspirationes, illustrationes, quibus *lux vera illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, quibus Deus loquitur ad cor hominis, juxta *Oseam*, quibus in secreta cordis schola erudit hominem, & de lege sua docet eum. Hæc enim auxilia sunt physicè entitativè actus nostri intellectus, aut voluntatis, quos Deus in nobis sine nobis, ut supremus Dominus, & misericors Pater producit, quando vult, quomodo vult, quando vult, sicut nos in charta formamus characteres; cum hoc tamen inter alia multa discrimine, quod hæc charta nullum habet influxum activum, sed merè passivum, in hos characteres; nos autem physicè activè concurrimus etiam pro nostro modulo ad illa auxilia, quia sunt actus vitales nostri; sed de hoc Theologi, necesse tamen fuit insinuasse.

221. Denique qualitas spiritualis, non vitalis etiam est, vel entitativè

entitativè naturalis, ut sunt omnes scientiæ, atque artes purè humanæ, quia hæc omnia sunt *accidentia*, utpotè distincta adæquatè à supposito juxta dicta initio hujus. Sunt *distincta à quantitate*, quia sine miraculo possunt carere unione ad illam. *Bene utique afficiunt subiectum*; nam licèt hoc possit abuti illis, illa tamen in se sunt bona, quia, & Sancti Angeli, & Deus ipse optimè noscunt pravos, & sceleratos modos furandi v. g. ludendi, &c. Non sunt principium vivens, neque actio vitalis, sed res oriundæ ex unis actibus vitalibus, & juvantibus ad alios similes. Et demùm sunt res entitativè naturales, quia non indigent specialissimo illo adjutorio divino, quo egemus ad poenitentiam, fidem &c. Vel est entitativè supernaturalis. Et hujusmodi sunt gratia sanctificans, qua filij Dei nominamur, & sumus, item habitus infusi virtutum moralium, & theologialium, lumen gloriæ, nempe adjutorium illud, quo anima elevatur supra se ad intuendum Deum; atque dona prophetiæ, miraculorum &c. si sint res permanentes, atque stabiles in anima, quia hæc omnia sunt accidentia, utpotè distincta quoque adæquatè à supposito: illa etiam eadem individua persona, quæ his omnibus, aut aliquibus fruitur, potuit existere sine ullo illorum. Sunt distincta à quantitate ut constat. Optimè afficiunt subiectum, ut etiam constat. *Sunt spiritualia*, quia sine ullo miraculo possunt existere separata ab omni quantitate molis. *Non sunt vitalia*, vita utique philosophica de qua modò (quid quid sit de vita spiritali, & theologica, de qua non in præsentia;) si quidem, nec sunt operationes vitales, nec principia capacia vivendi. Sunt tandem supernaturalia, quia vires superant, & exigentiam totius naturæ de facto existentis, & cujuscumque alius huic æqualis. Hactenus de qualitatibus, quantum modò sufficit, ac etiam requiritur, ut intellectus logicus incipiat formare à longè conceptum aliquem rerum postea disputandarum.

§. II.

222. Totam hanc qualitatum catervam in sex illos ordines initio positos redegit Aristoteles propter disputantium commoditatem. Habitus est *qualitas permanenter inherens subiecto aliunde capaci, ipsum quo ad sufficientiam juvans ad operationem aliquam sive positivam, sive negativam*, v. g. habitus scribendi, loquendi &c.

fci-

filendi etiam, atque omittendi. In primis est *qualitas*, quia est accidens absolutum distinctum, &c. *Permanenter inherens*. Quia non sufficit, quod existat in rerum natura extra omne subiectum, tunc enim dumtaxat erit habitus in actu primo; sed debet ex natura sua esse in aliquo subiecto per unionem, & receptionem, quæ duo significari solent à Philosophis illo verbo *inherere*. & quidem modo firmo, & stabili, ut distinguatur à *dispositione*, quæ solet esse facile mobilis à subiecto, ut calor, qui ex se est dispositio ad ignem, soletque esse amovibilis. Unde habitus acquisitus vocatur qualitas difficile mobilis à subiecto, quia consuetudo est altera natura.

223. *Subiecto aliunde capaci*. Hæc capacitas est non solum habendi habitum ipsum; sed etiam faciendi, aut omittendi prout habitus fuerit. Si enim Deus miraculose uniret huic papyro habitum tuum loquendi, improprie diceretur hæc papyrus habere habitum loquendi, quoniam hæc phrasim non significat habere illum pure materialiter, sed habere illum cum facultate ex se, atque attentam sua natura ad illum exercendum, licet hic & nunc ob aliquod accidens exercere nequeat, ut infans, & perpetuo stolidus exercere nequeunt habitum fidei, spei, & charitatis, quos in Baptismo adepti sunt. Idem casu, quo Deus saxo uniret aliquem ex habitibus infusus. Nam sicut casu, quo illi uniret tuam visionem, aut intellectionem, nec videret, nec intelligeret, quamvis in eo esset visio, & intellectio: scilicet quia saxum non habet capacitatem adhuc radicalem ad videndum, vel intelligendum: Ita casu, quo Deus uniret saxo habitum infusum fidei, improprie diceretur illud habere habitum eum, tametsi hic esset in illo. Nempe quia pure materialiter esset in saxo, & hoc nec radicali fungitur capacitate ad credendum.

224. *Ipsam quo ad sufficientiam juvans*. Hoc juvamen potest esse, vel quia sine ipso non habet potestatem plenam, & perfectam subiectum illud ad operandum, ut contingit in habitibus infusis. Vel quia subiecto ex se potenti faciliat operationem, ut contingit in habitibus acquisitis. Hoc juvamen non semper est simpliciter quo ad efficaciam, seu quoad primum esse: quia multoties subiectum jam est plene potens, aut simpliciter facile, atque promptum ad operationem, antequam adveniat habitus. Ut contingit quando subiectum obtinet hujus intensionem, quæ intensio verè, & simpliciter est habitus etiam: & tamen ante ipsam jam subiectum ratione priorum graduum erat simpliciter potens, aut facile ad ope-

operationem (sicut hæc charta antequam haberet duos ultimos gradus albedinis, qui verè sunt albedo, jam erat alba per priores gradus,) ergo per illam intensionem non juvatur simpliciter, & quoad efficaciam, seu quo ad primum esse, sed quo ad sufficientiam, seu quo ad intensionem, sicut hæc charta per duos ultimos gradus albedinis fit quidem magis alba; sed non simpliciter alba quo ad primum esse. Denique ad operationem aliquam, sive positivam, sive negativam. Quia etiam possumus habere habitum tacendi, non irascendi, non ulciscendi &c. sed hoc intelligendum est supposito, quod sint possibles pure omissiones, de quo Theologi.

225. Jam habitus decem divisiones dabimus. Prima: *Infusus*, & *acquisitus*: Ambo conveniunt in eo, quod per se loquendo neuter est capax habendi objectum formale, quia neuter est vitalis potentia, aut actus vitalis. Vulgo tamen dicimus, talem, & talem virtutem, seu habitum habere hoc aut illud objectum formale, specificativum. Sed dicimus hoc per figuratam locutionem tribuendo habitibus, quod est proprium illorum actuum, respectu quorum dicuntur esse habitus. Soli namque actus, cum sint operationes vitales, sunt capaces, qui moveantur ex hoc, vel illo objecto formali: & hanc motionem figurate tribuimus habitibus. Sic dicimus v. g. logicam habere tale, aut tale objectum formale. Est locutio figurata, & intelligi debent *actus ipsi logici*: quia hi, non verò habitus, sunt vitales operationes capaces habendi motivum. *Infusus*, ut jam alibi insinuavimus, sunt pretiosissimæ illæ qualitates supernaturales, quas solus Deus producit in nostris animabus, non solum ad ornatum harum; verum etiam, ut simpliciter possint elicere tales, ac tales operationes. Unde hi habitus infusi, (quorum existentiam satis aperte docet Tridentinum,) dicuntur dare nobis *posse*: quam theologice phrasim ne intelligas, sicut quando unus homo dicitur dare alteri librum, pomum, &c. quasi illud *posse* sit aliquid ab ipso habitu distinctum, quod habitus det homini, sicut tu das librum. Absit: sed quatenus habitus ipse, infusus est constitutum intrinsecum, & essentialiter proximæ, ac plenæ facultatis ad faciendum actionem, quæ utpotè supernaturalis est in sphaera longè altiore, quàm humana, quæ est entitativè naturalis, quamvis absolute, ac omnibus pensatis homo sit magis perfectus utpotè vivens rationale. In hoc sensu *dare posse*, hoc est constituit potestatem: licet enim non nunquam suppleat Deus aliunde absentiam horum habituum, (ut in peccatore non habente habi-

Sess. 6. c. 7.

tum

tum infusum charitatis, habente tamen plenam facultatem se convertendi ad Deum per actum perfectæ contritionis: & in hæretico non habente habitum infusum fidei, habente verò plenam facultatem eliciendi actum fidei revocantem (suos errores,) quia ut misericors Pater non vult Deus, quod per ipsum stet, ne homo satisfaciatur suæ obligationi, & hac de causa auxilijs alijs arcanis, & miris supplet carentiam illorum habituum, de quo theologi. Verum tamen modus magis consentaneus generali providentiæ est, quod ad operationes supernaturales, & frequentes homo polleat principio permanente, & sibi intrinseco per unionem, quod principium est habitus infusus.

226. *Habitus verò acquisitus* est ille, quem crebra repetitione actuum bonorum, aut malorum, aut indifferentium, si fortè sunt, nobis comparamus, ut habitus currendi, loquendi, disputandi &c. sicut enim crebra manuum perfricatione naturaliter resultat calor. Ita crebra repetitione actionum alicujus speciei naturaliter resultat in organis, & potentia concurrentibus ad illas actiones qualitas quædam positivè facilitans, & interdum positivè instigans ad repetendum actiones illas, ut experientiâ constat: hæc qualitas vocatur habitus acquisitus. Hic non *dat posse*, idest non constituit plenam potestatem ad eas actiones. Nam prima vice, qua homo currit, scribit, cantat &c. habet plenam potestatem ad illa, sine qua potestate certè non posset illa facere; & tamen hæc potestas adhuc juxta providentiam ordinariam non potest constitui per habitum acquisitum currendi v. g.: nam quomodo potest habere habitum acquisitum currendi ille qui nunquam adhuc cucurrit? Solum ergo facilitat habitus acquisitus, & non utcumque facilitat, nam etiam qui stomacho robusto pollet v. g. habet facilitatem ad jejunandum, & tamen nunquam adhuc jejunavit, non potest dici habere habitum formalem acquisitum jejunandi. Facilitat ergo habitus acquisitus determinatè ex hoc titulo, nempe quia nascitur ex crebra repetitione actuum. Præterea non semper facilitat quo ad efficaciam: quia fieri solet, quod potentia sit tam hebes, aut organum corporis tam indocile, ut adhuc post frequentem actuum repetitionem, non nanciscatur facilitatem. Sed hoc est per accidens, sicut quod vehemens calor in aqua receptus ipsam non inflamat ob oppositas qualitates, quas invenit ibi. Ast frequens illa repetitio naturaliter generat qualitatem ex se sufficientem ad reddendum facilem potentiam, vel organum corporis; quamvis non reddat
in

in actu secundo ob contumaciam, & indocilitatem, quæ ibi accidentaliter inveniuntur.

§. III.

227. *Secunda Divisio*, unusquisque ex his duobus membris dividitur multifariam subdividitur. Nam habitus infusus potest esse 1. ad actiones *ex se non meritorias*, ut si Deus infundat habitum prophetandi, patrandi miracula, & talis est qualitas illa, quæ dicitur lumen gloriæ, cum immobiliter inhæreat intellectui Beatorum, & constituat proximam facultatem intellectus ad videndum Deum, quæ visio nen est actio meritoria: Idem dico de habitu sapientiæ, scientiæ, &c. quos habitus potest Deus infundere creaturæ. 2. Ad actiones ex se meritorias. *Tertia Divisio*. Hic est duplex. Unus vocatur habitus, seu virtus Theologica, alter habitus, seu virtus moralis. Virtus Theologica, seu habitus Theologicus est ille, cujus actus proprii, & immediati habent pro objecto formali proximo adæquato aliquid entitativè divinum. Et tales sunt tres solæ virtutes, fides, spes, charitas. In primis non virtus ipsa, seu habitus, sed actus habent castigatè loquendo objectum formale, quia ut paulò antè notavimus, habitus, neque est actus vitalis nostræ animæ, aut Dei, neque est identificatus cum intellectu, aut voluntate.

228. Deindè *actus proprii*. Primò: quoniam actus alij, ad quos immediatè, atque exercitè per se ipsum solet movere actus charitatis v. g.: sicut intentio finis exercitè per se ipsam movet ad electionem mediorum sine reflexione signata super hanc electionem: Item ad quos movere solet signatè, ac per modum imperij; Hi, inquam, actus possunt, & solent habere objectum formale distinctum ab objecto formali charitatis v. g. quando diligis Deum super omnia ipsi graviter opposita, & hoc proximè adæquatè propter suam infinitam bonitatem, hæc dilectio, quæ est actus proprius virtutis, seu habitus charitatis, potest movere te immediatè, exercitè, ac per se ipsam, ut abstineas à peccato ex motivo præcepti divini abstinendi à peccato illo, & potest movere te, quatenus sit expressa volitio abstinendi à peccato propter illud motivum, (cùm enim jubeamur interdum non solum elicere tales, aut tales actus; verum etiam elicere illos *ex tali*, aut *tali determinatè motivo*, ut contingit, quando jubemur credere, sperare, &c. fieri

potest, quod dilectio Dei super omnia exercitè, aut signatè moveat nos non solum ad tales actiones; verum etiam ad faciendum illas ex tali motivo, aut tali alio, in his casibus abstinentia ab illo peccato ex motivo præcepti non habet pro objecto formali proximè adæquatè divinam bonitatem. Ast neque abstinentia illa est actus proprius, & immediatus charitatis, sed actus oriundus exercitè, aut signatè ex actu proprio, & immediato charitatis.

229. Secundò. Quoniam si aliquis sit tam corruptæ, ac prævæ indolis, ut Deum oderit proximè adæquatè propter suam excellentiam, ut majestatem, dolendo, quod sit tam magnus. Item si aliquis sit tam pervicax, ut nolit facere rem *A.* unicè proximè adæquatè, quia est præcepta per talem superiorem: Item si peccatum invidiæ ut distinctæ ab amore proprio consistat in displicentiæ bonitatis alienæ, quia bonitas est illa tum absolucè, tum in objecto invidiæ. Si, inquam, hæc sint possibilija, transeat, quod hi actus habent pro objecto formali proximo adæquato id, quod habent actus proprii charitatis, aut obedientiæ. At non sunt actus proprii illius. Quoniam ad discernendum actus proprios alicujus habitus, sed virtutis, est quidem regula primaria objectum formale proximum adæquatum; sed non est unica. Oportet namque perpendere, an actus illi tendant in suum objectum materiale, modo consentaneo objecto formali. Si tendant, erunt actus proprii illius habitus: Si secus, ed, quod nequitia humana, vel diabolica contra naturam ipsam rei, moveatur ad non faciendum ex illo eodem, ex quo moveri debebat ad non faciendum (cujus casus possibilitate abstrahimus,) tunc actus illi certissimè non sunt proprii illius habitus. Atqui hoc contingit in istis: ergo non sunt proprii illarum virtutum, tamen permittatur, illos habere objectum formale proximum adæquatum illarum.

230. Denique actus proprii, & immediati habitus, seu virtutis theologicæ debent habere pro objecto formali proximo, & adæquato aliquid entitativè divinum (pro objecto, inquam, formali, ut quod, & in recto. Nam objectum formale ut quo, & instar exercitij objecti formalis, ut quidd, potest esse aliquid creatum. Graves namque DD. censent, divinam revelationem externam, quæ est aliquid creatum, constituere objectum formale Fidei, & beatitudinem formalem, quæ etiam est aliquid creatum, constituere objectum formale spei Theologicæ.) Proximo quidem, quia aliàs non erunt actus proprii, & immediati illius virtutis, sed oriundi exercitè

citè, aut signatè ex actu proprio, & immediato illius, ut nuper dicebamus: & quidem, si in articulo mortis non habens confessarium, & gehennæ timore eliceret aliquis actum perfectæ contritionis, actus hic haberet pro objecto remoto, & mediato objectum formale timoris, quæ est virtus moralis: & tamen illa perfectæ contritio non esset actus virtutis moralis, sed Theologicæ. E conversò: si ex actu charitatis eliceret actum, obedientiæ formalis, hic haberet pro objecto formali mediato, & remoto objectum formale charitatis: & tamen non esset formaliter in se ipso actus virtutis Theologicæ, sed moralis. Necessè est ergo, quod objectum formale proximum actus virtutis alicujus sit objectum formale proprium illius virtutis: quamobrem objectum formale, in quod ultimò resolvitur aliquis actus, est regula ad distinguendum, quot, quæ, & qualia interveniunt in eo casu; sed non ad dignoscendum infimam, propriam, & formalem speciem illius actus. Aliàs omnes operationes honestæ, quæ imperantur per actus charitatis theologicæ, & tandem resolvuntur in objectum formale hujus virtutis, essent propriè formaliter in se ipsis, atque intrinsecè actus charitatis,

231. Adæquato etiam; quia si aliquis detestaretur sua peccata, partim propter divinam bonitatem, cui adversantur illa, & partim propter motivum aliud temporale v. g. dedecoris contracti ex illis peccatis, ita ut neutrum ex his duobus motivis esset adæquatum respectu illius unius actus, certè iste non eliceret actum perfectæ charitatis, nec per illum modum gerendi se, recuperaret divinam gratiam. Idem dico si alius per unum eundem actum assentiretur incarnationi Verbi, partim propter autoritatem Dei, partim propter autoritatem humanam, ita ut neutra esset motivum plenum, & sufficiens respectu illius assensus. Debet ergo esse motivum adæquatum actus virtutis, seu habitus Theologici aliquid entitativè divinum. Sed advertè: Dupliciter potest res esse objectum formale inadæquatum. 1. Per accidens quatenus talis individuus actus hic, & nunc feratur in *A.* & *B.* ita tamen fervidè, ac efficaciter respiciat motivum *A.* ut etiam si abesset *B.* nihilominus ex vi hujus ejusdem ardoris, adhuc voluntas v. g. moveretur ex *A.* ad actum alium ejusdem speciei moraliter. Quandò in hoc sensu purè materiali, & quasi per accidens res divina est motivum inadæquatum, actus sic motus ex illa, potest esse actus virtutis Theologicæ. 2. Per se quatenus actus motus ab *A.* & *B.* ita languidè respiciat *A.* ut si abesset *B.* voluntas non moveretur ex *A.* ne-

que per actum illum, neque per alium ejusdem moraliter speciei. De hoc pronunciamus non esse verè, ac simpliciter actum habitus Theologici.

232. Contra hanc doctrinam potest objici virtus religionis, quæ utique est habitus purè moralis, quia non sunt nisi tres virtutes Theologicae, & tamen sui actus habent pro objecto formali proximo adæquato aliquid divinum, scilicet Majestatem Divinam. Hoc negamus, quia quando genuflexio, operitio capitis, suffitus, accensio candelarum, sonitus campanarum, & sacrificium ipsum sunt actus proprii, & immediati solius Religionis, tunc volitio horum habet pro objecto formali proximo adæquato, quod hæc actiones sunt cultus Dei, quo honoratur apud nos. Sed has actiones esse cultum Dei, est quid entitativè creatum, adæquatèque distinctum ab ipsa Dei Majestate: ergo. Quod si objectum formale proximum adæquatum volendi ista non sit, quia sunt cultus Dei: sed sit ipsa Suprema Dei Majestas formaliter in se ipsa, tunc volitio illa erit Theologica appetitatio Dei, & amor appetitativus Dei, quid quid sit, interveniat, nec ne dulcedo, & teneritudo dulcedinis, & si fuerit appetitatio illius infinitæ Celsitudinis super omnia prorsus ipsi graviter opposita, erit actus perfectæ charitatis; etenim non solum donamur à Deo libertate ad actiones; sed etiam ad motiva, & objecta formalia volendi actiones illas; quo circa prout homo se gesserit, & prout fuerit objectum formale, ex quo proximè adæquatè movetur, faciet actum habitus moralis, aut actum habitus Theologici: neque sufficit inspicere rem, quæ sit; sed objectum proximum adæquatum, propter quod sit. Quandò enim facimus actiones, quæ vulgò, & passim sunt religionis, aut penitentiae, aut misericordiae, &c. Possumus habere actum internum charitatis Theologicae, vel alius virtutis, vel etiam actum peccaminosum.

233. Habitus denique moralis infusus est ille, cujus actus proprii, & immediati habent pro objecto formali proximo adæquato aliquid, quod non est entitativè divinum v. g. habitus religionis, ut modò diximus. Nam actus proprii, & immediati ipsius sunt illi, quibus volumus tales, aut tales res proximè adæquatè, quia sunt cultus Dei: esse autem cultum Dei connotat quidem, & connectitur essentialiter cum Deo; sed non constituitur essentialiter per Deum; alias omnis creatura constitueretur intrinsecè per Deum, siquidem omnis illa essentialiter est ab illo: & ratio est, quia connectio, & connotatio ex una parte, & intima constitutio ex altera

sunt

sunt res omninò diversa, ut jam advertimus. Neque dicas, objectum formale proximum adæquatum esse honestatem cultus Divini: quia hoc quidem potest contingere per actum reflexum; quo velimus actum religionis, quia est honestum colere Deum, sicut etiam, quia jubemur, quia oportet dare bonum exemplum, quia oportet satisfacere Deo per nos offenso. Item sicut etiam possumus velle actum charitatis, quia honestum est amare Deum. Sed hoc est confundere actus reflexos cum directis.

234. Igitur quemadmodum dilectio Dei proximè adæquatè propter ipsum, exercitè evadit honesta sine reflexione supra honestatem, & assensus conclusionis proximè adæquatè propter præmissas exercitè evadit conclusio formalis, quin reflexè tendat, & repetat præmissas, & paries ille evadit exercitè visus per meam visionem, tametsi hæc non tendat in illum quia visum: & actio exercitè est libera per libertatem, etiam si libertas non sit ad illam quia libera, &c. Ità eo ipso, quòd velis genuflexionem v. g. ante Deum, quia illa est cultus Dei, exercitè sine istis reflexionibus, genuflexio illa evadit honesta, suppositis alijs requisitis: & ratio est: quia in praxi humanarum actionum non est necesse, quòd contingant omnes illæ reflexiones, quas non habemus, dum reflexè examinamus, & disputamus actiones humanas.

§. IV.

235. **H** Actenus de habitu infuso Theologico, & Morali. *Quarta Divisio.* Habitus acquisitus est duplex, unus malus, alter bonus. Habitus acquisitus malus non est omne illud, quod nos incitat in malum, interna quippè humorum complexio, pravæque qualitates in sanguine paterno, & materno imbibitæ, quo utroque sanguine coalescit humanum corpus, solent provocare ad actiones malas, & tamen non sunt habitus acquisitus. Hic ergo est qualitas illa, quam prava consuetudine nos met ipsi nobis infiximus, & quæ movere solet ad iterandum actiones similes eis, quibus ipse fuit acquisitus v. g. habitus furandi. Hic habitus non opponitur cum statu gratiæ, quoniam inveteratus peccator, qui ex toto corde ad Deum est conversus, adhuc retinet pravæ illas inclinationes, quas antea vita sibi comparavit, quibus monetur liber jam à peccato, quod olim Sara monebatur

batur

Gen. 20. batur, quando libertati restituebatur, *quocumque perrexeris meo mento te deprehensam*. Habitus acquisitus bonus similiter non est quævis interna qualitas inclinans in actiones bonas, v. g. ingenua indoles, egregiaque humorum temperies, ob quam dicere aliquis potest, quod *Salomon dicebat, Puer autem eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam*; sed est qualitas illa, quam bonis nostris actionibus comparabimus, & quæ movere solet non solum negativè, amovendo scilicet difficultates; sed etiam positivè ad repetendum actiones illas; v. g. habitus dandi eleemosynam. Hic habitus non opponitur cum lethali; nam sicut peccator post conversionem conservat pravas inclinationes quondam acquisitas, ita Justus post lapsum retinere solet bonas.

Cap. 8.

236. *Quinta Divisio*. Utervis hic habitus potest esse externus, videlicet infixus alicui membro corporis, ut habitus canendi, pulsandi cytharam &c. vel internus. *Sexta Divisio*. Et hic vel materialis; nimirum infixus appetitui sensitivo, aut phantasie, idest potentie imaginativæ, vel spiritualis. *Septima Divisio*. Et hic, vel quo ad actus memorie, vel quo ad intellectus, vel quoad actus voluntatis. Hæc omnia constant experientia; sed oblivioni non debent tradi, quia necessaria sunt ad formandum ideam nostrarum operationum. *Octava Divisio*. Præterea habitus acquisitus bonus potest considerari in duplici differentia. Unus entitativè naturalis, nempe ille, qui gignitur ex actibus, qui nec vires, nec exigentiam superant naturæ, juxta sententiam a qua modò præscindimus, illorum, qui censent ad minimum quemque actum honestum, ad minimam tentationem superandam indispensabiliter requiri gratiam specialem Dei, sed quæ sit ordinis naturalis. Si hoc est verum, frequens repetitio actuum illorum generat habitum bonum, sed entitativè naturalem. Alter entitativè supernaturalis, & talis forsan est ille, (quæ res alibi expenditur,) qui generatur ex frequenti repetitione actuum supernaturalium religionis, v. g. quibus etiam actibus generari habitum, & majorem facilitatem, sicut quibusvis alijs, videtur certum. Hic ergo habitus videtur entitativè supernaturalis. Quoniam omne prærequirens principium creatum entitativè supernaturale, est entitativè supernaturale. Nam omne tale superat vires adæquatas totius naturæ. Sed omnis habitus acquisitus ex frequente repetitione actuum supernaturalium ita requirit principium supernaturale, nempe actus illos, ex quibus generatur. Nisi dicas, posse habere habitum acquisitum

le-

legendi, qui nunquam legit: ergo, videtur supernaturalis. Sed hoc alibi examinandum, probandum, aut reprobandum est nobis.

237. Cæterum si hoc fuerit verum, oportet subdividere habitum acquisitum bonum in theologicum, & moralem: quia etiam ex crebra repetitione credendi, sperandi, ac amandi, acquireretur habitus, seu major facilitas ad iterandum hos actus, quando cætera ad sint principia. Ex continget, quod per infidelitatis lethale expellatur quidem habitus infusus fidei, de quo loquitur Tridentinum; sed non habitus acquisitus. Et casu quo habitus gratiæ, & habitus charitatis identificentur, quolibet lethali amittetur habitus infusus charitatis, sed non habitus acquisitus. Sicut homo quondam pernix, fractis postea cruribus, non amittit habitum acquisitum currendi, licet in sensu composito fractionis currere nequeat.

238. *Nona Divisio*. Habitus acquisitus tam bonus, quam malus potest esse triplex: Directus, & reflexus, & mixtus. Primus est, de quo hæctenus. Reflexus est ille, qui generatur ex actibus reflexis virtutum, aut vitiorum. Quia non solum solemus exercere directe, verum etiam reflexè virtutes, aut vitia v. g. quia honestum est diligere Deum super omnia, volo eum super omnia diligere: & postea diligit eum sic, & similiter in alijs virtutibus, & respectivè in vitijs, nimirum per illam tendentiam adversativam, *quamvis sit malum hoc, volo &c.* ille primus actus est reflexus, & habitum gignet facilitantem ad alios ejusdem speciei, si crebro repetatur: hic ergo habitus est virtus reflexa, utpotè genita ex actibus illis reflexis, & hic est, qui in sensu jam notato dici potest habere pro objecto formali honestatem operationis; non autem virtus ipsa directa charitatis, aut alia, ut paulò ante dicebamus.

239. Habitus mixtus est ille, qui generatur ex repetitione actuum, qui spectant ad diversas virtutes, aut vitia. v. g. adulterium est contra Castitatem, & contra Justitiam. Habitus generatus ex frequentibus adulterijs est mixtus, (non physicè, & formaliter, sed æquivalenter,) ex habitu contra Castitatem, & habitu contra Justitiam. Item potest quis habere consuetudinem eliciendi actiones, quæ simul sint charitas erga Deum, & misericordia erga proximum. Ex iterata harum actionum repetitione generabitur habitus, qui sit charitatis, & misericordiæ. Licet enim sint distincti habitus infusi, seu alia auxilia, quæ concurrunt ad illum indivisibilem actum, qui supponitur frequenter repeti; verum ta-

men

men habitus sensim generatus ex repetitione illius actus est unus, & idem formaliter actus; sed æquivalenter multiplex.

240. Denique habitus tum infusus, tum acquisitus alius est magnus, & valde intensus. Alius parvus, & remissus. Sicut enim inter subjecta alba una sunt magis, alia minus alba, quamvis utraque sint alba: & similiter in alijs: ita inter habitus infusos, & acquisitos, uni sunt majores, alij minores, quoniam uni homines fruuntur majore charitate infusa, alij minore. Uni habent majorem fidem habituales, alij minorem. Et similiter in habitibus acquisitis, ut experientia constat. Super his omnibus excitantur graves quæstiones in Philosophia, & Theologia. Ab eis omnibus manum temperamus, ne mittamus falcem in messem alienam. Sed oportuit præmunire logicum explicatione, ac divisione terminorum, ne postea Philosophus, aut Theologus hæreat in Grammatica, & intelligentia vocum.

§. V.

241. **E**Xplicato primo membro dividente qualitatis in genere, nempe habitu, qui utpotè frequenter occurrens accuratius examine indiguit, reliqua sunt breviora. Igitur *dispositio* est modus ille, quo res bene, aut malè se habet ad operandum, vel recipiendum. Ut siccitas, qua bene se habet subjectum, & humiditas aquea, qua malè se habet ad recipiendam formam ignis.

242. Potentia est facultas ad agendum, & vocatur *activa*; vel patiendum, & vocatur *passiva*; vel ad rem sibi connaturalem, & vocatur potentia *naturalis*; vel ad rem altioris Hierarchy, & vocatur potentia *obedientialis*, ut potentia, qua fruitur homo ad suscipiendum Spiritus Sancti dona, nec non ad agendum multos actus supernaturales divinitus adiutus specialiter: vel essentialis subjecto, de quo fuerit sermo, & vocatur potentia *radicalis*, qualis est potentia ad ratiocinandum, quam habet infans in primo instanti, quo vivit, & stultissimus quilibet: vel accidentalis, & vocatur incompleta, partialis, & remota, si deficiat aliquod prærequisitum ad agendum, vel patiendum; completa verò totalis, & proxima quando nullum deficit prærequisitum. Impotentia sumitur ab Aristotele in ea divisione non pro defectu potentie; sed pro potentia debili, & languida.

239. Passio in præsentem est qualitas resultans in corpore ex aliquo motu animi, citò verò transiens, ut pallor resultans in vultu ex fuga sanguinis ad cor propter aliquem motum animi; item rubor aspersus vultui propter impetum cordis ex aliqua anima commotione inquieti: ita tamen, ut, cessante illa causa, quiescat cor, & vultus in statum suum ordinarium redeat. Quia verò rubor potius quàm pallor solet esse index generosi cordis, invaluit apud vulgus illa vox: *malo decies rubescere, quàm semel pallescere*. Passibilis demùm qualitas est eadem qualitas, quando diutius, & tenacius inhæret corpori.

Hactenus de Logica Majore, cujus quatuor Disputationes utinam cedant in Gloriam Dei, & Studentium utilitatem.

F I N I S.

INDEX RERUM, ET VERBORUM

*Prior numerus Disputationem: posterior
marginalem numerum significat.*

Abstracta quid sint. Disp. 3. num. 130.
Accidens quid, & quotuplex sit, cum eis, quæ de ipso disputantur. 3. 123. Accidens physicum entitativum quid sit. 4. 8.
Actualis Prædicatio, quomodo conservet, aut non conservet universalitatem. 2. 62. & seq.
Apprehensio quid, & quotuplex sit. 2. 51.

Cognitio eadem simplex, quomodo possit esse identitas, ac distinctio rationis. Disp. 1. n. 168. & seq. Cognitiones, in quibus stat distinctio rationis, quam dissimilitudinem debent habere. ibid. 198. & seq.
Communicatio affirmata de Divina Essentia, & negata de Paternitate sunt diversæ. ib. 76.
Concilia, & Patres quid tradiderint circa substantiam, & Personam humanam. 4. 34.
Concreta quid, & quotuplicia sunt. 3. 130.
Connexio Dei cum possibilitate possibilitium. 4. 173. & seq.

Connotatum quotuplex sit. ibidem 134. Discrimen inter connotatum, & constitutum. ibid. Quando cognoscitur, an sit unum, an sit alterum. ibidem 146.
Conversiones propositionum enunciantium identitatem, aut distinctionem rationis. 1. 165.
Corporis definitio, atque explicatio. 4. 85. Corporearum rerum species. ib. 87.
Creatura, cui similem aliam Deus non possit producere, an sit possibilis. 3. 87. Creatura quo sensu connectatur cum Deo, ut Trino. 4. 140.

Definitum, & definitio an, & quando distinguantur per rationem. 1. 177. Quo sensu unum possit esse de fide, & non alterum. ibid. 136.
Definibilia unica definitione, quomodo conveniant univoce. 4. 126.
Denominationes in totis physicis unde sumendæ. ib. 91.
Differentia quid, & quotuplex, cum eis, quæ de ipsa disputantur.

3. 46. & seq. Differentia individualis non distinguitur à gradibus metaphysicis. 1. 20.
Dissimilitudo requisita, & non requisita inter cognitiones, quæ distinguunt per rationem 1. 198. & seq. Hæc distinctio fieri potest per cognitionem intuitivam. ibid. 211. Non verò per sensus, aut per voluntatem. ib. 212.
Distinctio quid, & quotuplex: 1. 4. Distinctio virtualis, & formalis ex natura rei. ibid. à num. 7. Repugnant in creatis. ib. 23. Argumenta pro illis. ib. 110. Quo sensu detur à parte rei distinctio virtualis. ib. 9. Ut duo distinguantur, an sufficiat, quòd unum non sit absolute alterum. ibid. 10. Quæ semel distinguuntur, nunquam identificantur, & è converso; quo sensu sit verum. ib. 16. Distinctio prædicativa cum indistinctione entitativa. ib. 17. Distinctio virtualis necessaria, & sufficiens in Divinis. ib. 52. Non importat, ex suo conceptu semper, ac necessario distinctionem realem in tertio. ibidem 71. Distinctio Formalis ex natura rei non datur in Divinis. ib. 29. Distinctio rationis quid, & quotuplex. ib. 157. Est semper actus reflexus. ib. 161. Non est quid absolute, & universale;

sed respectivum. ib. 171. Distinctio formalis logica trahit secum distinctionem formalem metaphysicam; non è converso. ib. 175.

Effectus formalis quid, & quis sit. 4. 42. Effectus formalis positivus formarum, quot requirat. ib. 60. Discrimen inter ipsum, & negativum. ib. 61.
Ens transcendit formaliter differentias. 1. 250. Quomodo sit univocum Deo, & Creaturis: Substantiæ, & Accidenti. 4. 10.
Essentia physica, & Essentia metaphysica non sunt duæ res distinctæ. 2. 1.
Ex duobus identificatis unum potest esse de Fide, secus alterum. 1. 136.

Figura quid sit. Disputat. 4. num. 214.

Genera, & differentia, quomodo se habeant in ordine ad transcendentiam. 1. 236. & seq. Genus logicum quid sit, & quæ de illo disputantur. 3. 1. & seq.
Gradus metaphysici quid sint, & an distinguantur invicem. 1. 19. An distinguantur à suis differentijs individualibus. ib. 20. & 107.

H

Habitus quid sit, & quotuplex. 4. 219. & seq. Quo sensu dicatur habere objectum formale. ib. 221. Habitus infusus, quo sensu dat posse. ib. 221. Habitus theologicus, & moralis quid sint. ib. 223. Hæcceitas, Hic, & similia quomodo sint universalia. 2. 171. Hypothesis quid sit ex parte rerum. 4. 16.

I

Identitas quid, & quotuplex. 1. 1. Identitas rationis. ibid. 152. Est semper actus reflexus. ibid. 161. Non semper est mutua. ib. 163. Identitas rationis cum aliquo tercio non infert, illa identificari per rationem inter se. ib. 167. Non est quid absolutum, sed respectivum. ib. 171. Identitas formalis metaphysica trahit secum identitatem formalem logicam; non è contra. ib. 173. Impenetrabilitas quæ, & qualis conveniat Quantitati. 4. 48. Individuatio quo sensu pendeat à quantitate. 4. 67. & 3. 99. Individuum primò, & secundò intentionaliter sumptum. 2. 155. Individuum vagum quid sit; & an detur in rebus. 2. 172. Individua completa, & incompleta metaphysicè. 3. 32.

L

Logica Major in quo maxime differt ab alijs scientijs. 2. 2.

Locus non est propriè quantitas.

4. 81.

Loquendi modus usualis valdè diversus à rigore scholastico. 1. 218.

Lyncei argumenta pro distinctione virtuali solvuntur. 1. 121. Alterius Lyncei. ib. 151.

M

Modus loquendi scholasticus valdè diversus ab usuali, & communi. 1. 218. Modus quid sit, & quæ non sint modi. 4. 73. & seq. & 214.

Mysteria quomodo traduntur nobis credenda. 4. 38.

O

Obliqua constitutiva, quo sensu sint constitutiva, quo sensu connotata, quo sensu neutrum. 4. 138.

P

Partes, quæ prævalent, & quæ non prævalent in denominando. 4. 92. Partium distinctio entitativa non est effectus quantitatis. 4. 57.

Perseitas, per quam definitur substantia, quid sit. 4. 16.

Persona quid sit. 4. 3. Personalitas quid sit. ib. 16.

Possibilitas metaphysica quid sit ex parte rerum. 4. 174. Possibilia omnia invicem connotantur quoad possibilitatem. 4. 189.

Præcisio objectiva, & formalis. 1. 213. Quo sensu admitti debeat Præcisio objectiva. ib. 221.

Præ-

R

Rationis distinctio logica, ac metaphysica impares mitigando difficultates Beatissimæ Trinitatis. 1. à n. 43.

Recta, & obliqua. 4. 136.

Relatio quid, & quotuplex. 4. 107. & seq. Quo sensu habeat totum esse ad aliud. ibid. 108.

Est conceptus univocus ad ad omnes Relationes. ib. 124.

Quomodo terminatur ad relativum. ibid. 127. Quando deficit, deficiente actione, in qua fundabatur. ibid. 130.

Redivivus conjux, Religiosus, vè non esset conjux, aut Religiosus; secus Sacerdos. ibidem.

Relatio prædicamentalis, an identificetur adæquatè cum fundamento, connotando terminum? ibid. 133. & seq.

Relatio transcendentalis Dei ad Creaturas. 4. 173. & seq.

Relatio prædicamentalis an stet in accidente relativo superaddito. 4. 207.

S

Sacra Scriptura non juxta scholasticum rigorem; sed juxta vulgarem usum verborum loqui solet. 1. 218.

Signa quantitativa quando afficiunt, quando non, universalitati metaphysicæ. 2. 83.

Singulare tum primò, tum secundò intentionaliter sumptum. 2. 155. Singulare an sit universale. 2. 176.

So-

Prædicata; cujusvis individui identificantur invicem, & cum differentijs individualibus. 1. 19. & 107. Non sunt capacia distinctionis virtualis, aut formalis ex natura rei. ib. 23. & 110. Quo sensu unum possit esse de fide, secus alterum. ib. 136. Sunt capacia distinctionis, sive præcisionis formalis, ac per rationem. ib. 179. Prædicata superiora, & inferiora quomodo se habeant in ordine ad transcendentiam formalem. 1. 236. & seq.

Progressivus motus quomodo fiat. 4. 76.

Propositio, omnis affirmat, aut negat identitatem, aut distinctionem. 4. 136.

Proprium quid, & quotuplex, cum eis, quæ de illo disputantur. 3. 109. & seq.

Q

Qualitas quid, & quotuplex. 4. 214.

Quantitas quid, & quotuplex. 4. 46. & seq.

Iplius effectus, sive proprietates. ibid. 56. Effectus proprius formalis. ibidem 60. Distinguitur à substantia. ibid. 65. Quo sensu inducat numericam distinctionem. ibid. 67. Non est modus. ibid. 72. Sine illa non posset corpus se movere. ibid. 75. Neque æquitate, aut fusta tundi; posset verò comburi. ibid. 77.

Sophismata tria contra connexionem Dei cum possibilitate possibilium. 4. 144.

Species logica, physica, moralis, theologica quid sint. 3. 70. Duo distingui specie physica, quid sit ex parte rerum. 3. 79. An requirat multa individua saltem possibilis. 3. 87. Quomodo tota salvetur in unico individuo. 3. 103. Species subjicibilis, ac predicabilis. 3. 105.

Spiritus definitio, ac explicatio. 4. 85.

Subsistentia, suppositalitas quid sint. 4. 16.

Substantia, & suppositum quid sint. 4. 1. & seq.

T

Tempus non est proprie quantitas. 4. 80.

Transcendentia formalis quid, & quoruplex. 1. 232. Quo pacto detur, aut non detur inter predicata superiora, & inferiora. ibid. 236. & seq. Quo sensu terminet connexionem creaturarum. 4. 190. Transcendentia entis. 1. 250.

Trinitatis Mysterium ut cumque explicatur. 1. 27. & seq.

V

Virtus theologica, & moralis quid sint. 4. 223.

Universale quid, & quoruplex sit; & logicum non esse rem distinctam à metaphysico. 2. 3. Eiusdem unitas, & aptitudo ad multa quomodo identificentur inter se. 2. 4. In ipso quænam sit materia, quænam forma. ib. 5. Tres qualitates, quas debet habere Natura, quæ est universalis. ibidem. Qualis debet esse unitas. ibidem. Qualis Aptitudo. ibidem. 6. Qualis Multiplicitas. ibid. 7. Universale non postulat inferiora actu existentia. ib. 8. Natura ita est materia, ut neutiquam sit forma. ibid. 11. Quomodo universalis sint corporea, sint spiritualia &c. ib. 12. Quomodo detur, aut non detur à parte rei Universale. ib. 13. Quomodo detur, aut non detur per intellectum. ib. 31. A quo possit, & à quo non possit fieri. ib. 45. Quomodo perseveret in actuali prædicatione. ibid. 62. & seq. Dividitur adæquatè in quinque Prædicabilia. ib. 141. Est Genus respectu ipsorum. ibidem. 148.

Unum quomodo sit Universale? 2. 163.

F I N I S

ERRATA

CORRIGE

Primus numerus Disputationem, Secundus marginalem numerum significat.

DISPUTATIO I.

- | | |
|--|--|
| Num. 4. Objecta illa | Objecta ulla |
| 30. haud quamquam | haud quaquam |
| 78. realiter distincta | realiter distinctæ |
| 88. convenirent convenientiâ mediata | conveniant convenientiâ mediata |
| 103. ergo vel hæc | ergo vel hæc |
| 158. gemini alibi | gemini alibi |
| 166. atque depræhendens | atque depræhendes |
| 174. omnis homo est visibilis | omnis homo est visibilis, & sic de aliis in hoc numero |
| ibid. specificatam | specificam |
| 193. definiri formalis | definiti formalis |
| 198. quod ita probant | quod ita proponant |
| 222. prædicatum rationalis | prædicatum rationalis |
| 230. seu totus Deus | sed totus Deus |
| 232. an ens identificentur cum ente | an ens identificetur formaliter cum differentiis, sed potius an differentiæ identificentur cum ente |
| 233. exercite facta, sive universalis | exercite facta superiora, sive universalis |
| 241. quatenus talis animalis | quatenus talitas animalis |
| 244. ergo aliquid rationale est formaliter homo | ergo aliquid rationale est formaliter sensibile |
| ibid. non nocent unum tamen; vel alterum | non nocent. Unum tamen vel alterum |
| 245. cujus uniuscujusque | cujus utriusque |
| 247. est perfectitas homo | est homo |
| 250. indifferentiæ | differentiæ |
| 251. per cognitionem ut habentem ullam &c. | per cognitionem ut habentem prædicata, & ut non habentem ullam etc. |
| 262. non quidem aliud alietate, sive distinctione entis ab illo alio &c. | Non quidem aliud alietate, sive distinctione sui ab ente, sed alietate, sive distinctione entis ab illo alio |
| 273. rationale secundò rationaliter sumptum | rationale secundò intentionaliter sumptum |
| 274. differentias, si formaliter ut talis &c. | differentias, formaliter ut talis etc. |

DISPUTATIO II.

- | | |
|--|--|
| Num. 30. vis | ais |
| 68. eisdem verbis explicantur ambo | eisdem verbis explicantur ambæ |
| 87. convertere | converteret |
| 98. at illis multis | ab illis multis |
| 103. modo hoc duo | modo hæc duo |
| 137. nec inferas | ne inferas |
| 170. cum alio etc. | alio individuo &c. |
| 179. quemadmodum cognitum per se, quia &c. | quemadmodum cognitum præcisè signatè est dumtaxat objectum ipsum cognitionis |

DISPU.

DISPUTATIO III.

<i>Num.</i> 8. stultumque foret	stultusque foret
24. aliam speciem diversam	aliam specie diversam
45. hoc ens est vivens	hoc ens est vivens
60. at non est cognitam	at non est cognitum
90. nec est, necesse potest	nec est, nec esse potest
93. ubique in differentia	utique indifferentia
100. per terminum extrinsecum	per terminum intrinsecum
112. sic calor	sic calor
116. physica a quo	physica aqua
128. homo est albus, & niger	homo est albus, est niger
129. ab illo distinguuntur	ab illo distinguuntur

DISPUTATIO IV.

<i>Num.</i> 1. in alia acceptione	in alia acceptione
19. in actu primo remoto radicali	in actu primo proximo; potest namque homo esse mente captus, sed rationalis in actu primo remoto, & radicali
<i>ibid.</i> verosimiliter videtur	verosimilior videtur
36. unione totius d. & a	unione toties dicta
<i>ibid.</i> at cum hæc sit &c.	at cum hoc sit &c.
39. quem eligit Deus	quem elegit Deus
<i>ibid.</i> & tragedias illas &c.	& tragediæ illæ &c.
42. sed tamquam subiecto aut formæ	sed non tamquam subiecto, aut formæ
44. distinguuntur &c.	ergo omnes naturæ creatæ distinguuntur &c.
49. item metaphysici	item Metaphysica
69. ita neque differentie individuales	ita neque indifferentiæ individuales
87. eum unione	cum unione
114. & alteram habeat	& altera habeat
<i>ibid.</i> ab utroque carta	ab utrâque charta
146. constitutum intrinsecum &c.	constitutivum intrinsecum rei A, & non purum connotatum extrinsecum
179. ut sit possibilitas &c.	ut sit possibilitas
188. ex hypothesi, tamen quod illa esset &c.	ex hypothesi tamen, quod illa impossibilis sit. E.G. ex hypothesi quod illa &c.
195. ergo si connectitur cum possibili- libus, non &c.	ergo si connectitur cum impossibilibus, non &c.
202. ideo nec minuitur &c.	ideo nec deficit, nec minuitur &c.
204. compossibile ex se cum eo, quod cætera omnia &c.	Compossibile ex se cum eo, quod potentia illa non possit quidquam facere practice a parte rei, quia est per vos compossibile ex se cum eo, quod cætera omnia &c.
207. <i>marginè</i> Luc. II.	Luc. I.
<i>ibid.</i> non posse fieri &c.	et chimæram non posse fieri &c.
229. ut majestatem etc.	& majestatem
<i>ibid.</i> moveatur ad non faciendum ex illo eodem, ex quo movet, de- bebat ad non faciendum. Cu- jus casus possibilitate &c.	moveatur ad non faciendum ex illo eo- dem, ex quo moveri debebat ad facien- dum: vel moveatur ad faciendum ex illo eodem, ex quo moveri debebat ad non faciendum. A. cujus casus possibilitate &c.
234. quas non habemus	quas nos habemus
239. ex aliqua anima commotione	ex aliqua animi commotione